





A XXIV
WALT
Vuatterius de triplici Cæna
II
6
401










XXXIV
WALT.




DE TRIPLICI
COENA CHRISTI
AGNI,
VVLGARI,
EVCHARISTICA.
Auctore
R.P. IOANNE WALTERIO
VIRINGO, SOC. IESV
THEOLOGO.
ANTVERPIÆ,
Apud Heredes Martini Nutij,
et Ioannem Meursium.
M. DC. XVII.
Cum gratia et priuilegio.

PERILLVSTRI
ET
AMPLISSIMO VIRO
DOMINO
PETRO PECQVIO
EQVITI AVRATO,

CANCELLARIO BRABANTIÆ,
Sereniſſimis Principibus noſtris à Conſilijs Status,
ſummo militiæ Dicæarchæ.

BYzantijs olim ἀντικένσωρ fuit, qui in æde illex eſſet, & dux ritè cœnaturis. id mihi Tu eris, AMPLISSIME PECQVI, ſi pateris, ad triplicem hanc cœnam. Eminebat ille forſan quà auctoritate, quà gratia; Tu Præfectus Prætorio principem in Brabantis dignitatem non ſuſtines, ſed ornas.



De gratia quid dicam? Testor Augustissimum Cæsarem, quem Tui admirantem tenuisti. Testor Christianissimum Regem Henricum IV. qui Gallicanum Herculem, aut verò Periclem summum aliquem esse Te aiebat, qui sapiente Suada suadeas, Regésque in recti orbitam trahas quà velis; optare insertum lilijs, ac Gallicanis hortis; fore florerent: inuidere se Principi cui à Consilijs obtigisses; nec minùs Belgio, cui natales deberes. Testor Serenissimos Principes, qui

— bona cùm sua norint,

Te æstimant veris pretijs, & merito Tuo. si quid adhuc BelgI fuit, quod nomen decúsque requireret, voluerunt iusserúntq; PECQVIVM gerere, & cum Deo bono perfecit. Lababat Iustitia, &, ne-

scio

ſcio quæ laxitas malo publico inuecta? reſtituit, reiecit. Nutabant alibi res, & Religio impetebatur? firmauit, defendit. Vt lumen columénque BelgI, iuſti rectíque Præſes ac Præſtes, Religionis fideíque cultor vulgo differatur. Macte animo, Pecqvi, & honore ego Te hoc macto, non videri qui his cœnis præire pro dignitate, aut inconciliare gratiam præ Te poſsit. Alloquor ergo, & venerans contendo exemplo ducere reliquos, Muſis Tuis inſerere, nomínique ampliſsimo inſcriptas obiter oculis libare, vt ceteri legant. nam inſtar in Te eſt, & quò anteis, omnes ſequuntur, vt quæ poſt ſe laterent, Tua luce ac nomine, in luce oculíſq; plurium ſint futura.

Amplitudinis tuæ
ſtudioſus

Ioan. VValt. Viringus.

LECTORI BENEVOLO.

NE cum Adamo malè de malo pransi incœnes æternùm pessimè quiesceremus, triplicem Christus cœnam struxit optimo dierum: primam alteramq; pictas, qualis olim Heliogabali fuit. hæ libandæ, vt cani Nilus. idcirco etiam ad primam statim erant, accinctiq; quasi ad iter. Nos ad vtramque ita simus, nec dum edere non licet, accumbere multum libeat, aut sedere. Tertia, quando recta est, pontificia, aditialis sacerdotij, & in qua Christus Editor, & Munus, Conuiua iuxtà & Conuiuium; plusculum teipse, imò prolixè ac liberaliter inuita, ligans ad vineam pullum tuum, & ad vitem asinam tuam: lauans *hoc* in vino stolam tuam, & in sanguine vuæ pallium tuum. *Quare hîc licet ebrioso esse, alibi crimini sit, entheâ scilicet mente, non alienatâ.*

Scriptio ferè tessellata est: Patres enim egoq; inter nos loquimur, & quidem ipsi suis verbis, ego accisim, vt certior vbique sit fides, ac maius momentum. Deinde qui longiùs absunt ab auctoribus, audiant, videant etiam absentes, imò cum aliis mutuum faciant. Cæterum præluxerunt Scriptores hoc æuo magni. Patere, Lector, hunc canalem quanquam sordidum, per quem riui fluunt fontis vitæ, aquæ viuæ, Patres nempe & Doctores prisci recentesq; : non inficientur ipsi, sed illustrabunt, & lucebunt veræ doctrinæ ac virtutis suæ luce.

FA-

FACVLTAS PROVINCIALIS.

Carolus Scribani Societatis IESV *Præpositus Prouincialis per Prouinciam Flandro-Belgicam.*

LIbrum de triplici Cœna inſcriptum, & à Ioanne Walterio Viringo Societatis noſtræ Sacerdote confectum, atque à deſtinatis arbitris lectum & approbatum, ex auctoritate Admodum R. P. N. Mutij Vitelleſci Præpoſiti Societatis Generalis, in lucem prodire permitto. Cuius rei fidem manu mea & officij ſigillo his appreſſo facio, Antuerpiæ 1. Aprilis 1617.

CAROLVS SCRIBANI.

CENSVRA.

TRiplicem Cœnam à Chriſto factam, ab Euangeliſtis deſcriptam, & à R. P. Ioan. VValterio Viringo explicatam, & Fidelibus omnibus appoſitam, dignam iudico, quæ tum ad ſolidam antiquitatis ac veritatis cognitionem: tum ad Nouatorum noſtri temporis confuſionem, qui ceu Heliogabalitæ, cœnæ Euchariſticæ imaginem ac ſymbolum, non cœnam ſuis proponunt: denique ad Scripturarum abdita concilianda, in lucem prodeat, cunctóſque, vt ſe iuxta Apoſtolici præcepti normam, ad hanc dignè & frequenter ſumendam probent, ſuauiter impellat. Datum Antuerpiæ, pridie Kalend. Iunij M. DC. XVII.

LAVRENTIVS BEYERLINCK
Archipresbyter, & librorum cenſor Antuerpiæ.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes, diplomate suo sanxerunt, ne quis compositum à *R. P. Ioanne VValterio Viringo Societatis* IESV *Theologo, de triplici Cœna Christi Tractatum*, præter Heredum Martini Nutij & Ioannis Meursij voluntatem intra sexennium in Belgio imprimat, aut alibi impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ anno 1616. die 25. Iunij.

Signat

VVouvvere.

DE TRIPLICI COENA CHRISTI, AGNI, VVLGARI, EVCHARISTICA,

EX
Matthæi 26. v. 17. Marci 14. v. 12.
Lucæ 22. v. 7. Ioannis 13. v. 1.

AVCTORE
R. P. IOANNE WALTERIO VIRINGO,
Societatis IESV Theologo.

MATTHÆI XXVI. VERSV 17.



Rima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est. Et contristati valdè cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit:

Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Et hymno dicto, exierunt in Montem oliueti.

MARCI XIV. VERSU 12.

ET primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Vbi est refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Numquid ego? qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. & Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem filius hominis traditur. bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait; Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Dei. Et hymno dicto exierunt in Montem oliuarum.

LVCÆ XXII. VERSV 7.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister, Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. & ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter vos. dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnanit dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

IOANNIS XIII. VERSV 1.

Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deũ vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere

linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantùm pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. Propterea dixit, Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis; Non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis, priusquam fiat: vt cùm factum fuerit, credatis quia ego sum. Amen, amen dico vobis: qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen, dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. erat autem nox.



COENA AGNI.

CAPVT I.

Cum Matthæo, Marco, Luca Ioannes conciliatur.

PRimùm fide constat, quod Concilio Tridentino docemur, maiorum traditione haberi, & Clemens V. in Viennensi Concilio antè definierat, cœnam vltimam à Christo, *pridie quàm pateretur* institutam. Verùm quo die, mense, anno, non satis inter auctores conuenit: Matthæus, Marcus, Lucas *die azymorum* narrant contigisse; Ioannes verò ante *diem festum Paschæ, & azyma.* His conciliandis studuerunt Græci, &, quo pertinaciùs errorem tuerentur suum, Ioanni primas blasphemè dederunt, quasi Euangelistas cæteros, vt B. Thomas Aquinas in 4. d. 11. q. 2. a. 2. narrat, ille posterior correxerit.

Sed notatio breuis lucem dabit. Dierum ratio apud Hebræos hæc erat; quidam naturales, nempe horarum quatuor & viginti, erant; alij ceremoniales, vt illi loquebantur, siue festi, qui initium à vespera sumebant. lex enim iubebat: *A vespera in vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* vnde rescripto Imperatoris Augusti ad prouinciæ præsides apud Iosephum 16. Antiq. 10. habetur, *neque Iudæos cogi ad præstanda vadimonia sabbathis, aut pridie sabbathorum post horam nonam in parasceue*, quia festo vacui curis, sibi ac Deo solummodò vacabant.

Numerus dierum à nouilunio erat. Responderi ergo commodè potest, Ioannem, etsi aliter, non tamen aliud dicere, nempe ante *diem festum Paschæ & azymorum*, qui decimaquarta luna finiente, & quintadecima oriente inchoabatur, eodem naturali die, puta matutino tempore, priusquam luna decimaquarta occidens decimæquintæ orienti, cùm Pascha celebrandum esset, locum daret, Christum suos Hierosolymam, rebus ad festum necessarijs comparandis destinasse. Iuuencus Euangelicæ hist. l. 4.

Iamq́; dies Paschæ primo processerat ortu,
Discipuli quærunt, vbi cœnam sumere Pascha

Vellet; at ille sibi quendam sine nomine quæri,
Vltima qui Domini caperet mandata, iubebat.
Vespere mox primo bis sex recubantibus vnà
Discipulis, tali diuinat voce magister, &c.

Tres superiores Euangelistæ, hunc in modum interpretandi: primo azymorum die, id est, ipso naturali quidem die, in quem vesperi azyma & pascha incidebant, Christum suis hæc mandata dedisse.

Contrà faciunt Græci, & auctoritatem obtendunt grauissimorum Patrum, Origenis, Irenæi, Epiphanij, Tertulliani, Theophylacti, Euthymij, Ancelmi Cantuariensis.

Verumtamen, vt illi certò assererent, quod non omnes faciunt, contrariam sententiam, non est tamen à recepta, & Ecclesiæ probata recedendum. Et primò Irenæum audiamus, *Non est dicere in quibus à Mose ostenditur filius Dei, cuius & diem passionis non ignorauit, sed figuratim prænunciauit eum, pascha nominans, & in eadem ipsa quæ ante tantum temporis à Mose prædicata est, passus est Dominus adimplens pascha. Non solùm autem diem descripsit, sed & locum ex extremitate temporum, & signum occasum solis.* Si ergo, inquiunt, in paschate Christus est passus, cùm illud in quartamdecimam lunam inciderit, debuit non ipso primo azymorum, qui pascha sequebatur, sed propridie, id est luna decimatertia, pascha celebrasse, & quartadecima, id est, quodam peruigilio azymorum, quando cœnasse eum dicimus, passus fuisse. Sed clara mens Irenæi est, in paschate, id est, paschali tempore, seu paschæ festo Christum passum, luna scilicet decimaquinta. Quod vt planum habeas, Innocentius III. l. 4. de sacram. altaris c. 4. faciet, *Dies festus paschalis erat quintadecima luna, secundùm illud, Et in quintadecima die solemnitatem celebrabitis altißimo Domino; nam quartadecima non erat solemnis nisi tantùm à vespera. Ante diem festum hunc Dominus pascha cum Apostolis celebrauit.* In eundem sensum B. Alfonsus Tostatus loquitur, in c. 9. Num. q. 11. & defensorij 2. p. c. 8. & Ioannem explicando Irenæum cum Innocentio enodat: Ante diem festum paschæ, lunam scilicet decimamquintam, cœnasse Christum, & ipso paschæ festo luna decimaquinta ad vesperam hora nona passum expirasse.

Quæ ne noua videantur, scito Patres pascha latiùs interdum capere. Nam Clemens in Constitutionibus apostolicis l. 5. c. 17. *Ieiunate,* inquit, *diebus paschæ, incipientes à secunda feria vsque ad sextam, & sabbathum; sex diebus, pane tantùm, sale, oleribus & aqua mensæ adhibitis; abstinete his diebus vino & carne. dies quippe luctus, & non festi sunt. sexta autem feria & sabbatho manete ieiuni,* &c. Sic intellige Epiphanium hæresi 29. nempe extensione paschatis illud præueniendo, cùm de Philone apud Iessæos ad Mareotin agente, loquitur: *In diebus paschatis illic versatus, & vitam ipsorum vidit, &*

quo-

quomodo quidam per sanctam paschatis hebdomadam omni esu dilato degebant, alij verò interpositis duobus diebus edebant, alij etiam ad vesperam. Constat enim clarè hæc de paschate ipso non intelligi, nec de sequentibus illud festis, sed de ijs diebus qui præcurrerent. Ex Tertulliano enim habemus de Corona militis, *die Dominico ieiunare nefas ducimus*, imò ne tota pentecoste quidem licebat vel *de geniculis esse.*

Nec plus difficultatis ciet Tertullianus libr. contra Iudæos. *Hoc enim & Moses initio primi mensis nouorum facturos vos prophetauit, cùm omne vulgus filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturum, & hanc solemnitatem diei huius, id est, paschæ azymorum, cum amaritudine manducaturos præcauebat, & adiecit pascha esse Domini, id est passionem Christi. quod ita quoque adimpletum est, vt prima die azymorum interficeretis Christum; & vt prophetiæ adimplerentur, properauit dies vesperam facere, id est, tenebras efficere, quæ medio die effectæ sunt; atque ita dies festos vestros conuertit Deus in luctum, & cantica vestra in lamentationem.* Quod factum, cùm paschæ festo primo azymorum Iudæi Christum egêre in crucem, id est, luna decimaquinta, qua ineunte prima vespera ipsi azyma cum lactucis agrestibus manducarant.

B. Epiphanius hæresi 50. typicè loquitur, *Oportebat Christum in decimaquarta die immolari secundùm legem.* quasi diceret, Debebat tum temporis Christus immolari typicè, & sacrificium, ac Sacramentum in agno significatum, Venerabilis Eucharistiæ institui ac perfici. Lex enim plana erat Leuitici 23. *Mense primo quartadecima die mensis huius ad vesperam phase Domini est, & quintadecima mensis huius solemnitas azymorum est.* Pascha autem, siue agni immolatio lege præscripta, vmbra & figura erat augustissimi Sacramenti. Incruenta igitur immolatio per agnum designata decimaquarta luna contigit, ipso paschæ pridie azymorum, hoc est, decimaquarta luna ad vesperam posteriorem, quæ azymorum priorem vesperam antecedit. Sic & Isychius in Leuiticum: *Semetipsum in cæna Apostolorum immolauit: quod sciunt, qui mysteriorum percipiunt virtutem. Hunc sacerdotem Septuaginta non solum vnctum, siue linitum, sed & consummatum manibus appellauerunt: consummatus est enim manibus priùs in mystica cæna, accipiens panem, & frangens: deinde per crucem, quando ligno affixus est,* &c.

Ferè in hunc sensum Ancelmus Matth. 26. *Primam diem azymorum, vocat quartumdecimum diem primi mensis, quando fermento abiecto immolare, id est, agnum occidere ad vesperam solebant: qui licet die sequenti, hoc est, quintadecima luna sit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, & carnis sanguinisq́; sui mysteria celebranda tradidit discipulis, & à Iudæis tentus & ligatus est, ipsius immolationis, hoc est suæ passionis sacrauit exordium.*

Sed grauis obiectio est, qui hoc potuerit contigisse? Faciamus enim die decimatertia ad meridiem lunam decimamquartam inchoatam; illa

finita

finita fuerit ad meridiem diei decimæquartæ, non habebit ergo ſecundam veſperam: quare phaſe inſtituendum fuerit ſimpliciter ad veſperam, potueritque incidere in lunam decimamtertiam. tum Græcis io, triumphus.

Reſp. Hebræos lunam, vt diem ſtatuat, non ex puncto præciſè, & motu ſecutos; ſed lunares dies naturalibus accommodaſſe: eo ſiquidem caſu meridie in meridiem diem non definiuiſſent, ſed à veſpera priori in veſperam poſteriorem vnum diem ceremonialem, licet luna iam aliquot horas alia fuiſſet, & naturalem à matutino tempore conſtituiſſet. verbi gratiâ, Fuerit luna decimaquarta die decimotertio ad meridiem, non dicetur luna decimaquarta in Kalendario, ſed decimatertia in veſperam vſque, quæ à veſpera, decimaquarta erit in veſperam poſteriorem, etſi poſterior verè in luna decimaquinta ſit.

CAPVT II.

An Christus & Iudæi eodem tempore ederint agnum paſchalem?

HOc quæritur, Anne Chriſtus cum Iudæis lege ſtatutum tempus obſeruauerit? ánne præuenerit? Præueniſſe Græci putãt: Cyrillus li. 12. in Ioan. c. 2. Euthymius in Matth. 26. Nicephorus 1. hiſt. c. 28. & recentiorũ aliqui. Sed qui legem venerat non ſoluere, ſed adimplere, iota vnum, vel vnum apicem non præterijt. in re ergo tam graui adamuſſim legem ſeruauerit. Ita Dionyſius ad Polycratem, & Phlegon apud Euſeb. in Chronico; & ex apoſtolica traditione probat Epiphanius hæreſ. 70. adſtipulantur Leo Papa ſerm. 7. de paſſ. & Iſychius in Leuit. 23. Inter noſtros fusè diſputant Alph. Salmeron tom. 9. tract. 4. Franc. Suarez in 3. p. Henr. Henriquez l. 8. moral. Ioannes Maldonatus in Euang. ibi, Franciſcus Toletus ibid. Sebaſtianus Barradas to. 4. l. 1. c. 6.

Ratione rem firmat Humbertus Cardinalis Syluæ candidæ, de azymo, & fermentato. Quomodo cùm falſum teſtimonium quæſiſſent, hanc manifeſtam tranſgreſſionem non obiecerunt? poterant enim Pilato dicente, *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate*, Ioan. 18. iudicio legis morti damnatum ſtatim rapere ad crucem. Et Pilato roganti, *Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc?* reſpondiſſent, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori*, præuenit paſcha. Reſpondet Hentenius præfatione in Euthymium, Chriſtum in facto hoc latuiſſe, & clàm cœnam cœnaſſe: inde omnes fugit Chriſtum, præter vel etiam contra legem præueniſſe tempus Paſchæ. Replicat Humbertus. Teſtes huic rei eſſe poterant

rant hoſpes apud quem paſcha fecit; Iudas cui panem intinctum dedit. Poterat certè Iudas proditionis ſuæ honeſtum titulum prætexere, & non poſtea dicere, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.*

Reſpondet Ioannes Maldonatus in Matth. 26. ad argumentum nonum noſtræ communis ſententiæ, *Non auſos eſſe id crimen obiicere, cùm ſcirent Chriſtum ex lege paſcha ſuum celebraſſe.* Ad 10. *Neminem offendi potuiſſe, quòd omnes ſcirent ſecundùm legem eo die, quo à Chriſto celebratum eſt, paſcha celebrandum fuiſſe.* Sed qui de arena, vt apud Irenæum eſt, reſticulas nectebant, palàm ſe reprehendi, & manifeſtò teneri pro iniuria duxiſſent, & audax Chriſti facinus, vt qui ſolus contra traditiones ſaperet, interpretati, morte dignum cum plauſu vulgi cenſuiſſent. Adde, quando illi voluiſſent nullam mentionem fieri transferendi à ſe paſchatis, tamen Chriſtus non tacuiſſet, monuiſſetque præteritæ legis.

Traditionem huius fuiſſe fatetur, & illa fruſtra ſe iuuat Rupertus li. 10. de gloria & honore Filij hominis: *Traditum*, inquit, *illis fuerat differre ſolemnitatem, cùm eueniſſet ante ſabbathum legale decimaquinta dies menſis, & pro duobus ſabbathis vnum celebrare ſabbathum magnum ſolemnitate duplici.* Eamque ſic accidiſſe Paulus Burgenſis in Matth. 26. ex Hebræorum kalendario refert: *Sic ſtatuerunt magiſtri noſtri iudices Sanedrin, magni nominis in ſæculo, in domo ſanctuarij ſecunda, cùm extructa eſſet & conſummata, tunc apparuit ſolium igneum perfectiſſimum, ſuper quod ſedebat rex mundi ſublimis valdè ſtans inter porticum. Et acceperunt coronam, appenderuntq; ſigillum reconditum, & ſanxerunt ordinaueruntq; ſtatutum perpetuum, & traditum eſt in manibus Rabbi Eliezer, qui reliquis omnibus maior erat, & ordinauit diem ſortium non obſeruari 2. 4. 7. hebdomadæ die, neque paſcha 2. 4. 6. neque diem expiationis 1. 3. 6. in æternum.*

Eadem traditio eſt in lib. de ſolis & lunæ motibus Gamalieli adſcripta. Sed fruſtra, dixi, traditione ſe iuuat, quia non antiqua traditio, ſed nugæ ex cabala ſunt. quis non rideat? *Sedebat rex mundi ſublimis valdè ſtans inter porticum.* Deinde, tanti eſt Rabbi Abraham in Leuit. 23. qui in Miſne & Thalmud, paſcha dicit in feriam 2. 4. 6. interdum incurrere. Denique, vt ſit traditio, pro nobis faciet: ita ſartas, tectas, ſeruatas volebant, vt eas ſuperſtatuerent (ſic Rupertus loquitur) traditionibus Dei.

Nec vrget Titus Boſtrorum Epiſcopus in Luc. c. 22. *Non manducat hoc paſcha cum Iudæis, ſed tantùm cum diſcipulis ſuis; ſiquidem Iudæi propter obſtinatam incredulitatem, hoc paſchate indigni erant.* Nec enim digni erant, qui vel cum Chriſto viuerent; tamen ita ſe demiſit, vt eadem cum illis menſa & ſale vteretur.

Stat ergo Christum Iudæosque lege statutum tempus seruasse. Etenim ipse Rupertus Leuit. 23. Matth. 26. festum transferri quidem patitur, & pascha vult incidere in sabbathum, esum autem agni, cum azymis certo statoque die à Christo & Iudæis simul seruatum. Augustinus tom. 2. epist. 86. ad Casulanum: *Traditus est Dominus ea nocte, quæ iam ad sextam sabbathi, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista quintam sabbathi dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymorum, & eius immolatio manducari.* quasi dicat, Christum feria quinta, luna decimaquarta ad vesperã traditum, & feria sexta, luna decimaquinta, die primo azymorum actum in crucem. Nec verò Augustinus discriminat pascha lege præscriptum, ab eo quod Iudæi seruarunt, sed tanquam rem communem & publicam pascha, & azymorum diem vulgò habuisse.

Alcuinus apud D. Thomam, Hieronymus, Iosephus 2. Antiq. c. 13. & l. 3. c. 1. Philo l. 3. de vita Mosis, Rabbi Isaac, R. Aben Ezra l. de ligatione Isaac, Eusebius 5. hist. c. 22. Epiphanius hæresi 30. constanter testantur omnes, decimaquarta luna agnum ad vesperam inuiolabiliter immolatum, incipiente decimaquinta festo celeberrimo paschæ.

CAPVT III.

Unà cœnasse Christum cum Iudæis ex sacris Litteris contra inanes nænias asseritur.

VEnio ad momenta rationum. Matth. 26. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* mittitque qui certo homini denuncient, se vesperi pascha celebraturum. Marci 14. *Primo die azymorum quando pascha immolabant,* &c. Luc. 22. *Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur pascha.* &, *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha.* Vbi cùm primo die azymorum dicatur contigisse, & discipuli ex Iudæorum consuetudine interrogent, Christusque quasi rem notam & vsurpatam vulgo certo homini pascha proponat, certò concluditur, Christum ac Iudæos eodem die pascha celebrasse.

Respondent: Azymorum diem ex lege, non verò traditione fuisse, Christumque non traditionem, sed legem secutum. Deinde cùm de re quasi communiter nota loquitur; supponendum est omnes sciuisse, lege præscriptum diem paschæ decimaquarta luna fuisse. Vrgeo, dari exemplum,

exemplum, vbi ante Christum passum pascha Iudæi ante, vel post decimamquartam lunam celebrarint. nunquam dabunt: ergo vides, lector, quàm gratis hæc dicantur.

Nos non traditionem friuolam, sed Scripturam damus, 2. Paral. 30. sub Ezechia rege: *Inito consilio regis & principum, & vniuersi cœtus Ierusalem, decreuerunt, vt facerent phase mense secundo: non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. Placuitq́; sermo regi, & omni multitudini.* & probat Scriptura consilium: *In Iuda verò facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum regis, & principum verbum Domini. Immolauerunt autem pascha quartadecima die mensis secundi. Et orauit Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quòd minùs sanctificati sint. Quem exaudiuit Dominus, & placatus est populo.*

Deinde Numer. 9. præcepit Deus Mosi, decimaquarta die mensis primi phase celebrarent: *Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere phase in die illo, accedentes ad Mosen & Aaron, dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis, quare fraudamur, vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? Quibus respondit Moses: State vt consulam, quid præcipiat Dominus de vobis. Locutusq́; est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere filiis Israel. Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam,* &c. Vnde clarissimè patet, numquam ausuros fuisse Iudæos contra manifestissimam Dei voluntatem, tam perspicuis Scripturis proditam, inanem traditiunculam confingere. Quare si decimaquarta mensis primi impediti fuissent, debuerunt in sequentem mensem, idque lunam decimamquartam distulisse. Testatur id Gaudentius tract. 1. in Exod. & allegoricè accommodat conuertendis Gentibus adhuc immundis propter simulacrorum cultum, & longè dissitis à sancto loco Ecclesiæ.

Quare optimè Ambrosius Episcopos per Æmiliam instruit, *Ipse qui legem locutus est, postea veniens per Virginem nouissimis temporibus plenitudinem legis consummauit, quia non venit soluere, sed adimplere, & celebrauit pascha hebdomadæ, in qua fuit decimaquarta luna, quinta feria. Denique ipsa die, sicut superiora docent, pascha cum discipulis manducauit. Sequenti autem die, hæc est sexta feria, crucifixus est luna decimaquinta, sabbatho quoque magno illo decimasexta fuit; ac per hoc decimaseptima luna resurrexit à mortuis.*

Romana Ecclesia in canone Missæ feria quinta in Cœna Domini:

Qui pridie quàm pro nostra omniumq; salute pateretur, hoc est, hodie, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,&c.

CAPVT IV.

Dies, mensis, annus, tempus phase Christi.

LVna igitur decimaquarta mensis Nisan Hebræis, Macedonibus Xantici, Christus cœnauit; de quo Dominus Exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Ita Ioseph. 2. Antiq. c. 5. & clarissimè 3. Antiq. c. 10. *Mense autem Xantico, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur, luna decimaquarta, sole arietem obtinente; quandoquidem hoc mense ab ægyptiaca seruitute liberati sumus, sacrificium quod tunc exeuntes fecisse diximus, pascha nominatum, quotannis instaurare lege iubemur.* Hallucinantur qui Nisan mensem aut Aprilem nostrum, vt Rabanus Maurus, & Rupertus, Ancelmus de imagine mundi l. 2. c. 7. aut Martium, vt B. Eligius Nouiomensis Episcopus de vtriusque agni pasc. esu, homil. 14. & Nicetas in orationem 42. Gregorij Nazianzeni, esse crediderunt. Nam, quemadmodum Theorianus Catholicum legatione ad Armenos instituit, *Menses Hebræorum mensibus nostris non respondent, nec ipsorum mensibus nostri; quod manifestum est paschate. propter illam enim causam aliquando Martio mense, aliquando Aprili celebramus pascha, cùm illud hebraicum pascha non sequamur; at illi numquam à primi apud eos mensis videlicet NiZanis die decimaquarta recedunt, quemadmodum lex mosaica præcipit; quo fit, vt qui primus apud eos mensis est, nonnumquam in eum, qui apud nos Martius dicitur, nonnumquam in Aprilem incidat; ideoq; menses ordine ceteri necessariò sequuntur eum, qui apud ipsos primus est; ac septimus ipsorum mensis, quo festum propitiationis celebratur apud eos, non semper in Septembrem nostrũ incidit, sed est necesse nonnumquam vt anticipet, nonnumquam accedat tardiùs.*

Martius tum mensis erat, quando Christus vltimò cœnauit. Eusebius apud Anast. Nicenum q. 93. in Script. *Cùm comedisset vmbraticum pascha cum discipulis, & instituisset authenticum quinto die hebdomadæ, quæ erat luna decimaquarta, mensis autem Martij vicesimasecunda, indictione decimaquinta, ipsa eadem nocte, quæ fert ad vicesimumtertium eiusdem mensis, fuit traditus, & cùm fuisset eodem die crucifixus, surrexit vicesimoquinto die Dominico.* Vbi hebdomadam, lunam, mensem, diem signatè habes. quò omnes ij faciunt, qui resurrexisse dicunt Martij vicesimoquinto, vt idem Eusebius in Chronicis ibidem loci citatus.

Sed aliò tendunt propè omnes, & in tuto nauigant. Tertullianus

contra

contra Iudæos c. 8. *Quæ passio huius exterminij intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Rubellio Gemino, & Rufio Gemino Coss. mense Martio, temporibus paschæ, die octauo Kalend. Aprileis, die primo azymorum, quo agnum vt occiderent ad vesperam à Mose fuerat præceptum.* Vnde quandoquidem pridie passionis contigerit, debuit Christus IX. Kalendas Aprilis, id est, Martij vicesimoquarto cœnasse cœnam. ita etiam August. lib. 4. de Trinit. c. 5. *Octauo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus.* Ne quid erres tamen, nequaquam pro traditione haberi vult, quod mala interpunctione Cæsar Cardinalis Baronius ad VIII. Kalend. April. credidit in Notis, vbi sic legit: *Sicut à maioribus traditum, suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas,* VIII. *Kalen. April. conceptus creditur quo & passus.* cùm ea beati Augustini sit sententia, à maioribus traditum esse, tot dies Christum in Virginis matris vtero fuisse, quot ab Annunciationis festo in natalem intercedunt, vt B. Augustinum legenti clarum erit: cuius verba sic habent: *Dixerunt enim, quadraginta & sex annis ædificatum est templum, & quadragies sexies seni, fiunt ducenti septuaginta sex. Qui numerus dierum complet nouem menses & sex dies, quia tanquam decem menses parientibus fœminis imputantur: non quia omnes ad sextum diem post nonum mensem perueniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas. Octauo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus,* &c.

Et Ven. Beda de ratione temporum c. 28. & 45. plures Ecclesiæ magistros & doctores ita tradere dicit. Martyrologium quoque romanũ VIII. Kal. mortem S. Dismæ boni latronis ponit. Constitutiones Apostolicæ sicut ab Anastasio suprà, sed corruptè admodum citantur, huc inclinant. *Mansit nobiscum in mundo prædicans euangelium regni cælorum, & curans omnem morbum & omnem ægritudinem in populo, donec fuit natus annos 32. & menses tres, in tricesimotertio suo anno fuit cruci affixus, Pharmenoth, id est mensis Martij, die vicesimoquinto, hora sexta diei, & decimaquarta luna; resurrexit autem in triduo Pharbute, id est Aprilis, die prima, hora sexta noctis, & visus est ab omnibus discipulis, & manifestauit gloriam suam per dies quadraginta, docens nos prædicare in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum; assumptus est autem rursus Pachon, id est Maij, die tertia, hora diei nona.* Inclinare huc dixi Clementem, quia perquam corruptè citatur. Si enim Martij vicesimaquinta die passus est, non potuit prima Aprilis resurgere, & tertia Maij ascendere; quia supra dies tres in sepulchro delituisset, & inter resurrectionem & ascensionem quadraginta dies non intercessissent.

Confirmat ad extremum cælestis visio, qua olim S. Elizabet Sconaugiensis l. 2. vision. c. 22. donata fuit, quamque illa cum reliquis ad Ecbertum Abbatem S. Florini perscripsit. *Factum est, in vna dierum mensis, ego Elizabet secesseram in locum semotum ac secretum, & intendebam orationibus; & ecce angelus Domini veniens coram me stabat, & ait; Numquid ignoras quoniam futuri anni pascha eo ipso die quo resurrexit Dominus celebrandum est, & Annuntiationis festiuitas in diem passionis incidet? & similia. quoniam hæc verè ignorabam.*

De anno mundi tricæ sunt, quas expedire nisi difficillimè non possis. Hebræi olim & recentiores Catholici multo labore huic rei insudarunt, & ferè frustra: quia vt ad Titum l. 1. c. 3. Hieronymus prudenter monet, librorum varietas, & errores inoliti obsistunt. id adeò verum est, vt Lactantius Firmianus de vera sapientia l. 4. c. 5. multos scriptores libros de temporibus non ab orbe condito, sed propheta Mose orsos asserat. Horrebant enim noctem illam sæculorum atram vetustate, & caliginem quam animo numquam penetres. Cedam idcirco inquisitionem vlteriorem Chronographis, inter cæteros Henrico Samerio, qui in Chronologia sacra ad annum 3984. contigisse, doctè & diligenter monstrare nititur, & LXX. Interpretum supputationem ab Aug. 15. ciuit. 22. & Ecclesia in Martyrologio VIII. Kal. Ianuarias susceptam sequar, nempe natum Christum, *anno à creatione mundi, quando in principio creauit Deus cælum & terram,* 5199. Vnde sequitur, Domini cœnam ad annum 5233. celebratam, anno vitæ Christi 34. inchoato. Huc proximè accedit Hesychius in Christi natalem: *Alij dicunt venisse Dominum anno 5500. sed non multi in hoc conueniunt, in 5000. autem anno omnes accurati scriptores conueniunt apparuisse Christum. Nam etsi de eo nonnulli dissentiant, vox tamen prophetica est vera, quæ Magis docet apparuisse Dominum anno 5000.* Eusebius 5500. ad natalem Christi ab orbe condito numerat, vt eum quidem apud Anastasium Nicenum Margarinus turpiter scatentem mendis edidit; vt & Hesychium: quare neutrum facere loquentem audeo.

Consules Tertullianus suprà Rubellium & Rufium Geminos consignauit, vt & Aug. li. 18. de Ciuit. c. 54. *Mortuus est Christus,* inquit, *duobus Geminis Coss.* VIII. *Kal. April.* Sed contrarium videtur verius. quia ad annum Tiberij 15. id est, Christi ex probata magis sententia anno 31. Coss. igitur Cn. Domitio Ænobarbo, & Vitellio Nepote, vel si Corn. Tacito credimus, Camillo Scriboniano, Tiberij Imp. anno 18. non 15. vt apud Eusebium Tertullianus lib. 1. Chronic. in Tiberio: *Tertullianus,* inquit, *in eo libro quem contra Iudæos scripsit, affirmat Christum quadragesimo*

anno

anno Augusti natum, & 15. Tiberij esse passum. Verba Tertulliani hæc sunt contra Iudæos c. 8. *Cleopatra conregnauit sub Augusto annis tredecim, post Cleopatram Augustus aliis annis 43. Nam omnes anni Augusti imperij fuerunt anni quinquaginta sex. Videmus autem, quoniam quadragesimo & primo anno imperij Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperauit, nascitur Christus, & superuixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis 15.* & paulò infrà: *Post Augustum, qui superuixit post natiuitatem Christi, anni quindecim efficiuntur, cui successit Tiberius Cæsar, & imperium habuit annis viginti duo, mensibus septem, diebus viginti. Huius quintodecimo anno imperij passus est Christus; annos habens quasi triginta cùm pateretur.* Tertullianum glossa ordinaria corrigit, & omisso, *cùm pateretur*, pro *passus est*, legit, *baptizatus est.* sed sine fructu excusatio est, laterem enim lauat; cùm eo in capite nimis quàm sæpiculè peccet. Meliùs Eusebius, imò optimè, *Decimoquinto eius anno Ioannes filius Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluuium prædicat, & hinc ipse quoque Dominus Iesus Christus in populo salutarem viam annunciat. decimooctauo anno eius* (scilicet Tiberij) *Iesus Christus secundùm prophetias ad passionem venit.* 19. *Ecclesiæ Hierosolymitanæ primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus frater Domini.* Fauet Rupertus de gloria & honore Filij hominis: *Hoc solus Lucas scribere curauit, Dominum dixisse, quòd desiderio desiderauerit, cum Discipulis suis comedere pascha istius anni, qui annus tricesimus tertius assumptæ humanitatis*, &c. Et Christus B. virgini Mechtildi 3. reuelationum c. 1. significauit: *Potes recordari amoris diuini, qui me de sinu Patris inclinans triginta tres annos multis laboribus te quærendo, fecit seruire, & cùm tempus instaret nuptiarum, proprio amore cordis mei venditus in pretium conuiuij, meipsum in panem & carnem & poculum dedi.*

Anno igitur tricesimotertio finito, & tricesimoquarto inchoato Christus nostri memor arram pignusque amoris sacratissimum corpus, & pretiosissimum sanguinem reliquit.

CAPVT V.

Tropologia de tempore.

VT diuinæ prouidentiæ argumentum haberemus, quo constaret nihil fieri frustrà; sed sub cortice nucleum latere, pulcrè aduertit D. Gaudentius Brixiensis tract. 1. in Exod. quòd *oportuno tempore Dominus Iesus beatissimam festiuitatem paschæ voluit celebrari, post autumni nebulam, post horrorem hyemis, ante æstatis ardorem. Oportebat enim Solem iustitiæ Christum & Iudæorum caliginem, & rigorem Gentilium, ante ardorem futuri*

iudicij placido resurrectionis suæ lumine dimouere, cunctaq; in statum tranquilli primordij reuocare, quæ fuerant velamine retrò confusa ab illo principe tenebrarum. Et Macarius Ægyptius hom. 47. Anima *redimitur verno tempore, mense florum recentium, cùm animæ terra potest emittere pulcros & florentes ramos iustitiæ, præterita graui hyeme ignorantiæ tenebrarum, & ingenti prouentu obscenarum actionum, & peccatorum.* Nouorum omnium origo à paschate, & maximè bonorum. Ambrosius de paschæ mysterio cap. 2. *Est pascha verè anni principium, primi mensis exordium, nouella germinum reparatio, ac tetræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta iucunditas. Hoc, inquam, tempore visibilium & inuisibilium conditor Deus, defixa humo cæli machinam suspendens, diem solis ardore radiauit, splendorem lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cæli cameram splendentium siderum decorauit ornatu, mare certis littorum finibus coërcens, concauæ ac stridentis vndæ æstum metas statuti limitis haud iussit excedere; & vt planè mundi facies oculorum eminus subtraheretur aspectui, ad hoc in ornatum mundialis fabricæ nemorosi colles, & excelsi constituti sunt montes, vt iterum mortalibus campestris ornatus iucundior adueniret.*

Hæc de verno tempore floridè planitus, & cum ratione. nam tum incipiunt

Cælum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Rami baccarum vbertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata conuestirier. 1. Tusc.

Sed, *Cur noctu Christus comedit pascha ante passionem?* quærit Anastasius Sinaita 7. contemplationum anagogicarum. *Quoniam sic & noctu comedit Adam, & est proditus priusquam aperti essent oculi eius.* nempe secundus Adam à cœna captus est dolo amici, & osculo traditus. Deinde Eligius hom. 14. ait: *Ideò ad vesperam agnus immolari præcipitur, quòd in hac nouissima sæculi ætate, iam vesperascente mundo pro nobis Christus occiditur: huius agni nostri carnes assas edere debemus, vt nihil de eo carnale sentiamus, sed Spiritus sancti operatione eum incarnatum, verum in maiestate Deum, verumq; in humanitate hominem verè pro nobis propria voluntate mortuum, verè propria potestate resuscitatum, credamus.* Hieronymus Marci 14. *Vespera diei vesperam indicat mundi; circa vndecimam namque horam veniunt nouissimi, qui primi denarium vitæ accipiunt æternæ: quia ante crucem Abraham erat in inferno, & post crucem latro in paradiso.* Rabanus apud D. Thomam in Catena Matth. 26. anagogicus est. *Ideò,* inquit, *vesperi discubuit cum discipulis, quia in passione Christi, quando verus sol ad occasum properauit, refectio æterna omnibus præparata fuit.*

Nazian-

Nazianzenus orat. 42. allegoricus: *Agnum comedens ad vesperam, quoniam in sæculorum fine Christi passio contigit, quando vespere quoque peccati videlicet caliginem discutiens Discipulis Sacramentum impertit.*

At verò *decima die mensis tollitur agnus, decimaquarta immolatur, quia in lege passio Christi figuratur, Euangelii gratia coruscante, impletur. Denarius enim propter decalogum legem significat, quaternarius verò quatuor euangelia.* Hæc Hugo Victorinus. Beda autem in Lucæ 22. rationem reddit, cur *vna die agno immolato ad vesperam, septem ex ordine dies sequuntur azymorum? Quia Christus Iesus semel pro nobis in plenitudine temporum passus in carne per omne nobis huius sæculi tempus, quod septem diebus agitur, in azymis sinceritatis & veritatis præcipit esse viuendum; totoq; semper nisu desideria sæculi, quasi Aegypti retinacula fugere, & quasi à mundana conuersatione secretam solitudinem, iter nos admonet subire virtutum. Mensis primus, vel mensium potiùs principium inducitur,* ait Nazianzenus orat. 42. *siue quispiam ab initio apud Hebræos id fuerit, siue ex ea re postea factus sit, atque ab hoc mysterio hoc acceperit vt princeps esset. Decima autem mensis, quia hic numerus omnium absolutissimus, nimirum ex vnitatibus vnitas prima perfecta, & perfectionis parens. Asseruatur porrò in quintum diem, fortasse, quia victima mea id habet, vt sensus expurget, à quibus peccatum oritur, & circa quos bellum committitur, vtpote peccati aculeum admittentes.*

CAPVT VI.

Exacti maiores nostri in paschate indicendo, ne in eo celebrando varietas esset; quod probauit Deus non semel euentu miraculoso.

Videmus ergo nihil otiosè factum à Christo fuisse, omnia mysteriorum plenissima esse; ideò cura peruigili elaborarunt maiores nostri, rebus non ita liquidò constitutis, ne error in tempus irreperet. Quare sicuti erat qui de turri moneret Israëlitas vel sabbathum appetere, vt Iosephus 5. belli c. 9. *Quarta turris supra verticem pastophoriorum condita erat, vbi moris est vnum de sacerdotibus adstantem post meridiem quòd septimus quisque dies inciperet, tuba significare, rursumq; vesperi quòd desineret, nunc ferias populo, nunc vt opus faciat, denunciantem.* Ita mos similis in Ecclesiam deriuatus est, quando vel summus Pontifex solitus fuit Ecclesiæ Romanæ communicantibus Ecclesijs paschales litteras scribere, vel Præsules suis denunciabant. Exemplum

est in Cyrillo Alexandrino, qui ἑορταστικὰς 30. homilias de paschate indicendo conscripsit. Et Theophili Alexandrini paschales ternæ ad Ægypti Episcopos, formulas quotannis dandas continent.

Prima: *Incipientes quadragesimam à tricesimo die mensis Mechir, & hebdomadam salutaris paschæ quinta die mensis Pharmuti, finientesq́; ieiunia secundùm euangelicas traditiones vespere sabbathi decima die Pharmuti, & illucescente statim Dominica, festa celebremus vndecima die eiusdem mensis, iungentes & septem reliquas hebdomadas pentecostes.*

Sic & paschalis secunda: *Habentes quadragesimæ exordium, ab octaua die mensis, qui secundùm Aegyptios vocatur Pharmenoth, & ipso præbente vires, attentiùs ieiunemus hebdomadæ maioris, id est paschæ venerabilis die decimatertia mensis Pharmuti fundamenta iacientes, ita dumtaxat, vt iuxta Euangelicas traditiones finiamus ieiunia intempesta nocte decimaoctaua die supradicti mensis Pharmuti, & altero die, qui Dominicæ resurrectionis est symbolum, id est decimanona eiusdem mensis, verum pascha celebremus, adiungentes,* &c.

Paschalis tertia: *Incipient sanctæ quadragesimæ ieiunia ab vndecima die mensis Pharmenoth, & hebdomadæ Dominicæ passionis sexta die mensis Pharmuti, & finiamus ieiunia vespere sabbathi vicesimaprima die eiusdem mensis Pharmuti, & sequenti die Dominica pascha celebremus vicesimasecunda die eiusdem mensis; post quæ iungamus septem hebdomadas sanctæ pentecostes,* &c.

Eò item spectat cautio quam Apostolorum nomine Clemens 5. constitut. c. 16. edidit: *Oportet, fratres, vt qui pretioso sanguine Christi redempti estis, dies festos paschæ accuratè, & omni diligentia post æquinoctium celebretis, vt neque vnius passionis bis per annum memoriam renouetis, sed potiùs semel quotannis; memoriam mortui item semel celebretis: neque ampliùs cum Iudæis tempus celebrandi pascha obseruetis. nulla enim nobis nunc cum eis communitas est: falluntur namque in ipso etiam calculo, & ratiocinatione, quam existimant se absoluere, vt ab omni parte à veritate abstracti sint. Vos verò obseruate diligenter conuersionem verni æquinoctij, quæ incidit in vicesimumsecundum diem mensis duodecimi, qui appellatur Dystros, & notate vsque ad vicesimamprimam lunam, ne in aliam hebdomadam incidat luna decimaquarta, & per errorem bis vnoquoque anno pascha agitemus, aut diem resurrectionis Domini nostri Iesu Christi alio die præterquam Dominico tantùm celebremus.*

Illos, qui cum catholica religione in paschate celebrando non conspirant, hæreticos sancti Patres pronunciant, & Christum crucifigentibus comparant. Ignatius ad Antioch. *Contestor Episcopo & Presbyteris in Domino, Si quis cum Iudæis celebrat pascha, aut symbola festiuitatis eorum recipit, particeps eorum est, qui Dominum occiderunt & Apostolos eius.* Et Philastrius Brixiensis in catalogo de hæresibus quæ sub Apostolis extiterunt,

titerunt, hæresi II. *Sunt & qui de die paschæ saluberrima ambigunt, asserentes decimaquarta luna celebrandum esse pascha, non sicut Ecclesia catholica celebrat, & mense Martio semper celebrandum asserunt: & cùm hoc faciunt, diem non semper Dominicum custodiunt paschæ, non computantes horas & dies, sed secunda aut tertia aut quarta aut quinta aut sexta die celebrant, & ex hoc errore non cognoscunt diem paschæ Domini nostri veram & salubrem vnam orbi terrarum statutam & confirmatam à Domino cursu numerali lunæ, mensibus, & embolismis, & cùm hæc non computant, ignorant quid celebrent.* & hæresi 39. *Alia est hæresis, quæ asserit cum Iudæis debere fieri pascha. isti in Galatia & Syria & Phrygia commorantur, & Hierosolymis: & cùm Iudæos sequantur, simili cum eis errore depereunt, & in hoc suum Iudæi confirmant mendacium, cùm peruident quosdam Christianos indoctos legis eorum magis sequi vanitatem, quàm regulam catholicæ veritatis, & nihilominus illi cùm istos celebrabant, vt consortes Iudæorum criminis & sceleris manifestantur, atque ab omnibus dignoscuntur.*

Duo quæ requirit Ambrosius scribens ad Episcopos per Æmiliam constitutos, epist. 83. necessaria sunt omnino vt paschæ diem reperiamus, & ritè seruemus, scilicet *decimaquarta luna, & primus mensis, qui dicitur nouorum.* quæ antè seruanda Deus Israeli præceperat lege data Exodi 12. Sed non ita, quasi quartadecima pascha celebrandum; sed vt eo indicio Dominica prodatur, quæ paschate solemnis sit. Dat exemplum Ambrosius: *Si incideret, sicut futurum est proximè, decimaquarta luna mensis primi die Dominica, quia neque Dominica ieiunare debemus, neque decimatertia luna die sabbathi incidente ieiunium soluere, quod maximè die passionis est exhibendum, in altera hebdomada celebritas paschæ est differenda. Siquidem sequitur decimaquinta luna qua passus est Christus, & erit secunda feria; tertia quoque feria erit decimasexta luna, qua Domini caro in sepulchro quieuit, cùm quarta etiam feria decimaseptima luna futura sit, qua Dominus resurrexit.* Pòst paulò obiecto à se scrupulo respondet: *Quòd si mouet, quia decimamquartam lunam transeuntes, quæ die Dominica incidit, hoc est decimoquarto Kalendas Maij, sequenti Dominica instaurandam celebritatem suademus; auctoritas extat huiusmodi. Nam temporibus paulò superioribus cùm incidisset decimaquarta luna mensis primi in Dominicam diem, sequenti altera Dominica celebrata est solemnitas; octuagesimo autem anno, & nonagesimotertio ex die imperij Diocletiani cùm decimaquarta luna esset* IX. *Kalendas Aprilis, nos celebrauimus pascha pridie Kalend. Aprilis. Alexandrini quoque, & Aegyptij, vt ipsi scripserunt, cùm incidisset decimaquarta luna & vicesimooctauo die Pharmutij mensis, celebrauerunt pascha quinta die Pharmutij mensis, quæ est pridie Kalend. April. ac sic conuenere nobiscum. Rursus nonagesimotertio anno à die imperij Diocletiani, cùm incidisset decimaquarta luna in decimumquartum diem Phar-*

mutij mensis, quæ est quinto Idus Aprilis, quæ erat Dominica die, celebratum est pascha Dominica, Pharmutij vicesimoprimo die, qui fuit secundùm nos XV. *Kalend. Maij.*

Ex dictis facilè aduerteris, Patres in Dominica paschæ festum celebrandum docere. & meritò: illa enim die Christus à mortuis resurrexit. Deinde Ecclesiæ traditio accedit; ac tertiò Deum ita velle ex Damaso constat in vita Pij, qui post Telesphorum sedit: *Sub huius*, inquit, *episcopatu Hermas librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus Domini, cùm venit ad eum in habitu pastoris, & præcepit ei, vt sanctum pascha die Dominico celebraretur. & tantum fidei verbo eius præstitum est, vt postea nusquam nisi die Dominico sanctum pascha celebretur.* Quod ita factum refert Pius ipse de consecr. dist. 3. atque id quidem ijsdem propè verbis, cum sanctione addita: *Vnde & nos Apostolica auctoritate instituimus, omnes eadem seruare debere, quæ & nos seruamus, nec debetis à capite quoquo modo discedere.*

Et pro quarta ratione esse poterat, paritas illa morum, & cæremoniæ præcipuæ: quam sibi curæ cordique esse Deus significauit, hoc facto apud Gregorium Cappadociæ presbyterum oratione de trecentis & octodecim Patribus; qui viderant pascha non vno tempore seruari, aliosque celebrare symbola salutaris resurrectionis, & alios quidem in tristitia, & lachrymarum profusione, & abstinentia à cibis versari, & vnà statuêre cum Imperatore Constantino decretum tempus, quod ab omnibus voluerunt subscriptum subsignatumque. Sed ecce duo sancti Episcopi decesserunt è vita Chrysanthus & Mansonius. quid facerent? *Cùm venissent ad communem locum in quo dormiebant, tamquam simul cum eis essent, & quæ dicebantur audirent; O Patres, dixerunt, & fratres, præclarum nobiscum certamen decertastis, cursum perfecistis, fidem seruastis; si ergo quod factum est, Deo gratum esse iudicastis. nunc enim puriùs cernitis, ne quid sit impedimento quo minùs vos quoque decisionem subsignetis. Hæc simul & dixerunt, & signata decisione sanctorum Patrum loco imposita, totam illam noctem insomnem peragunt in oratione. Die autem sequenti cùm venissent ad loculum, saluis quæ erant imposita signaculis cùm sanctam reuoluissent decisionem, inuenerunt sanctorum Patrum in eam immissas subscriptiones.*

Sigebertus in Chronico miraculum producit, quod testetur Deum id velle, vt legitimo tempore pascha agatur, ad annum 573. Hispani & Franci de pascha celebrando dissentiunt; Hispanis XII. Kalendas April. Francis verò decimoquarto Kalendas Maij pascha celebrantibus; sed Francos rectè celebrasse per hoc diuinitus claruit, quòd fontes in Hispania qui in sabbatho sancto paschæ ad baptizandum sponte

tè diuinitus repleri ſolent, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum paſcha repleti ſint. Alterum habet ad annum 417. *Quidam occidentales vltimo anno cycli decennouennalis pro emboliſmo communem annum tenentes, ac per hoc in paſcha celebrando aberrantes, diuino miraculo ad veritatem reuocantur. In vna enim Italiæ eccleſia, vbi annuatim ſabbatho ſancto paſchæ hora baptizandi, ſolebat aqua diuinitus manare, & ſtatim ex ſeſe redire nullo deductorio penitus apparente, nunc temperiùs iuſto, id eſt* VIII. *Kalen. Aprilis paſcha celebrantes, aqua non emanans expectatione totius diei ac noctis ſefellit; legitimo autem die paſchæ hora baptizandi aqua ſolito emanans,* X. *Kalend. Maij paſcha debere celebrari oſtendit.*

CAPVT VII.

Cœnaculum cuius erat, & vbi?

Hieroſolymis, nec alibi. Deuteron. 16. *Non poteris immolare phaſe in qualibet vrbium, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Et ibi ea feſtiuitate eſt Chriſtus perfunctus, Matth. 26. cùm ex Ieſu diſcipuli quæſiuiſſent, *Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei, Magiſter dicit: Tempus meum propè eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & parauerunt paſcha.* Videmus in ciuitate Hieroſolymitana cœnaſſe, idque in ædibus cuiuſdam: πρὸς τὸν δεῖνα enim miſſi Petrus & Ioannes locum impetrarunt. Etſi confusè nominetur, certum tamen Chriſtus deſignat, vt Hieronymus notauit, & quidem quem ille ſolus noſſet. Sed cur minùs edixit nomen? Ambroſius in Luc. 22. quia pauper erat, Chriſtum nomen prætcrijſſe putat: *Ideò ſine nomine deſignatur, vt pauper & ignobilis æſtimetur.* Cum his talibus Chriſtus ſua myſteria communicat; monetque, *Dignationem eius intuere, quia non domus perſonæ diuitis aut potentis eligitur, ſed pauperis ambitur, & anguſtum hoſpitium pauperis amplis nobilium ædibus anteſertur.* Sed contrà facit cœnaculum grande ſtratum fuiſſe, in quo Apoſtoli cum diſcipulis, & cum glorioſa Dei matre Virgine Maria Spiritum ſanctum in Pentecoſte acceperunt; & ſtratum ſtatim paratumque ad paſcha.

Beda hîc allegoricus eſt, neminem nominari, vt ſe omnes ad nouum Chriſti paſcha inuitatos intelligant. Idem in Marci 14. *Conſultò tam aquæ baiuli, quàm domini domus ſunt prætermiſſa vocabula,*

vt omnibus verum pascha celebrare volentibus, id est Christi sacramentis imbui, eumq́; suæ mentis hospitio suscipere volentibus, facultas danda significetur. Propiùs ad veri historicam similitudinem Euthymius accessit. Ne Iudas cognita domo ad Iudæos vitæ Christi insidiantes locum referret, illique præuenirent tempus, quo ipse capi vincirique voluit.

Proximè, qui ideò nomen volunt suppressum, vt se Christus Deum monstraret, cùm non nomine, sed graphicè per actionem futuram describeret. Beda. *Indicium præscientiæ diuinitatis est, quia cum discipulis loquens, quid alibi futurum sit, nouit.* & discipulis ignotum, sibi notissimum designat quasi ob oculos. ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Audi verba Marci 14. *Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit,* &c. Lucas fusiùs & planiùs c. 22. *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi magister: Vbi est refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cænaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt, sicut dixerat illis.*

Sic Saulem Samuel de regno ad quod ineundum eum vnxerat, certum fecit 1. Reg. 10. *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem. cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin in meridie, dicentq́; tibi, Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis solicitus est pro vobis, & dicit; Quid faciam de filio meo? Cumq́; abieris inde, & vltrà transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cumq́; te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum: & cùm ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum & tibiam & citharam, ipsosq́; prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est,* &c. Quæ insignis figura Christi est, prophetantis futura, vnde discipuli colligerent certò, ipsum sponte liberaturum Israel per passionem & crucem.

Licet autem discipuli tum ignorarint, quis homo is fuerit; postea tamen, cùm in ædibus eius cœnarunt, sciuerunt. An ergo quis fuerit nominatim possimus venari? non putem. Nam quod Amalarius eas ædes Iosepho ab Arimathia adscribit, vix fidem facit, saltem non meretur.

retur. *Multos discipulos Christi doctrina habebat, de quibus erant illi centum & viginti, qui die pentecostes simul inuenti sunt in vna domo; de ipsis erat Ioseph ab Arimathia discipulus Iesu, occultus propter metum Iudæorum, & ipse baiulator aquæ, qui suscepit eum in cœnaculo suo; cui Dominus mandauit: Dicit tibi Magister*, &c. Cùm enim dicatur Matthæi 27. *Homo diues ab Arimathia nomine Ioseph.* & Marci 15. *Nobilis decurio.* Lucæ 23. *Decurio vir bonus & iustus.* qui audacter cùm Pilatum præsidem adijsset corpus Iesu petijt, non iuerit per vrbem lagenam baiulans vel amphoram portans. Certè Scriptura repugnat, quæ discriminat inter baiulantem, & dominum domus, inter portantem & patremfamilias. Lucæ 22. *Sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias.* Marci 14. *Et quocumque introierit, dicite domino domus.* Eadem in naui est Ambrosius in Lucæ 22. & baiulum aquæ cum magistro domus confundit. *Vtinam mihi contingat amphoram aquæ portare, contingat lagenam aquæ portare, quam portat paterfamilias, habens in superioribus stratum magnum. Quid est enim amphora, nisi mensura perfectior*, &c. Et Alexander monachus in Barnaba: *Traditione à maioribus accepimus, lagenæ aquæ baiulum Marcum huius Mariæ filium fuisse: quòd autem Dominus illum non nominarit, sed dixerit, Ite ad quemdam, prouidentia quadam factum est, sicut Patres sancti locum hunc interpretantes dixerunt, vt re obscurè dicta hoc nos doceret, Dominum Iesum apud eum diuersari, qui se paratum præbet.*

Minùs credendum domum Ioannis Euangelistæ fuisse, quod Nicephorus putauit l. 1. hist. c. 28. *Sub hæc cœna paratur in domo, vt aiunt, Ioannis Euangelistæ, quam ille possessione sua (non exigua autem ea erat in Galilæa) Cayphæ eius temporis Iudææ pontifici vendita, cuius gratia etiam illi notus extitit, sicut ipse alicubi sacro suo testimonio astruit, in locis circum Sion montem sitis, comparauerat. Illi igitur discipuli apud hominem certum, priusquam azymorum instaret dies, ita vt illis mandatum præscriptumq́; fuerat, legis pascha instruunt.* Hanc sententiam probabilem reddunt ex Hieronymo, qui epist. 16. propter generis nobilitatem pontifici notum adstruit. Et confirmatur Marci 1. *Et progressus inde pusillum vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui, & statim vocauit illos, & relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum.* Ex quibus faciunt nobilem diuitemque fuisse. Sed quis credat, virum nobilem & opulentum se piscationi dedisse? quia dedecere se putant nobiles, vel in familia designari qui mechanicam faciant: Ioannem verò concedere possumus, Apostolis alijs familiari recula præstitisse, & mercenarios, id est operas diurnas habuisse.

Iisdem de causis nec placet quod Hippolytus Thebanus antiquus scriptor

ſcriptor in chronico memoriæ prodidit, nempe domum fuiſſe Zebedæi patris Ioannis Euangeliſtæ. Sed refellitur iiſdem argumentis. Deinde filius deſtinaretur ad patrem tanquam ad quemdam? Clarè dixiſſet Chriſtus, Ioannes, i cum Petro ad ædes paternas; quæ commoda oratio fuiſſet impetrationi.

Nec Priſci vnius ex ſeptuaginta diſcipulis, vt Petrus de Natalibus l. 8. catalogi c. 7.

Nec Ioannis Marci, vt Gregorius Nazianzenus ſiue Apollinaris, Chriſto patiente.

Ἴτ' ἴτε κἀπίωμεν ἡσύχῳ βάσει
Εἰς δῶμ', ἐν ᾧ θηλυγενὲς μένει γένος,
Μήτηρ ὅπη μάλιστα Μάρκου Μαρία,
Μύστην ὅπου θίασον οἶμαι συντρέχειν.
Κἀκεῖ μενοῦμεν γλυκεροῦ φάους δρόμον.
Ἢ μᾶλλον ἀπίωμεν εἰς παιδὸς νέου,
Ὅν μοι τέθεικεν ὑὸν ὑὸς μου μόνος.
Eamus hinc citis ſilentes greßibus
Aedes petendo feminæ, in quibus manent
Vt hoſpites cum matre Marci Maria,
Quò & conuolabit, vt reor, ſacer chorus,
Ibiq́; dulcem præſtolabimur diem.
Potiusq́; eamus in noui nati domum
Quem filius mihi arrogauit vnicus.

Vbi domus Ioannis Euangeliſtæ mentionem inſerit; & Alexander Monachus laudatione in S. Barnabam, apud Metaphraſtem 11. Iunij, occaſionem narrat initæ amicitiæ & familiaritatis Mariæ cum Chriſto. *Accidit vt tempore illo Dominus Ieſus Chriſtus Hieroſolymam veniret, & paralyticum in probatica piſcina ſanaret, aliaq́; ſigna multa & prodigia in templo ederet. Illa omnia cùm Barnabas vidiſſet, obſtupuit; & ſtatim ad Chriſti pedes ſe abiecit, eumq́; precatus eſt vt illi benediceret. Chriſtus autem qui cor hominum & animum inſpicit, Barnabæ fidem gratam habens, beneuolè ipſum accepit, & diuini ſui congreſſus eundem participem fecit. quare ad Chriſti charitatem magis accendebatur. Quamprimùm verò adijt domum Mariæ matris Ioannis, qui Marcus poſtea dictus eſt: quæ Maria eius matertera eſſe dicebatur, quamobrem & Marcum Barnabæ conſobrinum appellabant. Illam cùm adijſſet; Age, inquit, mulier, veni, & vide, quem patres noſtri videre concupiuerunt. Ecce enim Ieſus quidam propheta è Nazareth Galilææ in templo eſt magna edens miracula, qui multis videtur venturus Meſſias. Hæc cùm mulier audiſſet, relictis omnibus quæ in manibus habebat, templum adijt, vbi cùm Ie-*

ſum

ſum templi Dominum reperiſſet, aduoluta pedibus, ſic precabatur: Si gratiam inueni, ô Domine, in conſpectu tuo, veni ad domum ancillæ tuæ, vt ingreſſione tua famulis benedicas. Petenti Chriſtus annuit, illaq́; læta venientem excepit in cœnaculum. Ex illo igitur die quoties Dominus Hieroſolymam veniſſet, illic vnà cum diſcipulis diuerſabatur, quibuſcum & paſcha illic fecit, vbi & myſteriorum ſacramenta diſcipulos edocuit. A maioribus traditione accepimus, lagenæ aquæ baiulum, quem Chriſti iuſſu diſcipuli ſequebantur, Marcum huius Mariæ filium fuiſſe, &c. *in illo igitur Dominus paſcha fecit, in illo apparuit Thomæ Apoſtolo,* &c.

Theophylactus has ædes Simoni leproſo aſſignat: *Simonem autem hunc leproſum quidam dicunt fuiſſe patrem Lazari, quem Chriſtus à lepra purificauit, & apud eum cœnauit. Dicitur autem, quòd & Ieſus, qui dixerat diſcipulis ſuis: Abite ad quemdam, & oſtendet vobis cœnaculum ſtratum, ad illum miſerit eos, denique & ſuſcepit, vt dicunt, Dominum, qui & apud illum perfecit paſcha.* Quî poteſt præterire textum in quem commentatur, niſi clarè ſibi imponi videat? in Bethania enim Simonem moratum Matthæus aſſerit; Chriſtus ergo extra Hieroſolymas immolarit?

Audiendum ergo cenſeo Victorem Antiochenum ex Marci 14. v. 12. ſic ratiocinantem: *Hic manifeſtum fit, Dominum nullum proprium domicilium habuiſſe, aut diuerſorium; idem de illius diſcipulis citra temeritatem dici poteſt, vt qui iam dudum antea omnibus abdicaſſent.* Etenim *terrenas foueas*, inquit Bonauentura, *cõmutarant in æternas aulas.* omnia reliquerant vt Chriſtum ſequerentur, etiam retia: vnde facio nulli domum fuiſſe; & Chriſtum ad externum quempiam diuertiſſe. Et fortè quidem omnium optimè Damaſcenus orat. 2. de dormitione Virginis, & 4. fidei orthodoxæ 14. coniecit, *in ſanctæ & illuſtris Sion cœnaculo*, quo Herodes vti deſtinarit paſchatis celebrandi ergo, ſed aliò Dei voluntate declinarit. ita Eraſmus Stella, quod eum velim ex antiquiori quopiam auctore probaſſe.

Cœnaculum hoc magna Turcis eſſe in veneratione hinc conſtat, quòd Olikæ Dux cùm anno 1583. Hieroſolymis eſſet præter morem, (excludunt enim vniuerſim Chriſtianos) fortè fortuna ſit ingreſſus. *In ingreſſu autem*, inquit ille epiſt. 2. *ſtatim calceos abiicere coacti ſumus, qua etiam cæremonia Turcæ moſcheas ingredientes vti conſueuerunt. Admoniti quoque fuimus ne in terram deſpueremus, nam Turcæ locum hunc in maxima habent veneratione, aſſerentes Chriſtum in hoc cœnaculo magnam quandam cum Apoſtolis cæremoniam peregiſſe, qui poſtea ſingulari quodam miraculo linguas igneas ſuper capita accenſas portabant: creduntq́; ibidem ſanctum Spiritum in diſcipulos miſſum, vt Actorum* 2. Cœnaculi huius meminit Burchardus c.

7. §. 47. statuitque à Caiphæ domo quantum iactus est lapidis contra Austrum. Beda de locis in montis Sion superiori planitie prope templum ab Apostolis fundatum, vel ab Helena, vt l. 8. c. 30. Nicephorus, in cuius postico domum illam circumclusit.

CAPVT VIII.

Ritus phase.

PRima institutione cùm ex Ægypto Israel excederet, sic præcepit Deus seruari pascha Exodi 12. *Decima die mensis huius, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus vt sufficere poßit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui iunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hædum. Et seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius: immolabitq́ eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni: caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis. Nec remanebit quicquam ex eo vsque manè. si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter,* &c. *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris,* &c. *Vocauit autem Moses omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos, Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate phase. Fasciculumq́ hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem: nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ vsque mane,* &c. *Custodi verbum istud legitimum tibi, & filijs tuis, vsque in æternum. Cumq́ introieritis terram quam Dominus daturus est vobis vt pollicitus est, obseruabitis cæremonias istas.*

Notat piam quorundam commentationem Adrianus Hoffstadius in Eucharisticis: *Quidam speculantur ita historiam contigisse. Agniculum mactabant circa introitum & ostium domus, & tunc excipiebant sanguinem illius pelui, aut phiala, & quidem argentea vel deaurata, qui diuites erant, alij alio quopiam vase: tum accipiebant fasciculum hyssopi, & intingebant in sanguinem*

guinem adhuc calentem, & aspergebant superliminare ostii, & duos postes, qui ferè ex ligno fiunt. Contemplantur autem nonnulli aspersionem illam factam in modum crucis: nam supernè in superliminari ponebant sanguinem, qui inde defluens in terram faciebat velut longitudinem, erectam trabem crucis: deinde ponebatur super vtrumque postem, non in longitudine, sed in latitudine, & sic exponebant brachia crucis lignum transuersum. quod pium est & credi potest contigisse.

Quia mandarat Dominus ad agni ritum etiam hœdum tollerent, apud Nicolaum Lyranum, quidam duplicem immolationem præceptam intelligunt. Et fuisset *vna agni, qui immolabatur decima die in qualibet domo, alia hædi, qui à decima die seruabatur vsque ad quartamdecimam diem, in qua ad vesperam immolabatur, non in singulis domibus, sed à tota multitudine filiorum Israel. Sed hoc patet falsum, quia de immolato decimoquarto die dicitur, quòd debebant filij Israel comedere carnes assas, & in singulis domibus de sanguine immolati ponere in superliminari, & super vtrumque postem, vt patet ex textu sequenti. Certum est autem quòd carnes vnius hædi, & sanguis nullo modo sufficerent ad prædicta*: quare agno hœdum supponere licuit, agni ritu immolandum. Nec enim de duplici immolatione mentio est Exodi 12. sed tantùm innuitur, vt cui agnus deesset, licuisse hœdum immolare illius loco. ita Theodoretus q. 24. in Exodum. vnde meritò ita sentientes à Lyrano & Tostato reprehenduntur.

Sed cur decima die agnum iussi sunt accipere, quem quarta tantùm decima immolabant? Duplici de causa Lyra putat factum. *Vna, quia filij Israel erant occupati in præparando se ad recessum de Aegypto cum omnibus quæ habebant, in qua præparatione requirebatur magna sollicitudo & distractio, ideò ne hoc darent obliuioni, accipere agnum vel hædum in die immolationis, præceptum fuit tunc quòd acciperent per quatuor dies antè. Secunda causa fuit: vt in illis quatuor diebus viderent per experientiam, si in illo agno vel hædo accepto esset aliqua macula, id est, defectus, propter quem non deberet immolari, & sic de alio sibi prouiderent. & ideò dicunt Hebræi, quòd talis præacceptio per quatuor dies non obligabat in futurum, nec fuit obseruata in annis sequentibus, quia prædictæ causæ cessauerant; quod manifestè patet de sollicitudine pro exitu. Similiter etiam de cognitione maculæ, quia per assuefactionem iugis sacrificij, quo quotidie immolabatur vnus agnus sine macula manè, & alius vespere, statim de facili poterant cognoscere, si in animali accepto esset macula, vel impedimentum prædictæ immolationis.*

CAPVT IX.

Erotemata de ſacerdote, cœnatoribus, ſitu, lotione in phaſe.

PRIMVM. Quis ritè agno paſchate faciebat? Claudius Sainctesius repetitione 1. Euchariſtica c. 7. credidit Hieroſolymis obtinuiſſe, vt vulgò agni ad ſacerdotes in templum adducerentur ab ijs iugulandi, qui vbi viſcera adoleuiſſent, aſſandos comedendoſque remiſiſſent ſingulis in ædes. Sed contrà faciunt ſcientiſſimi Hebræorum rituum, Philo l. de decalogo: *In paſchate, quando populariter ſinguli ſacrificant, non expectatis ſacerdotibus, ipſi permiſſu legis fungentes ſacerdotio quotannis per vnum diem, huic negotio deſtinatum.* Et l. 3. de vita Moſis: *Paſchali tempore non vt aliàs, plebeÿ homines victimas adducunt ad altare mactandas à ſacerdotibus, ſed iubente lege tota gens ſacrificat, dum per ſe mactat quiſque hoſtiam ſuis manibus.* Item Iſidorus Peluſiota l. 3. epiſt. 75. *In veteri lege nemo poterat ſacerdotio fungi niſi ſacerdos, in paſchate tamen omnes ſacerdotÿ honorem conſequebantur.* Et claro clarius Scriptura Exodi 12. *Immolabitq́ eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam, & edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes,* &c. Ibidem: *Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud.* quaſi dicat, Qui immolabunt edent, nempe omnis cœtus filiorum Iſrael. Ita hunc locum, vt Dionyſium Rikelium 2. Paralip. c. 30. & Marcellum de tempore horarum Canonicarum c. 71. num. 11. Cardinalem Bellarminum l. 1. de Miſſa c. 7. alioſque prætercam, interpretatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. c. 1. Et verò rationes grauiſſimæ mouent. Vnde enim Leuitici ſacerdotes cùm excederent Ægypto? nondum certè erant inſtituti. Deinde vt fuiſſent, quemadmodum poſtea fuerunt, quî tantilla morula, ſub veſperam ſcilicet, potuiſſent mactandis 255600. ouibus, ijſque exenterandis, viſceribus adolendis, ſanguine tingendis ædium poſtibus pares eſſe? nam vt Rabbi Rambam in Korban: *Iidem hîc cenſebuntur, & qui mactauit, & qui aſperſit, & qui adoleuit inteſtina.*

Dices, Bachiarium de recipiendis lapſis ad Ianuarium, non aliunde Aaroni adſtruere ſacerdotium, quàm quòd agno paſchali feciſſet, videri proinde ſacerdotes omnes dicendos quotquot agnum immolaſſent. nec etiam de minori nota, cùm primum eſſet, ſummumq́ue ſacrificiorũ. Reſp. *Moſen & Aaron in ſacerdotibus eius.* Sed non hunc tantùm hoc nomine quòd paſcha immolarit, ſacerdotem dici, verùm quia

id muneris ei diuinitus eſſet impoſitum, & de more obibat, Exodi 28. *Vt ſacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.* Dices 2. 2. Paralip. 30. dilatum paſcha in menſem ſecundum. *Non enim poterant facere in tempore ſuo, quia ſacerdotes qui poſſent ſufficere ſanctificati non fuerant.* eo faciebat Leuitarum incredibilis multitudo, vt penè honeſtiores proprium haberent, Deuteronomij 16. *Et epulaberis coram Domino Deo tuo tu, filius tuus, ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui infra portas tuas, & pupillus, & vidua, qui morantur vobiſcum.* Confirmatur 1. Eſdræ 6. *Fecerunt filij Iſrael tranſmigrationis paſcha quartadecima die menſis primi, purificati enim fuerant ſacerdotes & Leuitæ quaſi vnus: omnes mundi ad immolandum paſcha vniuerſis filiis tranſmigrationis,* &c. *Et comederunt filij Iſrael, qui reuerſi fuerant de tranſmigratione.* Reſp. Paſchæ dici immolationem & ſacrificium, tum quod de agno, domi in paſchate, tum quod in templo per inſequentes dies fiebat. Prius per ſingulas ædes perficiebatur. Gaudentius Brixienſis tractatu 2. in Exodum: *In vmbra illius legalis paſchæ non vnus agnus occidebatur, ſed plures, ſinguli enim occidebantur per domos. nam ſufficere vnus non poterat.* Et populus Iſrael vniuerſus, ſiue patresfamilias offerebant. teſtes Philo, Ioſephus, Peluſiota. Poſterius ſacerdotes ſoli.

Vt ergo breuiter rem contraham, ἐνήμεροι ſacerdotes, ſiue vnidij erant, vt olim Romanis conſul fuit.

Secundum. Qui & quot cœnatores? Reſpondet Ioſephus, infra decem eſſe, non licuiſſe: *Per ſingulas hoſtias contubernia non pauciorum quàm decem fiunt; ſolum enim epulari non licet, multi etiam vicini conueniunt.* Inde ex hoſtijs vniuerſum numerum cœnantium Iſraelitarum init. *Hoſtiarum quidem* 200. *&* 56. *millia, &* 500. *numerauère. Fiunt autem, vt denos epulatores per ſingulas imputemus, vicies centena & ſeptingenta millia. Sancti omnes & puri.*

Chriſti Cœnæ duodecim interfuerunt, qui vnà cœnabant, Chriſtus ſcilicet & Apoſtoli duodecim, pro famulis alij erant; inter hos Amalarius Fortunatus recenſet l. 3. de officijs Eccleſiaſticis c. 22. Chriſti diſcipulos, qui *ſiue eſſent corporali poſitione in cœnaculo quando Dominus cœnauit, ſeu non forent, tamen eius obſequio non deerant, ſicut is non defuit, qui ſtrauit cœnaculum magnum.* B. Aurelianus Lemouicenſis Epiſcopus in vita B. Martialis, à quo ipſe à morte reuocatus illius auditor & ſucceſſor fuit, Martialem cum Cleopha nominatim exprimit.

Verùm creditu difficile eſt, cùm conſtet Martialem non fuiſſe Iudæum, & communis ſit antiquorum opinio, Chriſtum non habuiſſe inter diſcipulos aut ſibi miniſtrantes alios à Iudæis. Veroſimilius eſt,

quod Metaphrastes oratione de vita Deiparæ prodidit in hæc verba: *Videntur non abfuisse à tempore mysteriorum, sed cum Apostolis minimè accubuisse, fuisse tamen eius domus participes. Nam Christus discipulos habuit accumbentes, matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ipsi ministrabant, tamquam per eam eas excipiens, & cum eis vescens, & sic referens eis gratiam pro ministerio.* Vult ergo matrem cum mulieribus iisdem in ædibus, ac eodem tempore, discretis tamen cœnaculis cœnasse.

TERTIVM. Quo situ cœnabant? Accubuisse censet Cæsar Baronius, & stationem antiquatam ab exilio Babylonico. Franciscus autem Ribera sacris litteris enodandis natus, l. 5. de festis Hebræorum c.3. non satis capit, suspicari aliquem eos stetisse. Primo, quia nullo textu, nec græco, nec hebræo id inuenitur. Secundo, Ioannes c. 13. de multorum consensu locutus fuit de cœna agni: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* &, *cùm recubuisset iterum, dixit eis.*

Vt Cardinali Baronio fiat satis; hoc dicam. Si ad Babylonicum exilium soliti sunt stare, signum est inter cæremonias vt starent habuisse; lex enim dicit: *Custodi verbum istud legitimum tibi, & filiis tuis, vsque in æternum.* Non fuit ergo in potestate eorum quicquam mutare.

Deinde Riberæ; A Philone nos id habere, l. de sacrificio Abel & Cain, qui docet stetisse. Et alludit ad stationem Apostolus ad Ephesios 6. *State succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in præparationem Euangelii pacis.* Deinde non accubuerunt cùm egrederentur Ægypto: ergo nec in cœna Christus accubuit, quia tenacissimus traditionum verarum, & legis. Quorsum item calceamenta in pedibus, nisi deturpandis thoris, & baculi in manibus, qui edentibus impedimento forent cùm accumberent?

In Ioanne nulla est difficultas, quia eum locum Augustinus de consensu Euangelistarum, sic explicat: *Peracta paschali cœna, & communi incepta, illis cœnantibus surrexit Christus, & lauit pedes discipulorum.* Vnde ex Augustino nota, plures cœnas in vna fuisse: Primam paschalem: Secundam communem, siue vulgarem: Tertiam Eucharisticam. de posterioribus infrà pluribus. In paschali Christus stetit, in communi & Eucharistica accubuit, & hanc cœnæ diuisionem tractatu 55. in Ioannem iteratò agnoscit.

QVARTVM. An illoti adstiterint mensæ? Propè certum, ante cœnam etiam agni lotos. Primò: quia *puri & sancti* de agno edebant. Secundò: Rituale Hebræorum docet secundò lotos. Tertiò, cùm Petrus Christo lauaturo difficultatem faceret, & monitus tandem resipisceret, seseque totum lauandum offerret, Christus dixit: *Qui lotus est,*

est, non indiget nisi vt pedes lauet. quasi dicat, Lotus es initio cœnæ, nunc supersunt lauandi tantùm pedes. Quarto, suadet nimia frequentatio baptismatum calicum, manuum, pedum, totius corporis ad tædium. Crediderim à cœna agni iterum lotos, quia id solens fieri. Romani interdum post singulos missus lauerunt. Lampridius in Heliogabalo: *Exhibuit aliquando tale conuiuium, vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, & per singula manus, quasi iam comedissent, lauarent.*

CAPVT X.

Superstitiosa paschatis obseruatio.

ARmenos eâ laborare S. Nicon refert, libro de eorum erroribus: *Agnum magno Dominico sacrificant, & limina inungunt, & eius ossa comburentes, seruant cinerem cum sanguine in signum expiationis, & velum ante altare statuunt, & tintinnabula ipsi & altari appendunt, quin etiam pro mortuis ouium & boum sacrificia peragunt, nec defunctum aliter seruandum existimant, nisi tertiis & nonis & quadragesimis eius diebus eiusmodi sacrificia peracta fuerint. antequam autem huiusmodi sacrificia peragantur, sal benedicentes dant bestiis in nutrimentum, & super earum etiam capita dicunt quasdam orationes, & eas mactant.* Directè contra legem, sanguinem seruant in diem sequentem. reliqua quæ addunt ipsi de suo confinxerunt.

Munozius verò dicit se vidisse in synagogis ritum hunc: *Decimaquarta luna, quæ Hebræis dicitur Chol, id est, dies laboris, fit præparatio ad esum agni futurum in nocte eiusdem lunæ decimæquartæ, & per sex horas ante noctem voce præconis iubentur delere omne fermentatum, & intra sex horas sequentes, delent eum panem, & mactant agnum. Deinde illum ab hora sexta prope occasum incipiunt assare. tandem à prædicta hora vsque ad ortum stellarum comedunt cum acetario ex picride. Dicitur enim Exodi* 12. *Num.* 9. *comedendum agnum cum lactucis agrestibus.* Superstitiosè & hi pascha celebrant, imò contra Dei præceptum. Deuteron. siquidem 16. prohibentur immolare phase extra locum, quem elegerit Dominus. Fœdiùs Christiani faciunt, & nisi simplicitate excusentur, impiè, de quibus Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 18. *Quorumdam simplicium error de iudaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra vsque tempora, quædam vetustatis extendens vestigia, iam ex magna parte sapientum studio compressus est. Et sicubi adhuc perniciosum huius pestis germen reuirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum: illum dico errorem, quo quidam agni carnes in pascha,*

iuxta

iuxta vel ſub altari eas ponentes, benedictione propria conſecrabant, & in ipſa reſurrectionis die ante ceteros corporales cibos de ipſis carnibus percipiebant. cuius benedictionis ſeries adhuc à multis habetur. Quod quàm ſit ſuperuacuum, & à Sacramentis Chriſtianæ perfectionis abhorrens, facilè percipit, qui veraciter intelligit, quòd paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & vult epulari non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

CAPVT XI.

Quid paſcha? Cur inſtitutum?

SParſimus moralia, ſed parciùs, vberiùs modò daturi; vt in littera non ſemper hæreat, ſed ſpiritu animus viuificetur.

Quid ergo paſcha? Tranſitus. hunc *anima rectè celebrat*, ait Dorotheus Abbas doctrina 22. *cùm egreditur à cogitationibus Aegypti, hoc eſt à peccato. Quoties enim digreditur anima à peccato, toties Domino celebratur phaſe, vt aiebat Euagrius: phaſe enim propriè digreſſio eſt à malo.* Auguſtinus in Ioan. tractatu 55. ad eum nos hortatur, & aduocat: *Agimus ſaluberrimum tranſitum, cùm à diabolo tranſimus ad Chriſtum, & ab iſto inſtabili ſæculo, ad eius fundatiſſimum regnum. ideò quippe ad Deum permanentem tranſimus, ne cum mundo tranſeunte tranſeamus.* Deinde, *Ecce paſcha, ecce tranſitus, vnde, & quò? de hoc ſcilicet mundo ad Patrem. Spes membris in capite data eſt, quòd eſſet illo tranſeunte ſine dubio ſecutura. Quid ergo infideles, & ab hoc capite, atque eius corpore alieni? Nonne & ipſi tranſeunt, quia non permanent. tranſeunt planè & ipſi. Sed aliud eſt tranſire de mundo, aliud ad Patrem, aliud ad hoſtem. Nam & Aegyptij tranſierunt; non enim perſequendo manſerunt, non tamen pertranſierunt per mare ad regnum, ſed in mari ad interitum.*

Strauit illum nobis Chriſtus, ſed cùm ipſe tranſiuit. Eligius Nouiomus homil. 4. de cœna Domini: *Suo paſchate, id eſt, tranſitu ex hoc mundo ad Patrem, nos de vitiis ad virtutem, de terrenis ad cæleſtia, de caducis ad æterna tranſire docuit.* magno fructu noſtro & commodo: quod aduertet, qui cum B. Eligio vmbraticum paſcha penitiùs fuerit intuitus: *Paſcha præfiguratiuum, in quo agnus ille legalis ſine macula iubebatur immolari, eiuſq; ſanguine poſtes & ſuperliminaria domorum ſignari, vt filij Iſrael ſic ab exterminatore liberari poſſent, verum præfigurauit paſcha, quo noſter agnus Dei Chriſtus, ſine macula peccati conceptus, natus, & conuerſatus, pro ſalute noſtra eſt immolatus, & ſic ſuum ac noſtrum paſcha ſacrauit, quando ex hoc mundo ad Patrem tranſiuit.*

Iterari sæpiùs poteſt & frequentari. Cæſarius Arelatenſis homil. 5. de paſcha. *Iterum phaſe agitur, iterum paſcha celebratur, iterum de ſeruitute ad libertatem, de iniquitate ad iuſtitiam, de culpa ad gratiam, de morte ad vitam per ſalutifera fluenta tranſitur. Potes iterum excelſi brachij antiqua rubri maris exercere miracula. Ingreditur anima vitales vndas, velut rubras Chriſti ſanguine conſecratas: ingreditur mortiferis plena debitis, paulò pòſt felicibus peccatorum ditanda naufragiis; in vno eodemq́ vndæ ſalutaris elemento, tamquam Aegyptius peccator perit, tamquam Hebræus iuſtitia tota permanſit.*

Modum docet Ancelmus in Matth. 26. quem tenere debemus: *Quicumque voluerit paſcha Domini celebrare, debet ſequi baiulum aquæ. Aqua ſignificat gratiam Spiritus ſancti: vnde alibi dictum eſt, De ventre eius fluent aquæ viuæ; hoc autem dicebat de Spiritu ſancto. Baiulus aquæ deſignat prædicatorem, qui debet omnibus gratiam ſpiritualem propinare. Lagena autem ſignificat fragilitatem Prædicatoris, de qua ait Apoſtolus: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Qui ergo vult celebrare paſcha Domini, ſequetur prædicatorem, qui ducet eum ad domum Eccleſiæ, in qua ſibi oſtendetur à domino domus, hoc eſt, à Prælato Eccleſiæ, vbi debeat celebrari paſcha Domini; demonſtrabit enim ei cœnaculum magnum. Cœnaculum quod in alto eſt, altitudinem myſterij Sacramentorum Dei ſignificat. Qui ergo vult celebrare paſcha Domini, oportet vt illud in alto celebret, non in imo. In alto illud celebrat, qui aliud in ſigno, id eſt in agno, quàm pecus intelligit, nec ſolas figuras veteris legis obſeruat. In imo paſcha facit, qui ſolas figuras legis recipit, & nihil ſpirituale ſub eis intelligit. Ideò & baiuli, & domini domus ſunt prætermiſſa vocabula, quia ſine nominibus adhuc eorum erant ſignificata: nullus enim honor erat Chriſtiani nominis, nec Prælatorum, nec Prædicatorum.*

CAPVT XII.

Agnum edebant in vna domo plures, anniculum cum azymo.

DOmus vna Eccleſia eſt, qui ex illa ſunt, ſoli illi, vnique de Agno qui tollit peccata mundi, edere poſſunt. Cæſarius Arelatenſis homilia 6. de paſcha: *Quid eſt, in vna domo? id eſt, in vnitate Eccleſiæ, iubemur carnes eius aſſumere. Arriani ergo, & diuerſæ hæreticorum peruerſitates, non in vna illum comedunt domo. Quare ſicut in diluuio non eſt ſaluatus, niſi qui in arca Noe fuit inuentus, ita diuerſæ fidei homines extra*

Ecclesiæ domum, non habentes agnum, qui Christus est, salui esse non possunt. Sed nec parte aliqua donare eos qui foris sunt, licet. D. Algerus li. 1. de Sacramento c. 22. *In vna domo agnus comedi, nec inde aliquid efferri præcipitur, quia cùm extra Ecclesiam non sit verus locus sacrificij, quantiscumque polleat moribus quis, non ritè dat, vel sumit agnum, nisi Catholicus vnitatem Ecclesiæ seruans, tam fide, ne sit hæreticus; quàm obedientia, ne sit schismaticus. Vnde Hieronymus in Isaiam, Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, qui non foris, sed intus, & in domo vna comeditur.* Diuidi ille non potest, vt Apostolus monet, aduocandi ergo alij. hoc Procopius Gazæus obseruauit commentario in Exodum: *Si fuerint pauciores, quàm vt sufficiant ouiculæ manducandæ, arcessantur propinqui & vicini; qui enim rudiores & infirmiores fuerint, quàm vt capiant mysterium Christi, confirmabuntur in vera agnitione, nacti eiusdem religionis auxiliarios. Sic enim Eunuchus audiens Philippum disserentem, plurimum in intelligenda prophetiæ obscuritate adiutus est, cùm illum ceu vicinum assumeret. Omnes siquidem vicini & propinqui sumus, si spectes fidei sinceram religionem.* Aliud adhuc est congregari per familias, nimirum eodem Patre teste, *Vnumquemque nostrûm sic ad hanc mensam accedere; vt nullo rancore, odio, simultate ab eo qui eiusdem secum Christi familiæ est, diuidatur; sint quasi vnius eiusdem tecti. Nam cùm omnes ad hoc vt summum dilectionis pignus veniant, quomodo ab inuicem diuisi accedent?*

Quid mensæ apponitur? Agnus, qui accipitur, inquit Gregorius Nazianzenus orat. 42. *Propter veteris nuditatis indumentum: talis est enim victima illa pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum, vt reuera est, appellatur: perfectum autem non modò propter diuinitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idemq; effectam, quod id à quo vncta est, atque vt audacter loquar, ὁμόθεον. Masculus autem, vt qui pro Adamo potissimùm offerebàtur, ac firmum quidem illum & robustum, sed tamen primum in peccatum lapsum firmitate ac robore superet; nihilq; omnino muliebre, nihil molle atque effeminatum gestet: verùm & virgineis & maternis vinculis pro potestate, ac violenter eruperit, & masculus, vt annunciat Isaias, ex prophetissa natus sit. Anniculus porrò, vt sol iustitiæ, vel è cælo progrediens, vel quantum ad partem eam quæ oculis cernitur, circumscriptus ac definitus, & ad seipsum rediens, atque item vt benignitatis corona benedicta, omniq; ex parte sibi similis & æqualis: ac propterea vt virtutum, quæ amicitiæ ordinisq; lege leniter placideq; inter se coniunguntur & commiscentur, orbem progignens. Immaculatus insuper & incorruptus, vt qui næuos ac vitia, & sordes à peccato manantes curet. Quamuis enim peccata nostra susceperit, & morbos portauerit, ipse tamen nihil eorum, quæ curationis*

indigent, perpessus est: tentatus enim est per omnia pro similitudine nostra, cæterùm absque peccato.

Est autem hic agnus Christus, vt vidimus, sed clariùs etiam multo, ex Nicetæ discursu, cùm ad superiora Nazianzeni commentatur: agnum siquidem ostendit Christi figuram esse, ob simplicitatem & innocentiam. cùm ad lanienam trahitur, non vociferatur; cùm tondetur, non clamat. Sic Christus Isaiæ 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Deinde ouis lanea nobis indumenta suppeditat, & Christus pro nobis mactatus indumentum efficitur immortalitatis, nempe per baptismum. Denique agni vnius anni spatio in integram ætatem adolescunt, eaque perfecta est. Allegoricè Christus perfectus Deus, & perfectus homo est. Verè masculus. Eligius Nouiomus homil. 14. *Quia in Christo nulla mollities peccati fuit, sed omnia in virtute spiritus, tam doctrina, quàm opere exercuit. idem quoque anniculus, id est perfectæ ætatis extitit, quia cùm esset* 33. *annorum, suam passionem expleuit, verè sine macula alicuius vitij.*

Panis vnà debet comedi, vt Leuitici 8. lex præcipit. Hesychius l. 2. in Leuitic. *Vt nos intelligeremus mysterium, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis viuus, qui de cælo descendit.* Isque azymus. Eligius: *Edendæ sunt carnes istæ cum azymis panibus, & lactucis agrestibus. Azyma dicimus absque fermento, fermentum verò malitiam designat & dolum. absque fermento igitur agnum comedimus, si sacram Eucharistiam sine malitia, dolo & simulatione in sinceritate bonæ vitæ percipimus. Lactuca quoque agrestis valdè amara est, & in viris luxuriam reprimit: significat autem hoc vt quando ad corpus Christi, qui verus agnus est, sumendum accedimus, quamuis de redemptione lætemur, amaritudinem tamen ex recordatione peccatorum habeamus, vt dulcescat ex venia, quod amarescit ex pœnitentia, simulq; refrenata luxuria seruetur corporis & cordis munditia,* &c.

Ad panem necessaria, quæ lege præscribuntur, maximè vt is & cætera omnia perquam munda sint. Cyprianus de cœna Domini: *Finem legalibus cæremoniis impositurus, parari sibi voluit pascha, & ex consuetudine legis ea quæri, quæ solemnitas exigebat, agnum assum, panes azymos, & lactucas agrestes. Non oportet esse fermentarios noui testamenti ministros, puras sincerasq; mentes sanctum quærit conuiuium, in veru crucis boni odoris assatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem, & induret solidetq; mentis affectus, nec in Ecclesiæ sanctæ sacrificio vlla sit macula, sed pura simplicitas, & innocentia vitæ, in vna Ecclesiæ Catholicæ domo à fidelibus de Aegypto egrediētibus trāsito mari rubro, lotis Christi sanguine affectibus, offeratur.*

Panis azymus diebus septem edendus magno mysterio. Nicetas ad orat. 42. Gregorij Nazianzeni: *Quod septem diebus panem fermenti expertem edere lex iubet, id nobis documento est, vt omni vitæ nostræ tempore, in simplicitate ac puritate viuamus; per agrestes autem lactucas, vita dura & voluptatum domitrix, & quæ sensibus difficulter capi posit, nobis significatur: quia omnis disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris: acerba quoque incipientibus ea vitæ ratio est, quæ ad diuinæ legis amussim exigitur.*

CAPVT XIII.

Cum calceis, & baculis; ac renibus accinctis.

BEatus Algerus l. 1. de Sacram. altaris c. 22. *Accinctis autem renibus, calceatis pedibus, baculos sumentes agnum iubemur comedere cum lactucis agrestibus, festinantes: vt castitate præcincti, & ne à serpentibus huius sæculi mordeamur, exemplis sanctorum Patrum, munientes gressus actuum nostrorum, virga disciplinæ castigantes carnis intemperantiam, comedamus agnum cum lactucis agrestibus, id est, amara compunctione plenis, ita cum desiderij feruore festinantes ad patriam. Est enim phase, id est transitus Domini, quo ex hoc mundo transiuit ad Patrem; cum quo desidia tardus, & super ollas carnium in sæculi Aegypto remoratus transire non præualet, vt illuc perueniat vbi Christus in dextera Dei sedet: sed ideò se vnit nobis in Sacramento, vt quod nobis est impoßibile, poßibile fiat in ipso.* Docet deinde quid singula sibi velint, eo ipso capite. *Lex dedit in calceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur; in baculo disciplinam, qua perpetrata corrigamus; in lactucis compunctionem, vt non solùm exteriùs, sed etiam interiùs pænitentiam agamus; in festinatione desiderij ardorem, quo ad cælestia suspiremus. Cur accinctis renibus abstinentiam libidinis expreßiùs indixerit, cùm de cæteris vitijs nihil nominatim, sed communiter omnium vel cautelam, vel disciplinam figurauerit? Vnde sciendum, quia Agnum Dei sine macula, qui Virginis est filius, luxuriosi & incesti sumunt periculosiùs; quia cùm in Sacramento Christo vniri debeamus conformitate paßionis & munditiæ, nihil sic aduersatur paßioni crucis, vt voluptas, nihil sic munditiæ, vt fœditas, nihil sic eius vnitioni, vt fornicariæ societatis vnitas,* &c.

Similia B. Eligius homilia 14. *Agnum nostrum comesturi renes nostros accingamus, id est, delectationes noxias, & carnalium desideriorum fluxa restrin-*

restringamus. Calceamenta in pedibus habeamus, id est, operum nostrorum gressus exemplis sanctorum Patrum muniamus. Nam sicut calceamentis, quæ ex mortuis fiunt animalibus, pedes corporis circumdamus, sic sanctorum Patrum qui iam decesserunt, exemplis, sensus animæ, & actuum nostrorum pedes circumdare debemus, ne fœtido terrenæ prauitatis luto deturpentur. Et baculos necesse est manibus teneamus, vt in cunctis quæ agimus timorem Dei viuum præ oculis tenentes, secundùm ipsum opera nostra dirigi postulemus, cum Psalmista dicentes, Respice Domine in seruos tuos, &c. *vsque dirige: vt iterum cum eodem dicere possimus, Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Nec prætereundum est negligenter, quod dicitur, Comedetis festinantes. Festinantes namque pascha comedimus, cùm nos hîc non habere certam mansionem recolentes, quotidie de festinanti, & iam iamq́; imminenti fine suspendimur, assiduè meditantes, quoniam incolæ super terram & peregrini sumus.*

B. Esaias Abbas oratione 22. de operibus hominis noui, notat *non dixisse, Accingetis vos super renes vestros, ne quis de cingulo dictum intelligat, sed, Renes vestros accingetis, vt de castitate & munditia intelligamus. Calceamenta autem significant, vt prompti paratiq́; simus ad omnia fugienda & declinanda quæ conscientiam pungunt & maculant, mentemq́; auertunt à propria contemplatione in sanctitate. Per baculum spes indicatur, & fortitudo tendentium ad terram promissionis. hi sunt qui sabbathum obseruant. Sanguis agni significat sanguinem Domini* IESV, *qui factus homo venit ad nos, vt filios Israel duceret ad promissam cæli hæreditatem. Apparent qui instructi sunt, & signum in anima sua perspicuè impressum habent. Hyssopi fasciculus indicat afflictionem. Iubet enim vt cum lactucis agrestibus, seu herbis amaris comedatur.*

Quorsum verò calcei, cùm eos Moses Exodi 3. & Iosue c. 5. soluere iubeantur? *Quia,* inquit B. Gaudentius sermone 5. ad Neophytos, *terra Aegypti, vbi datur præceptio illa superior, sancta non est, ibi habenda mandantur calceamenta; in sancta autem terra decernuntur esse soluenda: quas tamen ob causas euidenter est exponendum. Quamdiu in huius sæculi Aegypto conuersamur, oportet nos pascha Domini celebrantes, calceamentis vti sanctarum Scripturarum, quia tutus non potest esse gressus noster, nisi mandatis Dominicis contegatur, vsque quò intremus in illam sanctam promissionis terram, quæ iustis est præparata,* in qua non sunt serpentes & scorpij. *Sicut enim calceamenta terrestria, carnalium pedum munimina sunt, & vel asperitati frigoris, vel serpentum morsui, vel spinarum resistunt aculeis; ita legis diuinæ præcepta, quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant & serpenti diabolo,*

& asperrimo Aquiloni gentilium, & hæreticorum vndique compungentium spinis ac tribulis. Alia in Christo ratio est; ille non propter se calceatus est, sed propter nos; quoniam terra sustinere non poterat maiestatis eius nuda vestigia. Calceamenta cùm dicit, gressus ostendit sanctarum Scripturarum, quibus graditur, & circuit notitia eius in omnes qui habitant super terram. Et ideò Ioannes Baptista in Euangelio negat vel idoneum se esse, vel dignum qui soluat corrigiam calceamentorum eius, id est, sermonum eius: siue vt edisserat vnum de mandatis eius, siue vt nudare valeat, & euidenter ostendere calceati adhuc in isto sæculo Verbi Dei veneranda vestigia. Propterea & Apostoli in Euangeliis alibi prohibentur portare calceamenta in via, cùm dicitur eis in Euangelio Matthæi c.10. *à Domino, Nolite possidere aurum, neque argentum,* &c. *neque calceamenta,* &c. *Alibi autem iubentur habere, vt Marcus Euangelista describit* c.6. *Et præcèpit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in Zona æs, sed calcearentur sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. Propter incredulos, & paruæ fidei homines iubentur in via prædicationis calceamenta habere Apostoli, vt verbum Dei calceatum & contectum in mysterio, propter spinas & tribulos blasphemantium prædicent. Ad eos autem, qui fideli mente audiunt, quasi iam in sancta terra, perfecti quippe cordis in fide, vbi nuda de Deo securi possent proferre testimonia, iubentur portare calceamenta, videlicet vt aperta figant illic vestigia diuinitatis eius. Et ideò B. Petrus calceauit se in carcere calceamentis suis, & sic exiit iterum ad hostes Iudæos, & aduersarias potestates, vt calceatus pedes in præparationem Euangelij calcaret super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et Moses dicit in benedictionibus, vel ad vnumquemque fidelem, vel ad personam potiùs Christi,* Deuter. 33. *Ferrum & æs calceamentum tuum; vtique vt confringat capita draconum super aquas, id est, vt conterat principatus dæmonum, draconum qui sunt super aquas gentilium populorum. Opus mihi est & baculo, pascha adhuc in Aegypto celebranti, vt si imitator sum Mosi, Hebræum meum, id est, intellectum Israelitem, qui Deum videre promeruit, ab interitu liberem percusso Aegyptio. Hoc propter seipsum quisque, quamdiu seruit legi. Si quis verò est apostolicus, & per* IESVM *prostrato Aegyptio, magnus factus ac potens, non iam propter se baculum portat, sed propter eos quibus dici necesse est,* 1.Cor. 4. *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate, & spiritu mansuetudinis? portet & propter eos qui veniunt ad nos,* Matt.7. *in vestimentis ouium, ab intus autem sunt lupi rapaces. Quòd si lupus desinat esse lupus, & cum agno pascatur, vt ait propheta* Isa. 11. *&, si leo desinens esse leo, cum boue manducet paleas, baculo opus non est.*

CA-

CAPVT XIV.

Caput cum pedibus vorandum, ossa comburenda igni.

ANatomen faciamus partium, & mystico sensu quomodo caput, pedes, ossa expendenda sint, videamus. Et primùm quidem cum Gregorio Nazianzeno orat. 42. agnum *non elixum, sed tostum, vt ne quid speculationis expers atque aquosum nobis fidei doctrina habeat, nec huiusmodi vt facilè dissolui possit, sed tota densa & solida, atque igne purgante explorata, & ab omni crassiore & superflua materia pura & libera sit, vtq; bonis illis carbonibus intellectum nostrum accendentibus & purgantibus ab eo adiuuemur, qui idcirco in terram venit, vt ad improbas animi habitudines absumendas ignem mitteret, eiusq; accensionem adurgeret. Quicquid porro carneum & esculentum habet doctrina cum intestinis abditisq; mentis partibus, comedetur & absumetur, atque ad spiritualem concoctionem dirigetur à capite vsque ad pedes, hoc est primas de diuinitate contemplationes, & postremas incarnationis meditationes: nec verò quidquam efferemus, nec vsque ad manè relinquemus, quia neque ad exteros quidem magna nostrorum mysteriorum pars efferenda est, nec vltra hanc noctem purgatio vlla superest; nec in iis, qui verbi participes fiunt, procrastinatio laudem habet. Vt enim præclarum Deoq; gratum est, vt ira per omnem diei cursum minimè duret, verùm ante solem occidat, siue id temporali modo, siue anagogico intelligas (nec enim nobis irascentibus iustitiæ solem occumbere tutum est;) ita nec eiusmodi escam pernoctare, nec in posterum diem recondi expedit. Quod autem osseum & ineptum edu est, hancq; rationem habet, vt difficillimè considerari queat, id ne confringetur quidem, id est, malè diuidetur, aut intelligetur. Mitto enim dicere quòd ne quidem ad historicum sensum os* IESV *confractum est, idq; cùm carnifices ipsius mortem ob sabbathum vrgerent. Nec proiicietur, nec raptabitur, ne canibus sancta dentur, ac sceleratis verbi discerptoribus, vt nec porcis quod in verbo splendidum ac gemmeum est, sed igni absumetur.* Ignem autem hunc Spiritum sanctum intelligit.

Cur verò agni caput cum pedibus comedendum? quid hoc mysterio innuere voluit Deus?

Cæsarius Arelatensis homil. 6. de pascha: *Vt Deum & hominem pari confessione veneremur. Caput accipiamus de eo quod dicit B. Ioannes, In principio erat Verbum. Pedes verò de eo quod Apostolus scribit, Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et factus sub muliere, factus sub lege. Oportet ergo vt huius*

huius nostri agni, carnalibus succinctis lumbis, id est, mortificatis carnalibus passionibus cum summa cordis & corporis puritate vescamur caput cum pedibus, id est, & ex Deo genitum credamus, & ex homine procreatum.

Osseum modò nobis ac durum igni traditum, quale est, inspiciatur, ait Gregorius Nyssenus libr. de vita Mosis. *Illud teneamus, duo esse præceptorum genera. Nam alia eiusmodi sunt, vt possibile sit nobis ea planè intelligere, probabilemq; de ipsis rationem reddere. Hæc neque ignauiter, neque quasi coactè pertractare debemus, sed vt famescentes comedunt, cum desiderio scilicet, & libenter, vt ad bonam nobis hic cibus valetudinem animæ prodesse possit. Alia sic latent, vt duriora sint, quàm vt planè intelligere, vel reddere rationem queamus: vt, si quæreret, Quænam sit substantia Dei? Quæ sit necessitas eorum, quæ sunt? aliaq; quamplurima, quæ curiosi multi quærunt: hæc omnia Spiritui sancto relinquemus, qui Dei profunda inuestigat & scit, vt ait Apostolus. Nam ignis in sacris Literis plerumque pro Spiritu sancto sumitur. Hoc etiam est quod Sapientia monet: Altiora te ne quæsieris, id est, noli ossa Christi conterere, non enim eges scientia ipsorum.*

Psellus in orat. 42. Gregorij Nazianzeni accuratiorem partium enumerationem atque explicationem promittit & præstat certè, quam, quia fusior est, hîc dare prætermitto, vt & ea quæ Petrus Cellensis lib. de panibus.

Petrus Berchorius Catholicis sacram Eucharistiam percepturis accommodat, & enucleatè singula explicat in c. 12. Exod. l. 2. super biblia c. 6. Esuri agnum immaculatum, id est, percepturi corpus Christi, debent Hebræi esse, id est, per mundum transeuntes, & non manentes, & filij Israel, id est, Deum per fidem & contemplationem videntes. Si transire possumus mare rubrum, id est, mortis amaritudinem securè transire, & per desertum purgatorij ad terram promissam, scilicet ad paradisum pertingere, necesse est quòd simul per caritatem & vnitatem fidei communicemus, & quòd agnum paschalem Christum in Sacramento dignè sumamus. Ideò ossa non sunt comminuenda, & nihil superflui est reseruandum, id est, nihil superfluum vel diminutum de eo credendum. Ossa enim seruantur integra, cùm quicquid necessarium est creditur: nihil etiam superfluum seruatur, quando nullus error superuacuus admiscetur. Manducatur assatus in igne per feruorem dilectionis, cum lactucis agrestibus, id est, dolore contritionis; cum accinctis renibus, id est, cum moderatione continentiæ, & luxuriæ restrictione; cum pedibus calceatis, id est, cum mortis meditatione; cum baculis in manibus, id est, cum crucis spe & deuotione; cum sanguine in ostio, id est, mortis Christi,

&

& suæ passionis & sanguinis recordatione & compassione. Calceamenta quæ fiunt de pellibus animalium mortuorum, significant mortis memoriam; baculus, crucem; sanguis, dominicam passionem. Manducari debet agnus, id est Sacramentum, cum capite, id est deitate; 1. Corinth. 11. *caput Christi Deus.* cum intestinis, id est humanitate; cum pedibus, id est, cum Sacramentorum & articulorum sequela & vniuersitate. Festinanter comedendus, vt videas non hærendum circa inquisitionem Sacramenti, nequæ subrepant cogitationes & dubitationes, quibus fides nutet: & quemadmodum circumciso tantùm licebat de agno edere, sic de Sacramento altaris non debet gustare qui non à vitijs per pœnitentiam sit circumcisus.

CAPVT XV.

Vterque postis oblinendus sanguine agni.

POstis vterque cor & os. Gaudentius serm. 6. ad Neophytos de manducatione agni paschalis: *Habemus in vtrisque postibus, scilicet in corde & ore, salutarem Domini passionem. Quomodo? Sicut dicit Apostolus,* Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Habeamus in limine frontis, signum sanguinis Agni, vt non sinat exterminatorem Deus introire ad nos.* Frons enim pro ostio nobis est.

Hieronymus ad Demetriadem: *Crebrò signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat.* Timet cùm cruce signatum videt; quæ quasi tessera regia, monet honorem Regi Deo habendum.

Os, D. Algerus lib. 1. de Sacramento sub finem, duplex statuit, exterius & interius, quemadmodum etiam duplex homo est *Sciendum autem, non tantùm spiritualiter, sed & corporaliter sumendum esse corpus Domini, quia & agni sanguis, qui à vastante angelo protexit, in vtroque poste repertus est; vt verum Agnum non minùs ore corporis, quàm ore cordis sumi debere significaret: quia qui vtrumque, corpus scilicet & animam, venit redimere, vtrique se voluit in Sacramento suo communicare: vt dum anima crederet, quod corpus gustaret, vtrique vna spes salutis æqualiter in Christo proueniret.*

B. Eligius Nouiomensis de ablutione pedum, & peccatorum reconciliatione hom. 4. corpus & animam per vtrumque postem accipit. *Eius,* inquit, *sanguine, si postes nostri, anima scilicet & corpus, atque su-*

perliminare frontis, seu intentio nostræ mentis sincerè fuerint illiti, à diabolo exterminatore pessimo veraciter erimus tuti; ipsumq; caput nostrum in caritate imitando, pascha quod ille celebrauit, nos vsque ad mortem diligendo, & nos membra ipsius fiducialiter celebrabimus, si fugientes Aegyptum, id est, hoc tenebrosum & instabile seculum, hinc ad virtutes saluberrimum transitum faciamus; vt eruti de potestate tenebrarum, digni efficiamur ad repromissum nobis eius pacatissimum regnum transire.

Postem vtrumque Petrus Berchorius in Exod. c. 12. l. 2. super biblia c. 6. illitum sanguine, memoriam vult esse sanguinis Christi pro nobis profusi, quæ in ore & corde continenter vigeat, & sic morali sensu se expedit. Cùm Deus decreuerit omnes Ægyptiorum primogenitos, id est peccatores, æternæ damnationi subijcere, illi soli euadent, qui sanguine agni Christi voluerint per passionis memoriam consignari. Soli enim illi qui domos cordium suorum isto consperserint, *& per mortis Christi recordationem super vtrumque postem cordis & oris, istum sanguinem habuerint, à percutiente angelo, id est à iudicante Christo, per damnationem non tangentur, sed potiùs à mortis æternæ periculo saluabuntur. Aegyptij verò, id est peccatores, qui nihil de isto sanguine habuerunt, & mortis & sanguinis Christi memoriam & deuotionem & consignationem non acceperunt, ab isto angelo, id est, à dura Christi sententia ferientur, & mortis æternæ periculo supponentur. Deus enim illos solos à morte æterna saluabit, in quorum domibus, id est cordibus, sanguinem agni, id est, sanguinis Christi memoriam videbit* (*Vnde dicitur Ezech. 16. In sanguine tuo viue.*) *ipsosq; de Pharaonis diaboli imperio liberabit, & ad terram promissionis scilicet paradisum, per desertum pœnitentiæ destinabit: illos verò qui isto carebunt sanguine, in mari rubro, id est, in inferni amaritudine, suffocabit.*

CAPVT XVI.

De baiulo aquæ, & cœnaculo.

BAiulus iste amphoram aquæ portans in cœnaculum nos ducet; sequamur. Beda lib. 6. in Lucæ 22. *Cœnaculum magnum lex spiritualis est, quæ de angustiis litteræ egrediens, in sublimi loco recipit Saluatorem. Nam qui adhuc occidentem litteram seruauerit, qui non aliud in agno, quàm pecus intellexerit, iste nimirum in imis pascha facit, quia Spiritus maiestatem comprehendere necdum didicit. At qui aquæ baiulum, id est gratiæ præconem, in domum Ecclesiæ fuerit secutus, hic per Spiritum viuificantem, textum litteræ transcendendo, in alto mentis diuersorio Christo mansionem præparat,*

quia

quia cuncta vel paschæ sacramenta, vel cætera legis decreta de eo scripta intelligit.

In alto editoque cœnaculum est, quod nequaquam expers est mysterij. Ambrosius lib. 10. epist. 83. ad Episcopos per Æmiliam: *Aduertimus quòd non ad terrena descendere, sed in superioribus locum magnum stratum quærere debeamus, vt Domini pascha celebremus.* Quia nimirum, teste Hieronym. in Marc. 14. supra montem posita *ciuitas est Ecclesia, quæ muro fidei cingitur. Homo occurrens, populus primitiuus; amphora aquæ, lex litteræ. Sequimini eum, qui ducit in altum, vbi est refectio Christi. Vnde Raab exploratoribus mandat, vt non irent per ima, sed per excelsa pergerent. Cænaculum grande Ecclesia magna est, qua narratur nomen Domini, strata varietate virtutum & linguarum, circumamicta varietate, in qua paratur Domino pascha. Dominus domus Petrus Apostolus est, cui Dominus domum suam credidit, vt sit vna fides sub vno Pastore.*

Ad cœnaculum ituris puritas necessaria est. Quare Beda lib. 6. in Lucæ 22. *Pulchrè paraturis pascha Discipulis, homo amphoram aquæ portans occurrit, vt ostendatur huius paschæ mysterium pro ablutione perfecta mundi totius esse celebrandum. Aqua quippe lauacrum gratiæ, amphora mensuram perfectam significat. Parant ergo pascha, vbi aquæ infertur amphora, quia tempus videlicet adest, quo veri paschæ cultoribus typicus de limine cruor auferatur, & ad tollenda crimina viuifici fontis baptisma consecretur.* Compendio hæc tradit Athanasius q. 37. & quasi per synopsin: *Quænam ciuitas est? Ecclesia. quod aquæ testaceum vas? baptisma. quis ille homo? præcursor. quod cænaculum? regnum cælorum.*

Hinc ex cœnæ apparatu B. Mechthildem docuit Deus, quî communicandum sit, lib. 3. gratiæ, c. 21. *Quid fecerunt*, inquit Christus, cùm se virgini illi sanctæ visendum daret, *quos misi ante faciem meam præparare pascha, cùm ante passionem meam cum eis eram cænaturus? statimq; videre visa est, quasi ipsa esset in domo miræ magnitudinis, in qua erat mensa aurea, & tonsile desuper impositum, erantq; referta diuersis diuersa vasorum genera; & ait Dominus: Hæc domus amplitudinem largitatis meæ designat, quæ ad se venientes liberaliter suscipit, & delectabiliter. Qui ergo voluerit communicare, ad largitatis meæ confluat clementiam, & ipsa velut mater benignißima suscipiens, à malis proteget vniuersis. Mensa est amor, ad quem communicaturus securum debet habere accessum, qui omnis animæ inopiam ex participatione & communione omnium bonorum copiosè ditabit. Tonsile est pietas mea, quæ sicut tonsile tractabilis est & lenis, & valdè ad hominem inclinata. Ad hanc etiam habebit homo securum confugium, quia recordatio suauitatis meæ & pietatis homini ad obtinendum omnia saluti eius necessaria*

reddet ausum. Super mensam visus est agnus niue candidior, qui pede suo tetigit vasa: mox diuersis cibis & potibus replebantur. Hic agnus Christus erat qui solus animæ cibus est, & refectio vera. In hac domo erant duæ virgines pulcherrimæ ministrantes, Misericordia & Caritas. Misericordia erat ostiaria quæ omnes aduenientes benignissimè intromittens ad mensam illam collocabat. Caritas verò discumbentibus ministrabat, erat omnium illuc venientium largiflua propinatrix.

CAPVT XVII.

De mensa.

PEtrus Abbas Cellensis lib. de panibus, c.2. Deo mensam assignat, eamque sternit: *Terram fundatam animaduertere potes quasi mensam positam, cælum super & circùm positum, quasi mappam circùm extensam. sicut & arca circumtecta erat ex omni parte, auro: firmamentum tanquam candelabrum; & in candelabro duo magna luminaria, solem & lunam, sublucentibus stellis tanquam candelis; aërem imbriferum, tanquam lauatorium vel infusorium: rursus serenum, tanquam exhibentem manutergium; mare, velut omnium sordium emundatorium. terram, panem & vinum, carnem & pigmentum, & aliud vitæ huius sufficiens sustentamentũ natura subinferentem, ex moderatione spiritus cuncta regente & disponente.* Ab historico ad allegoricum conuiuium nos vocat, & sensu historico, tanquam legumine viliori degustato, ad subtiliora & elegantiora allegoriæ Sacramenta orexin excitat. Ecclesiæ hæc mensa est, imò Deus *Ecclesiam tanquam mensam habet; mappam in mensa, fidem in Ecclesia; magna luminaria, quatuor euangelia; aquam Salomonis, Sacramentum baptismatis; panem & vinum, Eucharistiæ mysterium; cibos innumerabiles, sanctas virtutes; seruitores, disiunctos Ecclesiæ ordines; conuiuatores, vniuersos fideles; vestes epulantium, mores credentium; fructus pomorum, exempla Sanctorum. Miser & miserabilis qui non intrat in locum conuiuij, siue tabernaculi admirabilis! qui extrà est tanquam frater senior in agro, qui audit, nec exaudit symphoniam vnitatis, & chorum caritatis; qui audit, sed extrà, organum diuinæ iubilationis; qui audit, sed exsors, psalterium modulationis. Qui enim intus est, lætatur; qui extrà, cruciatur. qui intus est, satiatur in bonis; qui extrà est, deficit in malis. O quàm bonum & quàm iucundum sedere ad mensam Pauli! & hæc refectio allegorica.* Priorem Moses strauerat fidelis dispensator in domo Dei, Hebr.3. v.5. hanc Paulus in paradisum, siue tertium cælum raptus. Sed neutra satiat. *Surgendum igitur ab hac ad tertiam, quia peregrinationis est mensa, & properandum ad illam quæ in patria, vbi cœnat sponsus cum sponsa: mensa illa vera,*

& æterna, beatitudo Sanctorum est. hanc exornat sapientia, hanc præparat misericordia. ad hanc non admittuntur, nisi quorum nomina in libro vitæ inueniuntur. millia millium huic ministrant, Dan. 7. decies centena millia adsistunt. ibi non aqua, non vinum potatur; sed plenissima iucunditas filiorum Dei, ab vbertate impletur. Saporum diuersitas non requiritur, quia omnis sapor in vno sapore percipitur. Quid plura? In contemplatione IESV *est refectio delicatissima; inebriatio vltima, quies abundantissima, deambulatio spatiosissima, sanitas inconcussa, fortitudo robusta, omnium bonorum possessio secura, vita beata.* & Nota gradus quos scandimus per has mensas. *In prima mensa à carne adscendimus ad animam, in secunda ab anima ad spiritum, in tertia à spiritu ad Deum. In prima viuimus, sed non semper; in secunda non morimur, & semper; in tertia mori non possumus æternaliter. Prima est cella vinaria, secunda cella aromatum, tertia cubiculum. In prima vocamur, in secunda iustificamur, in tertia glorificamur. In prima cum Sanctis, in secunda cum Angelis, in tertia erimus cum Deo, & Deus in nobis.*





COENA COMMVNIS SEV VVLGARIS.

VNam tantùm cœnam Ioannes Maldonatus in Matthæi 26. v. 20. admittit, & partitionem cœnarum Legalis, Communis, Eucharisticæ, Ioan. 13. v. 2. negat commodam esse; quia legalis, & tertia, non cœnæ, sed pascha, & Eucharistia dicendæ. Verùm de nomine controuersia est: rem volumus, vnam cœnam esse, sed quæ missus habeat diuersos, & illos cœnas dicemus, & cœnæ caput in tertia Eucharistiam.

Equidem Tertullianus ad vxorem, Chrysostomus homil. 82. in Matth. Theophylactus Matth. 26. & Marci 14. Augustinus lib. 3. de Consensu Euangelistarum, canone primo, Emanuel Sà notationibus in totam Scripturam, in Ioan. 13. v. 4. distinguunt, vt & Rituale Hebræorum, quod secundam mensam cœnam nostram communem vocat.

CAPVT I.

In mensa situs. Accubitus adstruitur ad quadram in triclinio.



Vero abripitur Proba Falconia §. de cœna Domini, in Virgiliocentonibus.

> *Deucxo interea propior fit vesper Olympo:*
> *Tunc victu reuocant vires, fusiq́; per herbam*
> *Et dapibus mensas onerant, & pocula ponunt.*

Dum enim nimiùm obsequitur hemistichijs vt centonem consuat, in

in viridi cœnasse Christum finxit, qui in cœnaculo grandi strato id fecit. Forsitan id illa mutuata sit à Clemente Alexandrino lib. 2. pædagog. c. 3. qui de Christo hæc dicit: *Fecit discipulos suos super herbam accumbere, & pedes eorum lauit linteo accinctus.*

Ioannes Maldonatus arbitratur stetisse, & illi accubuisse nihil aliud quàm cœnæ interfuisse significat, vt & nobis, qui recumbere & accumbere mensæ dicimur etiam cùm assidemus.

B. Germanus Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, & Ioannes Mederus serm. de cœna Domini, sedisse putant cùm de Eucharistica loquuntur, quæ eodem situ cum communi cœna fiebat. *In mystica,* inquit, *illa cœna sua in medio Apostolorum suorum sedens, & accipiens panem & vinum dixit Discipulis suis,* &c. quia Græci, teste Homero Odyss. ο.

Ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.

Et Latinis *Hieme*

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat.

qui peruetustus originem Dædalo debet, teste Isidoro 20. Originum c. 1. *Primus Dædalus mensam & sellam fecit.* Sed contrà Patres propè omnes ex ratione. Chrysostomus homil. 82. in Matth. *Quomodo hi pascha comedebant aduersus legem recumbentes? Dicere possumus, quia postquam comederunt pascha, ad cœnandum recubuerunt.* Theophylactus in 26. Matthæi & Marci 14. *Dicimus itaque quòd priùs pascha stans comederit, deinde recumbens tradidit suum Sacramentum. Primum enim perfecit figuralia, deinde verum perfecit.* ita Ambrosius in 15. Lucæ. Nonnus in Ioannis 15. & Zacharias Chrysopolitanus in vnum ex quatuor lib. 4. c. 15. *Notandum quòd omnes duodecim de eodem vase in circuitu cum Domino sumebant in cœnaculo strato, quasi iacendo more antiquo recumbentes.*

Lecti dispositi in cœnaculo circum mensam erant, in quos illi positis soleis lauti vnctique cum cœnatoria veste inscendebant ad mensam accubituri; id expressit Homerus Odyss. δ. vbi hospites saturi videndo:

Ἐς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο.
Τοὺς δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,
Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον, ἠδὲ χιτῶνας,
Ἐς ῥα θρόνους ἕζοντο παρ' Ἀτρείδην Μενέλαον.
Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,
Νίψασθαι, παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.

Ad labra descendentes perpolita lauabant.
Hos postquam ancillæ lauarunt, & vnxerunt oleo,
Chlænas villosas, tunicasq́; circumposuerunt,
Atque in thronos collocarunt prope Menelaum.
Aquam ancilla ferens in gutturnio fudit
Pulcro, aureo, super argenteo lebete
Lauandi ergò: iuxtà autem politam extendit mensam.

Nota χλαῖναν, læнam esse siue pallium, vestem puta cœnantium, ex Martiale in luscum furem:

Aspicis hunc vno contentum lumine, cuius
Lippa sub attrita fronte lacuna patet.
Ne contemne caput, nihil est furiosius illo,
Non fuit Autolyci tam piceata manus.
Hunc tu conuiuam cautus vitare memento,
Tunc furit, atque oculo luscus vtroque videt.
Pocula soliciti perdunt, ligulasq́; ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec à cubito subducere pallia nescit,
Et tectus lænis sæpe duabus abit.
Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil inuasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, & soleas surripit ipse suas.

Singularis erat vestis, non vna omnium, sed cuique priua; nam luscus ille decidentem à cubito surripiebat. Et in Syllam:

Ad mensam venies, sed sic discincta recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Deinde vernæ incumbebat inuigilare soleis, quæ positæ erant, ne subducerentur; & lucerna ardebat, cuius lumine fures designarentur, adglutinantes digitis ligulas, seu cochlearia, mappasque quæ singulorum erant. Nota hîc, primùm accubuisse. Deinde mensam admotam, vt in Homero vidimus. Plautus Persâ:

——— *Hoc age, accumbe,*
Nunc diem suauem meum natalem inter nos agitemus amœnum.
Date illi aquam manibus, apponite mensam.

Vnde colliges, Christum ad mensam stare potuisse mystica cœna, & in vsuali accumbenti inter thoros mensam adductam, appositamque.

Thori picti. Martialis:

Nec

Nec fora ſunt nobis, nec vadimonia nota.
Hoc opus eſt pictis accubuiſſe thoris.

Proni deinde pectus puluino fulti procumbebant in ventrem. ſupini erant nonnumquam, & ritu ſedentium etiam aliquando.

Imò tempus erat,
vt *Languidus in cubitum iam ſe conuiua reponat.*

Vide hæc pertractata à Petro Ciaccono de modo conuiuandi apud priſcos Romanos, Fuluio Vrſino appendice ad triclinium, Iuſto Lipſio 3. antiquarum lectionum.

Horum aliquam partem ſeruaſſe Chriſtum Patres notarunt. Nonnus in 13. Ioannis, cubito reſediſſe preſſo.

Καὶ παλάμης ἀγκῶνα παλινδίνητον ἐρείσας
Ἀκρότατον περὶ κύκλον ὁμοστόργοιο τραπέζης.
Et figens reuolutum cubitum manus circa ſummum
Ambitum menſæ in amore concordis, &c.

Pro puluino Ioannes erat. Ambroſius in Luc. 15. *Nonne tibi videtur Chriſtum cecidiſſe in collum Ioannis, quando erat Ioannes in ſinu* IESV *ceruice recumbens reflexa? & ideò Verbum apud Deum vidit, qui erectus eſt ad ſuperna.*

Triclinium fuiſſe cenſet Fuluius ex frequenti Romanorum vſu; & quinos accubuiſſe Apoſtolos vtrimque ad menſam, ternos in capite, Chriſtum, Ioannem, Iudam, ita tamen vt Chriſtus medium teneat. à Ioanne in laterali thoro Petrus erat, quia alioquin in aurem quædam dicere Ioanni non potuit; & proditor qua erat effronte fronte, priores voluit ferre. ita Chryſoſtomus hom. 69. in Ioannem. *Credibile eſt proditorem impudenter ante Apoſtolorum principem diſcubuiſſe.* Et D. Thomas in Matthæi 26. ait, quòd Iudam ſecum poſuerit Chriſtus, vt auerteret à deſignata proditione.

Veriſimilis hic ordo fit ex forma menſæ, quæ non ſigma, aut etiam rotunda, vt plures aſſeruerunt, nempe ad quam commodiùs in orbem recumberent; & quia Varro *cillibam* ex quadrata rotundam factam dicit. Sed vt hoc apud Romanos vt plurimum factum ſit, non euincit aliquas alias non fuiſſe. Certè Etymologicum magnum τράπεζαν reiectione ſyllabæ dictam vult, quaſi τετράπεζαν, τέσσαρας πέζας ἔχουσαν, id eſt, quadripedem, quaternos pedes habentem; αἱ γὰρ, inquit, τῶν παλαιῶν τράπεζαι, τετράγωνοι ἦσαν. Veterum enim menſæ quadrilateræ erant. Et quod ad Chriſti menſam facit, Primus Cabilonenſis auctor eſt, à Veſpaſiano inter tot ſacra clenodia Romam tranſ-

uectam. Visitur autem in Laterano quadra, cui rei tot testes, quot Romæ eam viderunt.

Nec à Romanis Iudæi mutuati sunt accubitum. à Persis habent. Hesteris 1. c. de regio conuiuio Assueri: *Lectuli quoque aurei & argentei, super pauimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat.* Et Tobiæ 2. vbi iunior nunciauit patri, *vnum ex filiis Israel occisum iacere in platea, statimq́; exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollensq́; ad domum suam occultè*, &c. Et cap. 7. *Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium: cumq́; hortaretur eos discumbere ad prandium, Tobias dixit*, &c. Quem accumbendi morem etiam Indi vsurparunt, quibus Romani non imperabant, vt Philostratus refert in vita Apollonij l. 8.

Verùm concedunt facilè, olim accubuisse Iudæos, sed non Christi tempore, quo sedebatur ad mensam; nugæ. Non legerunt Lucæ 7? *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Quomodo stans, & retro quidem vngebat, lauabat, osculabatur, si discubitus ibi adsessio ad mensam, & non verè ex thoro accubatio fuit? si sedenti vel stanti, saltem non iacenti mulier hæc præstitit, debuit inclinata non stans fuisse.

CAPVT II.

Cœna facta surgit à cœna.

PSeudo-augustinus sermone 28. ad Fratres in Eremo eadem in naui est cum B. Cypriano, qui id remotis mensis contigisse intelligit, quasi surrexerit cœna facta, id est, absoluta omnino. Sic igitur habet de ablutione pedum: *Iam Sacramenta corporis sui Apostolis suis Dominus distribuerat, iam exierat Iudas, cùm repentè de mensa surgens linteo se præcinxit, & ad genua Petri lauaturus pedes eius, ipse genibus flexis Dominus seruo consummatæ humilitatis obtulit famulatum.* Pseudo-augustini hæc verba: *Peractis denique & consummatis sacræ cœnæ Sacramentis, factis & ordinatis in eadem cœna Apostolis sacerdotibus communicatis, lotis eorum pedibus, iterum intrauit mensam, & ait, Scitis quid fecerim vobis*, &c.

Sed manifestè huic Ioan. 13. v. 12. contradicitur. quia *postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum, dixit eis,*

Scitis quid fecerim vobis, &c. iterum recubuit V. Euchariſtiam inſtituturus, longumque ſermonem de caritate habiturus. Deinde v. 21. *Cùm hæc dixiſſet* IESVS, *turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt; & dixit, Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Nondum igitur potuit Iudas digreſſus fuiſſe, maximè cùm poſtea deſignetur intincto pane, quem Chriſtus illi dedit.

Meliùs Gloſſa & D. Thomas, cœna facta, *id eſt, præparata ſecundùm ſenſum literalem, non enim erat terminata cùm Chriſtus à cœna ſurrexerat.* & Nicolaus Lyranus ibidem, *Non enim intelligendum eſt, quòd eſſet totaliter completa, quia poſtea dicitur, Cùm recubuiſſet, ſed erat facta, quantum ad hoc quòd comederant agnum paſchalem.* Auguſtinus tractatu 55. in Ioann. *Non ita debemus intelligere cœnam factam veluti iam conſummatam, atque tranſactam: adhuc enim cœnabatur, cùm Dominus ſurrexit, & pedes lauit diſcipulis ſuis. Nam poſtea recubuit, & buccellam ſuo traditori poſtea dedit, vtique cœna nondum finita, id eſt, dum adhuc panis eſſet in menſa. cœna ergo facta, dictum eſt iam parata, & ad conuiuantium menſam vſumq́ perducta.* Apertiùs deſignat tempus lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 1. nempe ad lauandum diſcipulorum pedes ſe Chriſtum accinxiſſe paſchali cœna finita, & nonnihil incepta communi. Quod Amalarius Fortunatus li. 1. de Eccleſiaſticis officijs c. 12. probat, additque exemplum ſui temporis: *Vidi quendam Religioſum ea die primò aliquid ſumere de cibo, & poſtea lauare pedes peregrinorum, & ſic tranſire ad menſam Domini noſtri exemplo.* Alcuinus de Officijs cap. 17. ad plures extendit: *Aliqui viri religioſi ſumunt priùs parum, & poſtea lauant pedes, deinde cœnant.*

Ἐπιμύθιον pium in rem noſtram Cardinalis Viguerius ſuggerit Decachordi chorda 7. c. 18. *Primus Adam comedendo ceciderat, ſecundus contrà ſurgit manducans, vt qui in illo per eſum cibi vetiti ceciderunt, in iſto per eſum panis Angelorum adſurgant: ille à primo cibo cecidit, iſte ab vltimo ſurgit. Per primum cibum illius, paradiſi voluptatis amœnos fructus in cibum nobis datos amiſimus, per vltimum iſtius comedere & bibere poſſumus ſuper eius menſa in regno patris, non quidem cibos dentibus mandendos, deglutiendos gutture, aut ventre digerendos, ſed ſemper in ore manſuros, miraq́ ſuauitate animum ſimul & corpus ſine defectu refecturos. ſemper enim laus Domini in ore iuſtorum, dum omni tempore Dominum benedicent.* Pulchra profecto antitheſi vtriuſque.

CAPVT III.

Ponit vestimenta Christus, & linteo se præcingit.

NVdum omnino se Christum exhibuisse cùm pedes lauaret, Origenes tomo 32. in Ioannem credidit. Verùm quid necesse opinari, honesti tenacissimum Virginis filium, tulisse in se videri, quod natura magistra spurcissimus quisque tegit, cùm potest. Vestimenta ergo posuisse nihil est aliud, quàm superiorem vestem exuisse, quia τὰ ἱμάτια apud Plutarchum in Camillo pro pallio aut toga superiore legimus; quam simile vero, imò propè certum est, Christum vnicam habuisse. Et ita Viguerius cum mystica ratione chorda 7. *Ponit vestimenta sua, non quidem omnia, sed superiora, siue exteriora, quæ Magistri speciem præ se ferrent, quasi ministri personam ipso habitu professus est. Et primus Adam, quando peccauit, non omnino nudatus est, quia solam iustitiam originalem, & quæ illum gratum Deo faciebant, amisit; naturalibus bonis atque gratuitis non est priuatus, licet aliquanto debilitatus sit: & Filius Dei pro nobis filius hominis factus, interiorem hominem quem assumpsit Deitatis contubernio beatum fecit, exteriorem beatitudinem non penitus defraudauit. Quem enim semper passionibus exposuit, à peccatis semper immunem conseruauit. itaque quæ nascens se impassibilitate spoliauit, quæ defendit exteriùs, impeccabilitatem retinuit, quæ tuetur interiùs.*

Posuit verò, si causam quæras, non quod nimiùm grauaretur, vt Nicephorus olim dixit lib. 1. c. 28. sed vt expeditior esset ad rem præsentem. Linteoque se præcinxit, ne togam intimam inconsutilem fœdaret, pedesque ablutorum commodiùs tergeret.

Stephanus Episcopus Eduensis putat specimen subdiaconatus exhibere voluisse, lib. enim de Sacramento Altaris cap. 6. cùm cæteras Ecclesiasticas functiones eum obiuisse nisus fuisset demonstrare, etiam munere *Subdiaconi, quando aqua missa in peluim linteo se præcinxit, & pedes discipulorum lauit,* pia interpretatione functum vult.

Mysticas eiusmodi rationes Doctores variè congerunt; & primò quidem Dauidem expressisse, qui Dei causa vilior fieri & contemni sustinuerit, cùm ante arcam saltauit rex Israel: ita Christus bea-

tam Mechthildem docuit, libr. 3. gratiæ ſpiritualis cap. 1. *In conuiuio ipſe cithara & organum fui, per verba dulcia oris mei, & ad lætificandum conuiuas, in ſimilitudinem luſorum humiliatus ſum ante pedes diſcipulorum.*

Audi verò demiſſionem à B. Eligio Nouiomenſi homilia 4. in cœna Domini. *A cœna ſurrexit, quia à ſecreta & ineffabili quiete Patris ad nos venit. Veſtimenta poſuit, id eſt, ſemetipſum exinaniuit, non ita vt deponeret, quod habebat; ſed vt acciperet, quod non habebat. Linteo ſe præcinxit, dum ad perferendos mortalitatis noſtræ labores, formam ſerui induit. Aquam in peluim miſit, & pedes diſcipulorum lauit, quia aqua quam cum ſanguine de latere ſuo in cruce pendens in terram fudit, in ſe credentium immunditiam diluit. Eodem linteo pedes eorum exterſit, quia corporis ſui pro ipſis mortui, & reſuſcitati indumento, non ſolùm terrena in eis contagia purgauit, ſed etiam in ſe fideles ſolidauit.*

Atque ideò nihil miratur hoc factum Auguſtinus tractatu 55. in Ioannem, & ad Fratres de Eremo ſermone 38. quiſquis Auctor, cùm expendit apud animum ſuum, quæ in eo latent: *Quid mirum ſi ſurrexit à cœna, & poſuit veſtimenta ſua, qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit? & quid mirum ſi præcinxit ſe linteo, qui formam ſerui accipiens habitu inuentus eſt vt homo? Quid mirum ſi miſit aquam in peluim vnde lauaret pedes diſcipulorum, qui in terram ſanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum ſi linteo quo erat præcinctus pedes, quos lauerat, terſit, qui carne qua erat indutus, Euangeliſtarum veſtigia confirmauit? & linteo quidem vt ſe præcingeret, poſuit veſtimenta quæ habebat; vt autem formam ſerui acciperet, quando ſeipſum exinaniuit, non quod habebat, depoſuit, ſed quod non habebat, accepit. Crucifigendus ſanè ſuis exſpoliatus eſt veſtimentis, & mortuus inuolutus eſt linteis, & tota illa eius paſſio, noſtra purgatio eſt. Paſſurus igitur exitia, præmiſit obſequia, non ſolùm eis pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem.*

Viguerius cum Adamo, vt ſuperiùs cœperat, pulchrè pergit conferre: *Primus Adam qui iuſtitiam originalem amiſerat, qua mens rectè ferebatur in Deum, quid aliud accipere debuit, quàm brutalem appetitum, quem fuerat ſtultè ſecutus. Tunica igitur pellicea de brutorum animalium pellibus confecta talem Adam primum monſtrauit exteriùs, qualem ſe ipſe fecerat interiùs.*

Has porrò pelles animalium manſuetorum dorſis detractas ego crediderim, quæ timida ſunt, & pro multis incommodis diſpoſita. Et primus Adam timore correptus abſcondit ſe audita voce Domini Dei, & ſuæ nuditatis

incommoda professus est. Contrà secundus Adam linteum accepit: quo scilicet ipse candidatus significaret ambire se titulum Seruatoris. Candidus autem erat innocentia, sanctissima origine ex Virginis vtero, &c.

CAPVT IV.

Præcinctus mittit aquam in peluim, & lauare cœpit pedes discipulorum.

MEnsæ adhuc accumbebant Apostoli, cùm eorum pedes lauare cœpit. Clemens 3. constitutionum c. 19. *Cùm enim accepisset linteum, præcinxit se, deinde fudit aquam in peluim, & nobis mensæ accumbentibus accessit ad nos, & nostros omnium pedes lauit, & linteo tersit.* Et nota, quòd mensæ accumbentibus loti pedes, quia id Nonnus paraphrasi in Ioan. 13. etiam aduertit:

Ὁππότε δαιτυμένων δυοκαίδεκα κύκλον ἀμείβων,
Νίψεν ἑῶν ἑτάρων ὁσίους πόδας ἁγνὸς Ἰησοῦς
Κεκλιμένους.
Quando epulantium duodenarium orbem alternans,
Lauit suorum sociorum pedes sacros purus Iesus
Decumbentes.

Non surrexerint ergo alij, sed Christus solus loco se mouerit, aquam ipse miscuerit, vt ex Euangelio liquet; imò, vt vult Euthymius, peluim à magistro domus petierit, aquam hauserit, portauerit; etsi non deessent ministri. ita enim B. Aurelianus: *Iste sanctissimus vir Martialis ad seruiendum fuit deputatus cum Cleopha, ac multis aliis discipulis, vt ea quæ tali apparatui necessaria erant ipsi supplerent, cibi videlicet, & potus copiam, & aquam, ac linteamina ad discipulorum pedes abluendos & detergendos.* & de discipulis omnibus, nominatim de baiulo amphoræ Amalarius Fortunatus lib. 3. de Officijs Ecclesiasticis cap. 22. *Hi denique siue essent corporali positione in cœnaculo quando Dominus cœnauit, seu non forent, tamen eius obsequio non deerant, sicut is non defuit, qui strauit cœnaculum magnum.* Sed vides quòd præcipuis mysterijs fortè non interfuerint iussi emanere foris.

Flexis genibus in officio caritatis defungendo Christus fuerit. Ancelmus stimuli virtutis seu Euangelici sermonis c. 6. *Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis etiam coram ipso genu flexus procumbens, maledictos pedes eius veloces ad fundendum*

dum ſanguinem tuum, ſanctiſſimis manibus tuis attrectare, lauare, & extergere dignatus es, &c.

Demiſſionem hanc tantam demiratus Coſmas Hieroſolymitanus hymno 6. in theogoniam exclamat: *Irretentibilem tenens & altam in æthere aquam, abyſſos frænans, & maria retinens Dei Sapientia, aquam in peluim iacit, pedes verò ſeruorum lauat herus.*

Hæc in rem noſtram fecerit Chriſtus; quæ peluis, quæ aqua igitur, & cur ijs vſus fuerit? Ambroſius prologo in lib. 1. de Spiritu ſancto: *Eſt quædam aqua, quam mittamus in peluim animæ noſtræ, aqua de vellere in libro Iudicum, aqua de libro pſalmorum; aqua eſt res cæleſtis oraculi. Veniat igitur Domine Ieſu hæc aqua in meam animam, in meam carnem, vt huius humore pluuiæ noſtrarum conualles mentium, atque intimi cordis arua virideſcant. Veniant in me ſtillicidia tua gratiam immortalitatemq́ rorantia; dilue greſſus mentis meæ, ne iterum peccem. ablue animi mei calcaneum, vt poßim abolere maledictum, ne morſum ſerpentis interiore pede ſentiam; ſed ſicut ipſe iuſsiſti ſequentibus te, vt ſerpentes & ſcorpiones illæſo poßim calcare veſtigio. redemiſti mundum, redime vnius animam peccatoris.* Nec minùs elegans Viguerius, imò clarior, quia quæſtioni exactè facit ſatis: *Aqua contritio eſt, peluis voluntas aquam continens; contritio enim vera non eſt, niſi fuerit ſponte ſuſcepta. & quia hæc contritionis gratia non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis eſt, Dominus Ieſus mittit aquam in peluim, mittit in corda noſtra contritionis gratiam, vt aquis baptiſmatis mundemur à culpis.*

CAPVT V.

An omnium pedes, & quidem Iudæ lauerit?

NEgat Cyprianus de ablutione pedum, initio, quia credidit poſt Venerabilem Euchariſtiam impertitam, lotionem inſtitutam fuiſſe: *Iam exierat Iudas, cùm repentè de menſa ſurgens linteo ſe præcinxit.* Sed ſingularis eſt opinio, & pugnās cum Scriptura, vt ſuprà docuimus cùm de tempore lotionis ageremus. Patres item propè omnes aſſerunt etiam lotum. Auguſtinus tractatu 55. in Ioann. *Illi non dedignatus eſt pedes lauare, cuius manus videbat in ſcelere.* Et infrà: *Paßurus exitia præmiſit obſequia, non ſolùm eis pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem.* Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. *Cæterùm ante cœnam* (ſcilicet Euchariſticam) *eius* (ſcilicet Iudæ) *etiam pedes lauit.* Clariùs: *Vnus ex vobis duodecim qui vbique mecum fuiſtis, quorum pedes laui.* Homilia de proditione Iudæ: *Pedes eius cum aliis lauit, menſæ fecit participem.*

pem. Homilia 69. in Ioann. clarissimè, & sæpiùs incredibilem eius ingratitudinem expendens. *Qui maximo odio dignus erat, vtpote discipulus & familiaris, eiusdem mensæ consors, & qui miracula viderat, & omnibus interesse dignus habitus est, aliis tamen grauiùs peccauit: lapides quidem in Iesum non iecit, neque in contumelias prorupit, sed eum prodidit ac tradidit, hunc quàm humanè accipiat operæpretium est intueri. lauit eius pedes, quo officio cohibere eum à scelere illo voluit. atqui si voluisset, poterat eum arefacere, quemadmodum & ficum; & scindere, vt petras & velum, sed non necessitate sed voluntate propria volebat eum à proditione abducere, ideò lauat eius pedes; neque hoc infelix ille reueritus est.* Photius etiam scholijs in Ioannem apud Franciscum Turrianum: *Non emolliuit communis mensa, neque lauatio pedum, neque illa Christi admirabilis caritas & longanimitas,* &c.

Sedulius paschalis operis lib. 5. c. 2. *Tantum suæ deposuit fastigium potestatis, vt ab huius obsequij dignitate nec Iudam fecerit exsortem, quem nefandæ nouerat proditionis autorem. Sed nihil hinc gloriæ consecutus es traditor execrande, vt mundus videreris vestigiis, qui polluebaris in animis, tanquam sepulcrum exteriùs dealbatum, quod fœdis cadauerum sordibus intus horret impletum.* Idem l. 4. carminis:

Nec Iudam exciperet, quem proditionis iniquæ
Nouerat autorem, sed nil tibi gloria sæue
Traditor illa dabat, pedibus consistere mundis
Qui sensu pollutus eras: velut omne sepulcrum
Exteriora gerens albæ velamina formæ,
Sordibus interiùs, fœdoq; cadauere plenum.

Cyrillus Alexandrinus l. 9. in Ioan. c. 7. *Quamuis in cor Iudæ diabolus iam immiserat, vt eum traderet, vnà tamen cùm aliis discipulis eum retinet, & pedes eius lauat; ita cùm nulla causa incitatus esset, suæ solummodo prauitatis, tam nefandæ proditionis consilium fuisse ostendit.* Nicephorus l. 1. hist. c. 30. Ambros. l. 3. de Sacramentis c. 1. Hoc Christi factum tam illustre Francisco de Borja ex Duce Gandiæ, & Prorege Catalauniæ, 3. Præposito generali Societatis IESV contemptus sui argumentum dedit. *Quo enim die hebdomadis sanctioris Christum discipulorum pedes lauantem Ecclesia recolit, ad tirones verba faciens, Nullum, inquit, hodie in mundo locum reperi. Sextum enim iam annum ad Iudæ pedes locum mihi fingebam, nunc dum Christum attentè considero iis aduolutum, lauare, tergere, & osculari, nullum mihi inde expulso locum video.*

CAPVT VI.

Quo ordine lauerit?

QVia Ioannes dicit, *Venit ergo ad Simonem Petrum*, putarunt multi initium dedisse à minoribus, & lotis alijs etiam ad Petrum tandem venisse: in his Leontius & Origenes in Ioan. 13. & quæstionem mouet cur id fecerit. *Cur tandem, cùm in numerandis Apostolis primum locum obtineat Petrus; fortassis quia cæteris honorabilior, quoniam etiam omnium vltimus Iudas, ob malum affectum in vltimum locum proiectus iacet, cùm Iesus cœpisset lauare pedes discipulorum, & abstergere linteo, quo erat præcinctus, non à Petro inceperit, sed ab illo? Ad quod respondendum est, vt medicus pluribus infirmis subministrans iuxta artem medicinæ, initium medendi facit ab his qui vrgentur, quiq; peiùs affecti sunt: sic discipulorum sordidos pedes lauantem incepisse à magis sordidis, atque equidem fortaßis ad Petrum postremò venit, quia minùs cæteris indigeret vt sibi lauarentur pedes: fortaßis etiam status pedum suorum, qui proximè accedebat ad munditiem, effecit vt contradicere cogitaret.*

Euthymius etiam ad Iudam primùm putat venisse in Ioan. 16. *Lauare cœpit, & postmodum venit ad Petrum. apparet quòd primùm lauerit pedes Iscariothæ simul beneficio & honore afficiens proditorem suum vsque ad mortem, vt & nos ita faciamus, simul compungi volens illum, qui talia aduersus talem gubernatorem cogitaret.* item Chrysostomus homil. 69. in Ioann. *Mihi videtur primùm eum proditoris lauisse pedes.* Et infrà: *Arbitror ante omnes proditoris lauisse pedes, inde venisse ad Petrum, à quo & cæteri admoniti sunt quid faciendum foret. Quòd enim alium quempiam antè lauerit, constat ex eo quod dicit, Cùm autem venisset ad Petrum.* Ambrosius similiter lib. 3. de Sacramentis cap. 1. vbi Petro non tantùm Iudam, sed & cæteros in lotione antefert: *Dominus cùm lauisset discipulis alijs pedes, venit ad Petrum.* In hanc sententiam auctorem ad Fratres de eremo, quidam citant, vt & ille Cyprianum, sed qua fide id faciant, nescio, cùm contrarium ex illorum scriptis planè constet: prior enim serm. 28. disertè exprimit opinionem suam, *Ad principem Apostolorum primùm vt arbitror peruenit.* Deinde, *Videtur quibusdam, sicut fuit martyrum ille sanctißimus, & doctor Cyprianus, ante Petrum Iudam lauisse, volens Dominus prædictum discipulum reuocare; sed non videtur ratio ponderosa: ex quo enim Petrum iam cunctorum caput fecerat, ad eum accesit primo in honore vt cæteri postea similiter facerent.* Explicatque Scripturam, quæ Origenem torserat. *Ideò sic intelligendum est, cùm summam rei bene transcripsisset dicendo, Cœ-*

pit lauare pedes, & linteo tergere, redit postea ad ordinem rei ostendendo, dicens: Venit ergo ad Simonem. Ostendens mentem Euangelistæ esse, quasi diceret, Cœpit lauare, tergere à Simone. *Venit ergo ad Simonem,* ab eo scilicet initium ducturus. Ad Cyprianum quod attinet, luce clariùs superiùs constat, eum putare Iudam lotioni non interfuisse. Beda etiam Petro primas dat, item Augustinus tract. 56. in Ioan. *Quis nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit: sed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes Apostolorum lauare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, id est, ad Petrum.*

Nonnus, *A Simone incipiens vsque ad proprium interfectorem, à primo ad vltimum,* in postremum locum Iudam detrudit. Rupertus lib. 11. in Ioan. cap. 12. *Erat autem primus à quo incipiendum esset, Simon Petrus: nam etsi Andreas audito Ioannis testimonio, dicentis; Ecce agnus Dei, secutus prior quàm Petrus venit, & vidit vbi maneret ipse Dominus* IESVS; *attamen in ordine vocationis Apostolorum quando relictis omnibus secuti sunt eum, Ioanne iam tradito, nec Andreas, nec alius prior est Petro. sed vidit Dominus Petrum & Andream fratrem eius primos, & vocauit eos; ergo pedes discipulorum lauare incipiens, venit ad Simonem Petrum.* Albinus Flaccus Alcuinus lib. de diuinis officijs cap. 17. *Veniens primùm ad Petrum, cœpit lauare pedes eius, & extergere linteo, quo erat præcinctus.*

Glossa interpretatione morali: *Venit ergo ad Simonem Petrum, scilicet primò. & in hoc Christus dedit exemplum superioribus, illos inter subditos principaliter honorare, qui primi sunt ætate vel dignitate.* & Interlinealis, *Non venit post alios, sed priùs ad Principem Apostolorum: ideò expauescit, quòd Deus lauet pedes homini.* Historiam ac rei gestæ ordinem vidisse se Elizabetha Sconaugiæ lib. 2. reuelationum, c. 10. testatur. Die Iouis sancto *cùm vespertinum tempus immineret, eram in sacello ablutionis, vbi mandatum ablutionis celebrandum erat, cumq; inchoaretur Antiphona, quæ est, Ante diem festum, ego in vberrimas lachrymas confestim erupi, & facta sum in ectasi; tunc vidi Dominum in eadem ciuitate, quam in die palmarum introierat, sedentem cum discipulis suis in domo quasi ad cœnandum, cumq; adspicerem, surrexit à cœna, & ponens vestimenta sua, præcinxit se linteo, & accipiens peluim, incuruauit genua ante Petrum; & subitò Petrus exiliuit, & stabat quasi territus, & Dominus sicut erat inclinatus, loqui ad eum visus est, & post pusillum rursus ille resedit, & Dominus singulorum pedes lauit, iterumq; resumpto vestimento suo, recubuit, & sedebat quasi loquens ad illos.*

CAPVT VII.

Rationes tres cur discipulorum pedes lauerit, in Cyrillo Alexandrino.

H*Aec licet à Domino gesta sint actu corporeo, spirituali tamen scrutanda sunt intellectu*,ait B. Eligius homil.4. quia secundùm Augustinum tract.24.in Ioan. *Ipse Christus Verbum Dei est,etiam factum Verbi verbum nobis est.* Cur ergo lauit? Rationes tres lego apud Cyrillum Alexandrinum lib.9. in Ioan. cap.3. Prima, vt arrogantiam euelleret ex animis Apostolorum suo exemplo, qui summas causas superbiæ erant habituri. *Solet enim*,inquit,*illustribus viris crudelis arrogantiæ bestia insilire. quid autem Apostolis illustrius, aut qui se Deo coniunctiores dicere potuissent? Hic certè morbus in eos qui nil præclarum habent in vita, nunquam ingreditur. quî enim eum tentabit, qui nihil habet quod sibi arroget? qui admirationi est omnibus, is se solet ceteris anteponere.* Quid verò maius Deo? ille ergo cùm se demittit,facilè docet superbiam omnem ponendam esse. Cosmas Hierosolymitanus hymno 6. in theogoniam: *Discipulis demonstrat humilitatis figuram, nubibusq́; polum circundans,cingitur linteo, & flectit genu seruorum ad pedes lauandum, cuius in manu spiritus omnium existentium.* Petrus Blesensis serm.17. *Humiliatæ sunt ad pedes seruorum manus Saluatoris, vt huius humilitatis exemplo à cordibus humanis abstergeretur tumor elationis.* Secunda,vt præeat exemplo: ad Philipp.2.*Hoc sentite in vobis,fratres,quod & in Christo* IESV, qui de se dicit: *Si ergo ego laui pedes vestros Dominus,& magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis.* Faciunt sibi hoc inuicem fratres ait Augustinus tract.57. etiam opere ipso visibili, cùm se inuicem hospitio recipiunt. Est enim apud plerosque consuetudo huius humilitatis vsque ad factum quod cernatur expressa. Vnde Apostolus cùm viduam bene meritam commendaret (1.Timoth.5.) *Si hospitio*, inquit, *recepit, si Sanctorum pedes lauit*; *Et apud Sanctos vbicumque hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt, si in illorum numero sunt,quibus dicitur in hymno virorum, Benedicite sancti & humiles corde Domino. Multo autem melius est , & sine controuersia verius,vt etiam manibus fiat, nec dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus.cùm enim ad pedes fratris inclinatur corpus,etiam in corde ipso vel excitatur,vel si iam inerat,confirmatur ipsius humilitatis affectus.* Etiam viri illustres hospitibus manus pedesq́; lauabant. ita Comes quidam B.Cuthberto Lindisfarnensi Episcopo apud Bedam to. 3. operum fecit,quod

ex more ſolitum fieri dicit, imò monebantur officij, vt fratribus eam caritatem præſtarent: quod conſtat ex Miſſali Gothico, vbi Sacerdos in cæremonijs ad Chriſtianum faciendum, dum pedes baptizati lauantur, iubetur dicere, *Ego tibi lauo pedes, ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus fecit diſcipulis ſuis, tu facias hoſpitibus & peregrinis, vt habeas vitã æternam.* Apud Clementem 3. conſt. 19. cura lauandorum pedum imponitur diaconis: *Oportet vos ſeruire fratribus exemplo Chriſti: Qui vult inter vos, inquit, eſſe magnus, ſit veſter miniſter, & qui vult eſſe inter vos primus, ſit ſeruus veſter. Sic ille impleuit illud, bene ſeruire multis, & id quidem non verbis, ſed re: cùm enim, inquit, accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde fudit aquam in peluim, & nobis menſæ accubantibus acceſſit ad nos, & noſtrûm omniũ pedes lauit, & linteo terſit: cùm hoc faceret demonſtrabat nobis amicitiæ fraternæ caritatem, vt nos quoque inter nos idem faceremus. Si ergo Dominus noſter idemq́ magiſter ſic ſe ipſe humiliter abiecit, quomodo pudebit hoc vos facere fratribus infirmis & imbecillis?* Cyprianus de ablutione: *Non erubeſcat ſeruus ſi facere iubetur quod priùs fecit Dominus: nec difficile nobis eſſe debet, ſi ſicut ille nobis donauit, & nos inuicem condonamus.* Et Cõcilio Aquiſgranenſi can. 141. clericis omnibus præſcribitur, *Clerici, ſi aliis temporibus nequeunt, ſaltem quadrageſimæ tempore pedes pauperum in competenti lauent hoſpitali.* Ambroſius verò l. 3. de Sacramentis c. 1. recèns baptizatum alloquens oſtendit Epiſcopos id muneris obiuiſſe, *Succinctus*, inquit, *ſummus Sacerdos pedes tibi lauit.* Vbi nota, moris olim fuiſſe baptizatis lauare pedes, vt ex Bernardo ſerm. de cœna Domini, Cypriano de vnctione chriſmatis, Ambroſio ſuprà diſcimus, cuius hæc verba: *Non ignoramus quòd Eccleſia Romana conſuetudinem hanc non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam: hanc tamen conſuetudinem non habet, vt pedes lauet. Vide ergo ne fortè propter multitudinem declinauit. Sunt tamen qui dicant, & excuſare conentur, quia hoc in myſterio faciendum eſt, non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed quaſi hoſpiti pedes lauandi ſint. Aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. Denique audi, quia myſterium eſt & ſanctificatio. Niſi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem. Hoc ideò dico, non quòd alios reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, ſed tamen & nos homines ſenſum habemus. ideò & quod alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus. ipſum ſequimur Apoſtolum, ipſius inhæremus deuotioni.* Vbi B. Ambroſius ſanctitatem imprimi lotione vult, & illius impetrandæ magis, quàm humilitatis exercendæ cauſa fieri, quatenus ad Sacramenti rationem aliqua ratione pertineret. Idcirco Romana Eccleſia lotione abſtinebat tunc temporis, ne errori locum daret, vt ex Auguſtino habemus

bemus ad Ianuarium epist.119.cap.18.qui contrà ad humilitatem potiùs quàm ad sanctitatem refert. *De lauandis verò pedibus cùm Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendauerit, sicut ipse consequenter exposuit, quæsitum est quonam tempore potissimùm res tanta etiam facto doceretur, & illud tempus occurreret, quo ipsa commendatio religiosiùs inhæreret; sed ne ad ipsum Sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt: nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitauerunt.*

Ad imitationem item refert Ambrosius prologo in lib.1.de Spiritu sancto: *Volo & ego pedes lauare fratrum meorum, volo Domini implere mandatum. Voluit me non verecundari, non dedignari quod ipse priùs fecit bonum mysterium humilitatis, quia dum alienas sordes lauo, meas abluo.* Tertia, quia caritatis concordiæque fundamentũ in humili animo iaci solet. Dicit ergo Euangelista, sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus, id est, quamuis sciuerit omnium se habere potestatem, & quòd à Deo exiuerit, id est, à substantia Dei Patris emanauerit, & ad Deum vadat, id est, quòd rursus in cælum ascendens Patri conglorificabitur, tamen sic se humiliauit, vt linteo præcinctus discipulorum pedes lauerit. Aduerte, in triplici hac ratione fundamentum in humilitate esse positum, quam egregiè æmulata est B. Elizabeth apud Iacobum Montanum in eius vita; hæc enim *quo die vltimam cœnam recolere in vsu est Christianis, interdicto sibimet penitus pretiosarum vsu vestium, ad similitudinem plebeiæ cuiuslibet mulieris vestita in publicum procedebat, post meridianam basilicarum visitationem ita humili schemate peragens, vt nonnisi vna è vulgo putari ab ignorantibus posset; tum etiam accitos duodecim è pauperioribus, tanto dignata est honore, vt prostrata pedes eorum lauerit, extersterit, osculo impertiuerit, singulis denique duodenos nummos, pannumq́; ad mensuram commodæ vestis, atque triticeum panem donauerit. Leprosos eo die non paucos aliquando susceperat, quorum manus & pedes cùm abluisset, non est verita abominatissima tubera locorum osculo contingere. Neque deinceps tales vnquam auersata, ipsis perinde atque incolumi glabraq́; cute nitentibus, locuta est, seditq́; vicina: tum ad patientiam affatim exhortatis, stipem liberaliter porrigebat.* Et Robertus Galliarum Rex, de quo hæc Helgaldus in eius vita; die cœnæ Domini *post mensam præparans se Dei seruus, rex humilis ponebat vestimenta sua, indutus ad carnem cilicio, adiunctoq́; clericorum collegio 160. & eo amplius numero, ad exemplum Domini eorum pedes lauans, capillis capitis sui tergebat, & ad mandatum Domini singulos eorum duobus solidis remunerans clero præsente & Diacono astante, qui lectionem legeret secundùm Ioannem in cœna Domini dictam & factam,* &c.

CAPVT VIII.

Aliæ causæ ab aliis Patribus productæ lotionis pedum.

BErnardus ferm. in cœna Domini, ad illud, *Quod ego facio tu nescis modò. Hinc manifestum satis est,* inquit, *lotionem hanc factam non tantùm in exemplum, sed etiam in mysterium spiritualis munditiei, quanquam hoc mysterium postea non explicauerit, sed tantùm pro ratione facti sui dixerit, Exemplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis. multa enim habebat illis dicere Dominus, sed tunc non poterant portare.* Rimemur igitur quid causæ Patres fuisse senserint humilis lotionis.

1. Autor ad Fratres de eremo ser.28. pseudo-augustinum se prodit vel hoc nomine cùm dicit: *Qui lotus est in baptismate totus, non necesse est, nisi vt pedes venialium peccatorum lauet, quibus humana mens obstare non potest, nec infans cuius vnius diei vita regnat super terram.* quasi dicat, infantem vnius diei venialiter peccare: quod absurdum est, cùm vti ratione & libero arbitrio per ætatem nondum possit. Ambrosius l.3. de Sacramentis c.1. innuit per lotionem conferri maius subsidium sanctificationis, quò faciliùs diaboli tentationes euadas, vel vincas; *Qui lauit,* inquit, *non necesse habet lauare iterum, nisi vt solos pedes lauet. quare hoc? quia in baptismate omnis culpa diluitur. recedit ergo culpa, sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes; ideò lauas pedes, vt in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quò postea te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis.* Quæ si vera sunt, ablutio illa habebit vim Sacramenti, saltem ad conferendum auxilium diuinum. Idem indicat lib. de iis qui mysterijs initiantur c.6. *Mundus erat Petrus, sed plantam pedis lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantauit serpens, & persuasit errorem; ideo planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollantur. nostra enim propria per baptismũ relaxantur.* Vbi per hæreditaria peccata intelligit motus concupiscẽtię, ad quos tollẽdos dicit ablui pedes, quia per hãc ablutionẽ confertur maius auxiliũ sanctificationis, quo motus illi impediũtur ne in nobis dominentur. Similis fere est sententia Bernardi. Verùm Ecclesia Romana talẽ vim in hac ablutione non agnoscit, neque alij SS. Patres, vnde etiã eam post baptismum non adhibet.

Meliùs S. Ioannes Damascenus lib.4. de fide cap.14. *Discipulorum pedes lauit, per id videlicet sanctum baptisma designans.* & Eucherius Lugdunensis quæstionibus in nouum testamentum, vbi hæc *interrogatio: Quid mysterij continet ille locus, vbi Dominus pedes discipulorum lauit? Responsio: In loco illo maledictum calcanei diluitur, quod diabolo incentore ani-*

mæ nostræ gressus incurrebant. Primò enim morsibus eius nostrum patebat calcaneum: porro cùm dictum est, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, maledictum illud abolitum est.

2. Vt animas discipulorum purgaret. ex Missali Gothico: *Quorum pedes extrinsecus abluebat, ipsorum animas indulgentiæ hyssopo intrinsecus expiabat.* Et Theophilus Antiochenus libr. 4. allegoriarum in Euangelia: *Ideò* IESVS *pedes Apostolis lauit, ne quid in eis terrenæ cogitationis & maculæ remansisset, vel remaneret.* Et in hoc Christi facto *docemur quòd pedes suos & aliorum lauant,* ait Stephanus Eduensis Episcopus li. de Sacramento altaris, cap. 6. *qui puluere terrenæ cupiditatis expulso, irriguo caritatis, quod lætificat ciuitatem Dei, lauant pedes vitiorum, & desideria carnalia expellunt.*

3. Vt de ijs peccatis pœnitentiam instituendam moneat, quæ post baptismum, vt Augustinus & Bernardus loquuntur, in terra, id est, inter res humanas gradientis pedibus veluti lutum aut puluis adhæserunt. ita Cyprianus de ablutione pedum. *Docemur quæ sit baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas, & quantum ad expiationem proficiat humilis pietas, & pia humilitas, & quomodo omni tempore prosequenda, & repetenda sit ablutio pedum, per quam rectè cognitam & intellectam adhærentes animæ sordes, quotidiana satisfactione lauantur.* Et B. Eligius serm. 4. de pœnitentium reconciliatione: *Hæc omnis pedum lotio nostrorum peccatorum est purgatio: vnde non incongruè hac ipsa die, sicut Ecclesiæ tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio.*

Quam diuturnam decet esse, nec pedes dehinc postea inficiendi. Ambrosius lib. 3. de virginibus: *Benè sancta Ecclesia dicit, Laui pedes meos; non dicit, Quomodo iterum lauabo eos? sed, Quomodo iterum inquinabo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Admonet igitur in ministerio corporali, quemadmodum spirituale debeamus actuum nostrorum diluere vestigium. itaque pedes cùm semel laueris æterni fontis irriguo, & mysterij mundaueris Sacramento, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur.*

4. Origenes in Ioannem. Lauit Christus, *vt immunditiam quam in pedibus suis habebant discipuli, in suum ipsius reciperet corpus, mediante linteo eo, quo solo præcinctus erat.* quasi dicat, vt ostendat in corpore suo se nostra peccata tulisse.

5. Vt præparentur discipulorum pedes in Euangelium pacis.

6. Vt ostendat quàm mundi esse debeant, qui ad V. Eucharistiam accedunt.

CAPVT IX.

Christo Petrus restitit, dicens, Non lauabis mihi pedes in æternum.

PRimùm accidit Petro ad pedes & genua, qui vt erat ingenij calentis, ebullijt, maximè vrgente cultu & obseruantia in magistrum. tum, Tu, inquit, mihi lauas pedes? Et est auctor vir doctissimus nostri æui, qui surrexisse de loco dicat, & per cœnaculum cucurrisse ingeminando, Tu mihi lauas? Hoc elicit ex auctore ad Fratres de eremo. nempe illi veniebat in mentem se abiectissimum & peccatorem esse, vt notant Chrysostomus, Theophylact. Euthym. se seruum esse, Christum Dominum, vt glossa. Et expendit exactè Augustin. *Tu, & mihi. Tu mihi: quid est, tu? quid est, mihi? cogitanda sunt potiùs, quàm dicenda: ne fortè quod ex iis verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua.*

Adrianus Hoffstadius in Euchariſt.

Verùm Origenes non putat tam alta speculatum. ad feruorem refert. *Petrum,* inquit, *Scriptura sæpenumerò notauit feruentiorem ad promittendum, quæ sibi videbantur meliora, quemadmodum in eo quod dixit absque vlla examinatione, ac veluti spernens prophetiam* IESV, *de discipulis dicentis, Omnes vos offendemini mea causa nocte hac.* Et infrà, cùm supposuisset alios discipulos ante Petrum lotos, quod suprà refutatum est, quasi ceteri symbolicam lotionem interpretati fuissent: *Solus Petrus id quod in promptu erat & apertum intuitus, nullo alio consilio adhibito veluti honorans* IESVM, *non præbuit illi suos pedes lauandos, sed primùm quidem tentauit illum pudore perfundere dicens, Domine tu mihi lauas pedes?* &c. Et arguit inconsiderantiæ: *Si cogitasset rei, quæ cum ratione efficitur, non contradicendum, cogitassetq; rationabile esse id quod fiebat, dum lauarentur discipulorum pedes à* IESV, *haudquaquam repugnasset facto.*

Error hic Petri nobis profuit; discimus enim non pertinaciter inhærere falso. Correxit se Petrus, & eodem feruore cùm videret id Christo placere, totum se solidumque lauandum obtulit. Hinc Theophylactus eum excusat, & meritissimò laudat: *Vtrumque ex caritate fiebat, & detractio, quia plurimum obseruabat Dominum, & admissio, quia à Domino separari nolebat. Tu autem cùm videris aliquem valdè vrgentem & dicentem, & cum iuramento, Nunquam faciam hoc: & deinde reuerentia iuramenti in hoc quod decreuerat pertinacem, & ex eo periclitantem vel in anima vel corpore, rectè vtaris hoc Petri exemplo, qui cùm pertinax esset, vidit pertinaciam vergere in separationem à Christo, abstitit ab illa.*

Ambro-

Ambroſius prologo ad Gratianum in lib. 1. de Spiritu ſancto: *Extendantur pedes animorum noſtrorum. Vult Dominus* IESVS *& noſtros lauare pedes: non enim Petro ſoli, ſed vnicuique dicit fideli, Niſi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem. Veni ergo Domine* IESV, *exue te veſtimenta tua, quæ propter me induiſti: eſto nudus, vt nos miſericordia tua veſtias. præcinge te propter nos linteo, vt nos tui muneris immortalitate præcingas. mitte aquam in peluim, laua non ſolùm pedes, ſed etiam caput. nec ſolùm corporis noſtri, ſed etiam mentis veſtigia volo exuere, omnes noſtræ ſordes fragilitatis, vt & ego dicam, Nocte exui tunicam meam, quomodo induam eam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? quanta iſta maieſtas eſt? quaſi miniſter pedes famulorum tuorum lauas, quaſi Deus rorem mittis è cælo. Nec ſolùm pedes lauas, ſed etiam vt tecum recumbamus, inuitas.*

CAPVT X.

Iterum recubuit à lotione, & verba habuit ad diſcipulos.

POſtquam lauerat pedes, & veſtes reſumpſerat, tanquam rex ſacrorum in ſummo accubuit, teſtamentum conditurus. Vbi mihi occurrit de Iacobo Patriarcha cogitare Geneſis 49. qui ſub vitæ finem filios ſuos duodecim ad ſe vocarat, vt ſingulis benediceret, & olim futura nuntiaret: *Vocauit autem Iacob filios ſuos, & ait eis, Congregamini, vt annuntiem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſraël patrem veſtrum,* &c. *Finitiſq; mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit; appoſituſq; eſt ad populum ſuum.* Figura eſt de Chriſto qui diſcipulos duodecim conuocauit, præmonuit de futuris, traditorem ſuum inter ipſos accumbere, diſpergendos omnes, negaturos, ſcandalum paſſuros, &c. Et pro benedictione, teſtamento corpus ſanguinemque ſuum ijs reliquit, poſtmodum collectis pedibus ſuper lectulum crucis expirauit.

Alteram figuram in Ioſia habemus 2. Paralip. 35. *Fecit autem Ioſias in Ieruſalem phaſe Domino, quod immolatum eſt quartadecima die menſis primi, & conſtituit ſacerdotes in officiis ſuis, hortatuſq; eſt eos vt miniſtrarent in domo Domini,* &c. *non fuit phaſe ſimile huic in Iſraël à diebus Samuelis prophetæ, ſed nec quiſquam de cunctis regibus Iſraël fecit phaſe ſicut fecit Ioſias.* Phaſe inſtituit Chriſtus in Ieruſalem immolatum decimaquarta luna menſis primi, in quo diſcipulos ſacerdotes conſtituit. nullum huic ſimile fuit, quia ibi corpus ſanguinemque ſuum obtulit, ſacrificium iuſtitiæ, & oblationem holocauſti Domino Deo & Patri. Vt verò pha-

se celebrauit, Nechao rex Ægypti Aſſyrijs bellum parabat, cui obuiam Ioſias venit, eique ſe oppoſuit, Nechao nihil in eum meditante. Sic cœna peracta dæmoni ſe obiecit, vt in nos armatum, & ſæuientem auerteret, eumque in ſe Chriſtus excepit, ac pro nobis plenus vulneribus occubuit.

CAPVT XI.

Quis ille vnus veſtrûm?

ALiqui de Petro fortè ſuſpicabantur, quia plus, & plurima ſe facturum iam promiſerat pro magiſtro, ſuſpicantes quòd ficto corde ſic toties loqueretur. Ita author ad Fratres de eremo, ſerm. 28. valdè probabiliter. Veroſimilius tamen eſt omnes ſibi timuiſſe, & præ conſternatione animi primùm de ſe tantùm laboraſſe, tum conſcientiæ teſtimonio nonnihil reſpiraſſe & inquiſiuiſſe de authore. Iudas extra ſuſpicionem erat. Origenes: *Iudas ex his quæ antea rectè egerat, perſuaſerat Apoſtolis, vt nihil de illo ſuſpicarentur mali.* Habebatur ergo

Integer vitæ, ſceleriſq; purus.

Chriſtus enim omni ratione à concepto paricidio reuocabat. prædixit iam antè paſſionem non ſemel, proditorem hîc in genere deſignat, idque ſuppreſſo nomine, beneficia in eum à ſe collata recenſet, vt impudentiam deponat, induat pudorem. Hieronymus in Matth. cap. 26. lib. 4. *Qui de paſſione prædixerat, & de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, vt cùm intellexiſſet ſciri cogitationes ſuas & occulta conſilia, pœniteret eum facti ſui, & tamen non deſignat ſpecialiter, ne manifeſtè coargutus impudentior fieret, mittit crimen in numero, vt agat conſcius pœnitentiam.* Putatque Origenes emphaſim quamdam adhibuiſſe Chriſtum: *Exiſtimo verò,* inquit, *cum admiratione dicta fuiſſe verba hæc tali ſenſu: Qui me proditurus eſt, non eſt alienus à diſcipulis meis, ac ne vnus quidem ex multis & vulgaribus diſcipulis, ſed vnus ex illorum Apoſtolorum numero, quos ego mihi honorandos delegeram.* Hieronymus in Marci 14. *Vnus numero, non vnus merito; vnus nomine, non vnus numine; vnus corpore, non vnus animo. Vnde ſponſus* Cantic. 4. *ad ſponſam canit: Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Oculus & crinis ſapientiæ, eſt virtus, quoniam Iudæ cum ceteris dicitur, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni, & Dedi vobis poteſtatem.* Nota ex Chryſoſtomo enarratione in Matth. *Non dixit, Ille me proditurus eſt, ſed Vnus veſtrûm, parcens & in hoc proditori, vt latenti rurſus indulgeret reſipiſcendi facultatem.*

tem. Maluitq́, prorſus omnibus terrorem ac mœſtitiam ingerere, quàm ſalutis illi viam præcludere.

Quæres ergo, quis infidus ille vnus veſtrûm, quem Chriſtus deſignauit, & quem Euangeliſtæ prodiderunt? Iudas Iſcariotes; cuius etymon Bernardus examinat ſermone de Cœna Domini: *Iſte, vt arbitror, fuit filius Simonis Scariothis. Simon dicitur obediens: ſed qualis vir fuerit iſte Simon, Deus ſcit, ego autem neſcio; Scariothis à vico, in quo ortus fuit, qui alio nomine Marmotis dicitur, ſiue mala mors; & meritò de mala morte fuit, qui ſic malè periit.* Sed ficta eſt hæc etymologia à *Marmotis*; rectè ab Hebræis, ex quibus Iudas ortus, non à Gallis, vt indocti quidam voluerunt, deducemus, quamuis in eundem cum Bernardo ſenſum; Iſcarioth, vir occiſionis eſt, exterminationis, mortis, ab *iſch*, id eſt, *vir*, & *carioth*, id eſt, exterminium, & vici nomen, ex quo ille vir Cariothenſis. Ab Iſſachar alij deriuant, quod mercedem ſignificat, & ex qua ille tribu videtur fuiſſe, ſed Iſſacharitem non Iſchariotem inde haberemus. Nota tamen, diuino conſilio nomen perdito inditum ab euentu, vt videas quàm

Conueniant rebus nomina ſæpe ſuis.

Vir occiſionis fuit, quia ſeipſe confecit. Et mercede iniquitatis ab Iſſachar nomen eſt demeritus.

CAPVT XII.

Cùm hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu. Ioan. 13. Quia vnus ex vobis tradet me.

ITa in amoribus Chriſto Iudas erat, vt nonniſi turbatus ſpiritu de illius ſacrilega deſignatione quicquam potuerit eloqui: ſed ſpiritu humano tantùm, vt Gloſſa interlinealis, ſiue vt Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Triſtis non eſt ipſe, ſed anima; non eſt triſtis ſapientia, non diuina ſubſtantia, ſed anima.* Lyranus: *Hæc verò turbatio, quæ erat in parte ſenſitiua, non erat contraria rationi, ſed magis conueniens*, idque ſecundùm Gloſſam, *quia ex imperio rationis procedebat.*

Sed Stoici hîc inſurgent, animi mutationem & perturbationem, in ſapientem non cadere: contra conſtantiam hoc eſſe, & in lætis iuxtà ac triſtibus æquabilitatem mentis; dedecere Chriſtum, Dei Sapientiam, ea fortitudine non eſſe. Reſpondet Auguſtinus tract. 60. eoſque ridet: *Pereant argumenta Philoſophorum, qui negant in ſapientem cadere*

perturbationes animorum. Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi, &c. *nec philoſophorum Stoicorum, vel quorumcumque ſimilium conſentiatur errori, qui profectò, quemadmodum vanitatem exiſtimant veritatem ſic ſtuporem deputant ſanitatem, ignorantes ſic hominis animum, quemadmodum corporis membrum deſperatiùs ægrotare, quando & doloris amiſerit ſenſum. Ita verò nihil indignum credant ſerui de Domino ſuo, ſed agnoſcant ſe membra in capite ſuo. Qui mortuus eſt pro nobis, priùs turbatus eſt idem ipſe pro nobis. Qui ergo poteſtate mortuus eſt, poteſtate turbatus eſt. Qui transfigurauit corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ, transfigurauit etiam in ſe affectum infirmitatis noſtræ, compatiens nobis affectu animæ ſuæ. Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, inuictus, non ei timeamus, quaſi deficiat; non perit, ſed nos quærit,* &c. Exhortatur etiam Chriſtianum quemque ad chriſtianam philoſophiam: *Turbetur planè animus chriſtianus non miſeria, ſed miſericordia, timeat ne pereant homines Chriſto, contriſtetur cùm perit aliquis Chriſto, concupiſcat acquirere homines Chriſto, lætetur cùm acquiruntur homines Chriſto: timeat & ſibi ne pereat Chriſto, contriſtetur peregrinari ſe à Chriſto, concupiſcat regnare cum Chriſto, lætetur dum ſperat ſe regnaturum eſſe cum Chriſto. iſtæ ſunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor & triſtitia, amor & lætitia.* Eſt autem turbatus, quia traditor erat expreſsè diſcernendus à cæteris, & exiturus ad Iudæos, quia imminebat paſſio, & proditoris impendens manus. ita cum Auguſtino Ambroſius.

CAPVT XIII.

Quo loco inter Apoſtolos?

CYrillus lib. 8. in Ioan. cap. 7. *Quidam pecuniæ adminiſtrationem ſuſcepiſſe Iudam putant, tanquam minimum omnium, quia pecuniæ diſpenſatio doctrinæ communicatione inferior eſt, vt aiebant Apoſtoli in Actis, Non eſt æquum derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Vbique toti eſſe non poſſumus. Martham auocat ſolicitudo nimia circa plurima, ab otio illo negotioſo orationis, & animi coniunctionis cum Deo: Maria ad Chriſti pedes ſedet. nempe ſymbolum hîc eſt otij, & negotij. Vnde Baſilius in regulam 20. ex fusè diſputatis: *Caueat Martha ne turbetur erga plurima, memor ſororis meliorem partem eſſe: ſic illa iuuari ab hac velit, vt ei non noceat.* Propterea exteriorum cura induſtrijs imponenda, qui ad res agendas apti effundunt ſe ſæpiùs in terrena, non accommodant; ad res verò ſpirituales, vt meditationem, lectionem, ſcriptionem, verbum Dei populo proponendum tardi. Marcus eremita diſputatione

cum

cum seculari causidico, *Discere debemus illos incumbere debere ministeriis, qui in oratione perdurare nequeunt, ne vtrisque destituamur; qui verò possunt his quod præstantius est, non esse negligendum.* Bernardus libr. 4. de consideratione cap. 6. Eugenium Papam instruit, quomodo temporalia alijs committenda sunt exemplo Christi, qui eam curam Iudæ commisit, etsi parum fido: *Non te moneo summis occupatum intendere infimis, & quasi minutum fieri, in minimis impendere, quod maximis debes. Quid te intrices, vnde te eripuit Deus? Hæc, inquit, omnia adiicientur vobis. Verumtamen & hæc oportet facere, & illa non omittere. at illa per te agens, per te etiam oportet prouideas, qui pro te de his prouideant,* &c. Vide eum ibi. Negligebant magni etiam viri externa, & alijs committebant. De Augustino patet ex Possidio in vita cap. 24. *Nunquam clauem Augustinus, nunquam annulum in manu habebat, sed à domus præpositis cuncta & accepta & erogata notabantur,* &c. *magis illorum fidem sequens, quàm probatum manifestumq́; cognoscens.*

Verumtamen inter Apostolos magnum fuisse alij contendunt, & præ cæteris eminuisse. Hoc innuit Leo serm. 16. de Passione: *Visus est,* (scilicet Christus) *obcæcatæ plebis insania, quomodo & perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris, & beneficiis est reuocare dignatus & verbis, assumendo in discipulum, prouehendo in Apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, vt cui nihil beneuolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen.* Et apertiùs multo Anastasius Sinaita lib. 7. contemplationum anagogicarum Iudam comparat angelis principibus apostatis: *Vt scriptum est dolo deceptum Adam, ita Iudas dolo & osculo fecit proditionem, & vt dictum est diabolum ingressum serpentem, ita scriptum est Satanam intrasse in cor Iudæ discipuli Christi. Fuit autem aliquando Satanas in cælis, discipulus Christi cum cæteris sanctis discipulis, cum angelicis inquam virtutibus; sed erat vnus ex principibus, de eo dicitur, Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Quare & Iudas erat vnus ex summis discipulis, inter quos ei quoque creditum est, & in manus datum marsupium.* Et Origenes, vt suprà vidimus, *Vnus ex illorum Apostolorum numero, quos ego mihi honorandos delegeram.* Vtrorumque ei cura est, & temporalium & spiritualium, quam in vnum incumbere qui par sit oneri, non improbat Synesius Episcopus Ptolomaidis, à se tamen reijcit, dum ita scribit: *Non condemno Episcopos, qui in rerum negotiis versantur, sed magis miror eos, qui vtrumque possunt: mea facultas non est, duobus dominis seruire. Si verò sunt aliqui qui neque à condescensu læduntur, poterunt sanè & sacerdotio fungi, & ciuitatum præfecti esse: radius enim Solis si cum stercore versabitur, purus manet, non inquinatur. ego verò cùm idem hoc*

 fecero,

facero, fontibus & mari opus habeo. Etsi verò cōdemnare se neget Episcopos qui humana diuinis, spiritualia sacraque terrenis miscent ac confundunt, meritissimò tamen queritur onus vtrumque sic à quibusdam suscipi, vt honestè non defungantur. rationes aliquot dat graues vrgentesque, quas aurea hac ratiocinatione complectitur: *Ciuilem virtutem cum sacerdotio coniungere, est versare ea quæ simul versari non possunt. Priscum seculum tulit eosdem sacerdotes & iudices. Nam & Aegypti, & Hebræorum gens multo tempore sacerdotes reges habuerunt: deinde, vt mihi videtur, cùm diuinum opus humano more perageretur, seiunxit Deus vitæ conditiones, & alius sacerdos, & alius dux effectus est. Alios enim ad materiam direxit, alios sibi ipsi collocauit. Ordinatum autem est, vt illi quidem in rerum negotijs, nos autem in precibus versaremur. Quod verò bonum est ab ambobus exigit Deus. Quid igitur reducis? quid separata à Deo coniungere conaris, qui neque vt gubernemus, sed vt falsò gubernemus, exigis? Qua re quid fieri miserius possit? opus est tibi præfecto? ito ad procuratorem legum reipublicæ. Opus habes aliqua in re Deo? ito ad sacerdotem ciuitatis.* In Iuda vtraque cura, sed non par virtus fuit, idq; Deus egit, quo sibi faciliùs deuinciret, omnēque proditionis occasionē præscinderet. Ambros. l. 1. offic. c. 16. *Loculos pecuniarū, quas pauperibus erogaret cōmissos habebat, ne videretur aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominū prodidisse, & ideò vt iustificaretur in eo Dominus hæc ei contulit, vt nō quasi iniuria exasperatus, sed quasi præuaricatus gratiā, maiori esset offensæ obnoxius.*

CAPVT XIV.

An fuerit aliquando bonus?

NVnquam bonum fuisse, sed semper malū, aliqui Patrum opinantur. Rupert. l. 12. in Io. *Nisi tu,* scilicet Pater, *eos mihi dedisses, nunquā cognouissent, sicut non cognouit perditus Iudas, cuius ab effectis palam omnibus est, quia non eum mihi dedisti, nec tui causa me secutus est, sed cùm esset tuus, tuis per hypocrisin fuit admixtus peccator & dolosus. Propterea nunquam hoc illi sapuit, quod isti cognouerunt, scilicet, quia omnia quæ dedisti mihi, id est, quæ feci opere, quæcunque dixi doctrinæ verba, abs te sunt: sed dixit mala in corde suo, cum eis sentiens, qui dixerunt, In Beelzebub principe dæmoniorū eiicit dæmonia, &, Non est hic homo à Deo.* Rupert. Ioan. 6. *Filius perditionis nunquā bonus fuit, nec de bono electo malus factus est, sed quia malus erat, idcirco ad opus necessarium, ab eo, qui malis bene vti nouit, electus est, & apud illū pro malo semper habitus est.* Abulensis Matt. 10. q. 43. Erat Iudas semper malus, & licet talē eū Christus sciret, tamen elegit cū ceteris. Sine fide fuisse semper, vult Aug. tract. 55. in Io. *Factū ergo iā fuerat in corde Iudæ per immissionē diabolicā, vt traderet discipulus magistrū, sed quē nō didicerat Deū, iā talis venerat ad cōuiuium*

uiū explorator pastoris, insidiatòr Saluatoris, vēditor redēptoris; iā talis venerat, & videbatur, & tolerabatur, & se ignorari arbitrabatur, quia in eo, quē volebat fallere fallebatur: at ille isto in ipso corde intus inspecto nesciēte sciēter vtebatur.
Pridem defecisse à Christo dicit Chrysost. hom. 25. in Matth. *Multi profectò credētium acceperant dona gratiæ, ex quibus erat ille, qui cùm in Christi nomine dæmonia eiiceret, non tamen eum etiam sequebatur, qualis erat & ipse Iudas.* Iis eum accensens, qui cùm patrarent miracula, Christum tamen non sequebantur. Gaudentius Brixiensis ser. in ordinatione sua, in cōuentu Apostolorum, cùm Petrus Christum fateretur filiū Dei, fidē Iudę negat: *Iudas ille Ischariotes, quē corde non crediderat, ore confiteri non poterat.* quasi diceret non subscripsisse Iudā professioni, quā de Christo Petrus edebat. Et tract. 13. fictū fuisse in ædibus Simonis Leprosi, vbi mulier in Christum vnguēti alabastrum effudit: *Iudas,* inquit, *licet studio fraudis & odio Saluatoris, sub prætextu pietatis tamen illa ipsa pietatis verba deprompserat, Quare hoc vnguentum venundatum nō est?* Nota quod dicat, *odio Saluatoris.* Interim patrabat miracula pessimus mortalis, curabat infirmos, prædicebat futura, nec in aliquo alijs Apostolis cedebat. nec mirum: ex officio enim id ei cōpetebat. Bernar. ser. 12. de Oneribus: *Per iumenta austri possumus eos significatos dicere qui dona Spiritus sancti, non per meritū, sed per officiū sortiuntur, sicut sunt prophetia, curationes, & cætera huiusmodi: quos ordinant, ordinātur; maledicuntur, quos maledicunt; quos benedicunt, benedicūtur; ligantur, quos ligant; & quos soluūt, absoluuntur, ita tamen si hæc omnia secundū leges Ecclesiæ, non secundùm animæ impetum faciunt. Hinc est quòd Balaam populo Dei benedixit, quòd Caiphas pessimus prophetauit, quòd Iudas pessimus sicut cæteri Apostoli miracula fecit.* Idq; vt in fide nos firmaremur Deus permisit; deinde voluit nos instructos, signa non esse argumenta sanctitatis in operante. Anastasius Nicenus q. 23. in Script. *Quādo videris & per hæreticos, & per incredulos diuino iudicio fieri aliquod signum, ne obstupescas, aut à recta fide dimouearis, sæpe enim eius qui accedit fides, ea est quæ signū facit, non eius qui fecit dignitas: Ioannes quidem certè, qui fuit maior omnibus inter natos mulierum, nullum signū fecisse cernitur; Iudas autē omnino fecit. nam ipse quoque erat cum aliis qui missi sunt ad mortuos suscitandos, & leprosos mundandos: quare ne quid magni putes, si videris aliquē indignum aut à fide alienum signū facere.* In Matt. 7. Hieronym. *Prophetare & virtutes facere, & dæmonia eiicere, interdum non eius meriti est qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationē eorum, qui vident & audiunt conceditur, vt licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula: nam & Saul & Balaam & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent, & Pharao & Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt. Et in Actibus*
Apostο-

Apostolorum filij Sceuæ videbantur eiicere dæmonia. Sed & Iudas Apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur. Non sunt gratiæ, quæ Deo hominem gratum faciant, sed ab ipso gratis nullo nostro merito dantur. Sed & opera etiam bona nihil ei vnquam profuisse, quòd in statu gratiæ nunquam fuerit, sed voluntate à Deo semper auersa. Gregorius Nyssenus orat. de pauperibus amandis: *Nonne Iudas etiam cum vndecim ieiunabat? tamen quia mores auaritiæ deditos non refrenabat, nihil ad salutem illi ieiunium profuit. Non ergo* (ait Cyrillus li.8. in Ioan. c.7.) *tum primùm periit Iudas, cùm accepit à Iudæis pecuniam vt Dominum traderet; iam antea fur erat, & Dominum perditus sequebatur, non corde sed corpore.* Et Augustinus tract. 50. in Ioan. cap. 12. *Ecce audite, Iudas iste non tunc peruersus factus est quando accepit à Iudæis pecuniam vt Dominum traderet: non tunc periit, iam fur erat, & Dominum perditus sequebatur; duodenarium numerum Apostolorum implebat, apostolicam beatitudinem non habebat, ad imaginem fuerat duodecimus: quo decedente, & Matthia succedente, & suppleta est apostolica veritas, & numeri permansit integritas.* Quæ verò gessit, suo malo gessit, vt peccator quilibet sacerdos facit; peccat ille cùm in mortali scelere consecrat, Sacramenta alia administrat, res tamen quas gerit æquè puræ sunt ac si à sanctissimo quopiam viro gererentur. Vrbanus II. Papa Præposito Ecclesiæ S. Iuuentij apud Ticinum: *Ad hoc verò quod subiungitur in eadem epistola, vtrùm sit vtendum ordinationibus, & reliquis Sacramentis à criminosis exhibitis, vt adulteris, vel sanctimonialium violatoribus, vel huiusmodi? ad hoc, inquam, ita respondemus, Si schismate vel hæresi ab Ecclesia non separantur, eorundem ordinationes, & reliqua Sacramenta sancta & veneranda non negamus,* Sibi nocet non Sacramento, non cui confert, si tantùm ex mente Ecclesiæ & Christi institutoris administret. Ita Anastasius Papa Anastasium Orientis Imperatorem docet; *Secundùm Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullum de his quos vel baptizauit Acacius, vel quos Sacerdotes, vel Leuitas secundùm canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacij portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videatur. Nam & baptismum, quod procul sit ab Ecclesia, siue ab adultero, siue à fure fuerit datum, ad percipiendum minùs peruenit illibatum, quia vox illa, quæ per columbam sonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur,* Matth.3. Luc.3. *Hic est, qui baptizat Spiritu sancto & igne. Nam si visibilis Solis istius radij cùm per loca fœdissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multò magis illius qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur. Nam & Iudas cùm fuerit sacrilegus atque fur, quicquid*

quid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt, &c. Deinde prosequitur: *Malè bona administrando, sibi tantùm nocuit, nam inuiolabile Sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quod cùm ita sit, aliquorum ita se extendit curiosa suspicio, vt imaginentur prolato à Papa Felice iudicio, postea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acacius vsurpauit egisse, ac proinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia diuina videantur. Videat in hac quoque parte similiter tractatum præualere superiorem, quia non sine vsurpatione nominis sacerdotij adiudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysterijs, in hoc quoque aliis, rea sibi persona non nocuit.* Similibus hæc pulcherrimè illustrat Gilbertus Lugdunensis Episcopus contra Oliuerij hæresin apud Rogerium in Annalibus Angliæ: *Sicut Imperatoris vel Regis Franciæ, vel alicuius Potentis nuntius non corrumpit vel vilificat sui abiectione vel pannositate, quod dicit: sic verba Domini non variantur, nec maculantur. & sicut Solis radius transiens per cloacas maculam non contrahit, nec fætorem, vel sicut aqua pura & nitida transit ad areolas per canales luteos aut sordidos, vel limosos: sic verba dominica non sordidantur, nec meliùs nec nitidiùs per bonum quàm per malum proferuntur.* Diuino monitu hoc solitarius didicit, qui sacerdotem impium contaminare Sacramenta crediderat, vti habemus apud authorem de vitis Patrum, quem Pelagius diaconus latinum fecit, lib. 9. his verbis: *Ad quendam solitarium venit presbyter cuiusdam basilicæ, vt consecraret ei oblationem ad communicandum. Veniens autem quidam ad illum solitarium, accusauit apud ipsum eundem presbyterum. Qui cùm ex consuetudine iterum venisset ad eum, vt consecraret oblationem, scandalizatus ille solitarius non aperuit ei. Presbyter autem hoc viso discessit. Et ecce vox facta est ad solitarium dicens: Tulerunt sibi homines iudicium meum. Et factus est velut in excessu mentis, & videbat quasi puteum aureum, & situlam auream, & funem aureum, & aquam bonam valdè. Videbat autem & quendam leprosum haurientem, & refundentem in vase, & cupiebat bibere, & non poterat propter quòd leprosus esset ille qui hauriebat. Et ecce iterum vox ad eum, dicens: Cur non bibis ex aqua hac? quam causam habet qui implet? implet enim solummodò, & effundit in vase. In se autem reuersus solitarius, & considerans virtutem visionis vocauit presbyterum, & fecit eum sicut & priùs sanctificare sibi oblationem.* His nihil obstantibus cum alijs facio qui censent bonum olim fuisse, inter quos B. Anastasius Sinaita sermone de S. Communione: *Iudas autem erat Apostolus, & discipulus Christi, & ex veris & germanis discipulis.* quasi dicat, non fuit quis hic, aut quasi quis hic, vt de Sobna pastore, & idolo propheta; sed germa-

nus discipulus, charitate non ficta. Hieronymus in Matth. 7. agnoscit *Iudam arborem quondam bonam, fecisse fructus malos, postquam tradiderit Saluatorem.* Et ante Christum traditum vineam alienam vuas proferentem acerbas. Ioannes apud Clementem 5. const. cap. 13. *Diu quidem antè deprauatus, sed tunc à diabolo auaritia ictus, quamuis iam diu cura crumenæ commissa ei erat, & quæ pauperum erant, furabatur, non est à Domino eiectus ob nimiam eius patientiam.* Auaritia excæcauit illi cor, vidit creditos sibi loculos, & pro gratijs quas debebat reponere benefactori suo, ingratus proditionem tandem reposuit, postquam antea ob furta, gratiæ Dei iacturam fecisset; cùm enim electus in Apostolum fuit, bonus fuit. Augustinus siue author Milleloquij, *Iudam elegit Christus, quem prauidit fore malum, sed non malum.* ita & Euthymius in Marci 8. Ambrosius in epistolam ad Romanos 9. *Saul & Iudas Iscariotes, antè fuerunt boni, dicente Scriptura,* 1. Reg. 9. *Erat vir bonus, & non erat illo melior in filiis Israel. De Iuda Iscariote dicit Petrus Apostolus,* Act. 1. *Qui sortitus est sortem ministerij huius, id est apostolatus. Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? in sorte enim Dei iudicium fuit dignum illum fuisse tempore quo electus est.* Chrysost. homil. 27. in Matth. *Iudas filius regni erat, audiuitq; vnà cum aliis discipulis illud: Sedebitis & vos super sedes duodecim,* Matth. 19. *Factus est autem gehennæ filius.*

Postea defecit. Olympiodorus enarratione 6. in Ecclesiasten: *Apostolus & ipse erat Iudas Iscariothes, & doctrinæ suæ verbis multos genuit filios, sed quia subinde non impletus est bonis vt perseueraret in finem, conuersus est ad iniquitatem, repletusq; est spiritu Satanæ.* Postquam in veritate aliquandiu stetisset. Cyrillus, vel Clicthoueus potiùs, lib. 9. in Ioan. c. 15. *Eiusdem animi intimus familiaris, eiusdem mensæ particeps cum Christo proditor fuerat, & cum aliis discipulis miraculorum minister, ad gloriam Christi omnia peragens: sed turpi postea quæstu superatus, honorantis eum Christi gratiam perdidit.* Fuit ergo bonus ex mente horum Patrum, & initio vt Apostolum se gessit. Accedit author ad Fratres in eremo, serm. 28. cùm Iudam beneficiorum recordatione ab impietate reuocat, *O Iuda, quid facis? attende antequam facias, nam post factum gratiam pœnitendi habere non poteris. quid cupis tradere, qui tibi multa peccata pepercit? nunquid à morte te sæpe liberauit? nunquid tui amore patrem tuum liberauit à lepra? & matrem cum qua concubueras, à paralysi etiam liberauit? nunquid te discipulum constituit? nunquid te bursarium fecit? nunquid te in furto sæpe inuenit, & semper tibi pepercit?*

CAPVT XV.

Cur elegerit quem præsciuit traditorem?

IDem quærere licet de dæmonibus, quos Angelos cæleſteſque ſpiritus in gratia Deus creauit, de primis parentibus, de Sodomitis, in ſumma, de peccatoribus omnibus. Et implexas has quæſtiones, ſibique innexas proponunt Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 10. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 8. Hieronymus 3. contra Pelagianos c. 2. Et poſteriores quidem duo argumentantur, & reſpondent eodem propè ſenſu. Hieronymus. *Quærit hoc Marcion, & omnes hæreticorum canes, qui vetus laniant teſtamentum, & huiuſcemodi ſyllogiſmum texere conſueuerunt: Aut ſciuit Deus hominem in paradiſo poſitum præuaricaturum mandatum, aut neſciuit. Si ſciuit, non eſt in culpa is, qui præſcientiam Dei vitare non potuit; ſed ille qui talem condidit, vt Dei non poſſet ſcientiam deuitare: ſi neſciuit, cui præſcientiam tollis, aufers & diuinitatem. Hoc enim genere in culpa erit, qui elegit Saul, futurum poſtea regem impiiſſimum: & Saluator aut ignorantiæ aut iniuſtitiæ tenebitur reus, cùm in Euangelio locutus: Nonne vos duodecim elegi Apoſtolos, & vnus ex vobis diabolus eſt? Interroga eum cur Iudam elegerit proditorem, cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat?* Et Ambroſius etſi paulò aliter: *Sciebat præuaricaturum Deus Adam mandata ſua, an neſciebat? ſi ſecundum, non eſt Deus: ſi primum, & adhuc tamen negligenda mandauit, ſuperfluum præcepit: quod non eſt Dei. Hoc obiiciunt qui vetus non recipiunt teſtamentum; reuincendi hi ex noua lege: nam Chriſtus Iudam proditurum ſe ſciebat, elegit tamen.* Plura congerit Marcion apud Tertull. lib. 2. in Marcionem, & quærit ſtolidè ratiocinando: *Si Deus bonus & præſcius futuri, & auertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem & ſimilitudinem ſuam, imò & ſubſtantiam ſuam, per animæ ſcilicet cenſum, paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem circumuentum à diabolo? Si enim & bonus, qui euenire tale quid nollet, & præſcius, qui euenturum non ignoraret, & potens, qui depellere valeret, nullo modo eueniſſet, quod ſub his tribus conditionibus diuinæ Maieſtatis euenire non poſſet. Quod ſi euenit, abſolutum eſt è contrario Deum neque bonum credendum, neque præſcium, neque potentem. Siquidem in quantum nihil tale eueniſſet, ſi talis Deus, id eſt, bonus, & præſcius, & potens, in tantum ideo euenit, quia non talis Deus.* ad quæ fusè reſpondet. Apud hos Doctores difficultatem faciunt hæretici, Primò ob neceſſitatem, quæ ex Dei præſcientia ſequitur. Quod enim

futurum nouit, omnino fiet: aliàs enim Deus cognitionem non haberet conformem obiecto, vnde fieret homines huiusmodi non peccaturos liberè. Auget difficultatem Cyrill. lib. 9. in Ioan. c. 10. quia *Christus dicit, Vt impleatur Scriptura, vbi dicitur Psal. 40. Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Igitur Iudas coactus ea vi quæ cogebat impleri Scripturas, non liberè prodidit.* Secundò, *Quorsum præcepit quod sciuit non seruandum, certè superfluum mandatum fuit.* Respondet Cyrill. lib. 9 in Ioann. cap. 10. *Non erit finis incusandi Deum, qui omnia summa misericordia vocauit à nihilo ad esse, si sic imperitè in Deum simus affecti. Sequeretur autem ex talibus præcognitionis causam aut nihil omnino, aut insensatam tantùm naturam producere debuisse. Hoc nota. Rationabili creaturæ liberam potestatem Creator dedit, suæq; voluntatis habenas cuique dedit, vt in ea sit quidquid probarit eligere. Qui ergo ad meliora flexi sunt, gloriam ac retributionem electioni suæ consentaneam inuenient; qui autem improbis cogitationibus seipsos deprauarunt, cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non iniuria vt ingrati ac improbi æternis vexabuntur suppliciis. In hoc statu libertatis fuit angelorum natura constituta. Quare qui principium suum seruarunt in gratia confirmati, stabilem bonorum sedem possident, qui principio suo relicto ad peiora delapsi sunt, catenis tenebrarum se astrinxerunt. Sic Adam in paradiso positus seruasset prima naturæ bona, nisi inobedientia mandata neglexisset: sic Saulem elegit Regem, & vnxit primò bonum, sed vbi improbus fuit, non iniuria vexabatur: Iudam elegit, inter duodecim collocauit, aptum quidem initio, sed cùm auaritiæ studuit, diabolo adhæsit, prodidit, meritò repulsus fuit. Nihil ergo in eum possumus dicere, qui probum elegit, qui si voluisset non cecidisset.* Et Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, cap. 2. nos ad se vocat, gratisque responsionem offert. *Vis,* inquit, *scire rationem? Deus præsentia iudicat, non futura, nec condemnat ex præscientia, quem nouerit talem fore qui sibi postea displiceat: sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conuersionis & pœnitentiæ, iuxta illum sensum Apostoli: Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius. Neque enim ideò peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat, sed præsciuit Deus, quod ille erat propria voluntate facturus. Accusa ergo & Deum mendacij, quare dixerat per Ionam, Adhuc tres dies & Niniue subuertetur. Sed respondebit tibi per Ieremiam, Repentè loquar aduersum gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, vt destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam*

super

super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et subitò loquar de gente & de regno vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, vt facerem ei. Impiè ergo Caluinus & assectæ nihil volunt nisi fato quodam euenire posse, & legem hominibus rebusque liberis impositam, qua ferantur semper necessariò, nec aliter possint, vt velint. Vult enim Deus omnes saluos, nec præuisione sua ac voluntate damnat, sed quos videt perire velle, perire sinit: præuisione verò ac præscientia legem nullam imponit. Præuidit te damnandum, quia ipse te damnas: certò interim damnaberis, si damnandum præuiderit; non tamen idcirco damnationis causa præuisio, sed præuisionis damnatio est. Necessitatem hanc Theologi ex hypothesi vocant, & cùm omnino philosophicè loquuntur, in sensu composito, siue reduplicatiuè, absolutè verò sensu diuiso, & specificatiuè summa libertas. Despiciam ego ex turri editissima laqueo collum inserere Iudam; necessariò quidem ipse id faciet, non tamen visio suspensionis causa est, sed suspensio visionis: nisi enim in malam se rem ageret, non viderem; cùm autem agere video, agit necessariò, aliàs enim agere non viderem. Nec magis libertatem euertit, quòd Prophetæ Iudæ proditionem prædixerunt, quia illi futura prædixerunt, quæ futura erant etsi non prædicerent. *Non fiunt*, inquit Cyrillus, *quæ prædicuntur à Prophetis, vt adimpleatur Scriptura; sic enim laudandi, non vituperandi essent, tanquam Scripturæ ministri nequam homines. Deinde si necesse esset adimplere Scripturam, illi per quos impleretur non peccarent, sed in Scripturæ authorem culpa redundaret. Quia ergo ita aliqui sponte facturi erant, præsciens Spiritus sanctus futura prædixit.* Pulchrè Ambrosius difficultatem enodat, Deumque à crimine vindicans, vnum peccatorem reum facit. *Venerat*, inquit, *Dominus Iesus saluos facere omnes peccatores, etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem; ideò nec proditurum debuit præterire, vt omnes aduerterent, quòd in electione etiam proditoris sui seruandorum omnium insigne prætendit, nec in eo læsus est vel Adam quia mandatum accepit, vel Iudas quia electus est: non enim necessitatem Deus vel illi præuaricationis, vel huic proditionis imposuit, quia vterque si quod acceperat custodisset, à peccato potuit abstinere. Denique nec Iudæos omnes credituros sciebat, & tamen ait, Non veni nisi ad oues perditas domus Israel; ergo non in mandante culpa est, sed in præuaricante peccatum: & quod in Deo fuit, ostendit omnibus quòd omnes voluit liberare. Nec tamen dico, quia præuaricationem nesciebat, imò quia sciebat assero: sed non ideò pereuntis proditoris inuidiam in se debuit deriuare, vt adscriberetur Deo quòd vterque sit lapsus. nunc autem vterque redarguitur atque reconuincitur, quia*

ille & mandatum, ne laberetur accepit, & hic etiam in apostolatus munus adscitus est, vt vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu, simul vt dum alij reuincuntur, prodesset omnibus. Penes Iudam culpa fuit, perijt enim quia voluit. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 30. *Liberum enim animal est homo, & potest siue dextrum, siue sinistrum iter, virtutem aut vitium eligere.*

CAPVT XVI.

Rationes aliæ electi proditoris.

DIspiciamus quas alias rationes Patres dabunt electi proditoris. Primò. Euthymius in Marc. 8. *Quia tunc bonus erat, ostendens se bonum recipere, donec malus efficiatur.* Qui *etsi præsciat quod futurum est, non tamen ob futuram eum prauitatem abiicit, qui nunc bonus est; sed propter virtutem præsentem sibi familiarem facit illum qui malus futurus est. Quos scit Deus,* inquit Ambrosius in cap. 9. epistolæ ad Romanos, *in bono mansuros, frequenter antè sunt mali; & quos malos scit permansuros, aliquoties priùs sunt boni.* Stas modò? vide ne cadas. Apostolus, id est, Ecclesiæ Princeps lapsus est. Vigila. Iudas cecidit, vt stares. Euthymius cap. 64. in Matth. *Hinc magnum discimus documentum, quòd neque humana promptitudo quicquam efficiat absque diuino auxilio, neque diuinum auxilium prosit absque promptitudine humana. Vtriusque rei exempla sunt Petrus & Iudas. Oportet ergo neque obdormire omni negotio in Deum reiecto, neque rursus putare seipsos omne opus efficere. Siquidem nec totum operatur Deus, ne otiosi permaneamus; nec totum nobis permittit, ne gloriemur: sed ab vnoquoque quod nociuum est auferens, quod vtile est nobis relinquit.*

Secundò. Vt disceremus inter bonos malos reperiri. D. Thomas Matth. 10. *Vix contingit, quin in magna congregatione sit aliquis malus, & ideò ita ponitur, vt ostendatur quòd boni aliquando non sint sine malis.* Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Augustinus in Psal. 34. *Quia necesse erat, vt malos, siue scientes, siue nescientes toleraremus, exemplum patientiæ præbuit Dominus, ne deficias cùm cœperis inter malos viuere.* Ioan. 13. *Vos mundi estis, sed non omnes.* Vbi Christi figuram & Iobi habes, cap. 30. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi: expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ. Interiora mea efferbuerunt absque vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis. Mœrens incedebam sine furore, consurgens in turba clamabam: frater fui draconum, & socius struthionum,* Expectauit mœrens Christus lucem gratiæ in Iuda, tenebras & maculas peccati reperit

reperit, in turba fratrum clamauit, *Vnus ex vobis diabolus est.* Ne mireris ergo zizania esse in tritico. Augustinus epistola 137. *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit quàm arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus inuentus est vnus.* Idem ostendit de domo Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauid, Pauli, ac tandem concludit, *aut melior sit quàm habitatio ipsius Domini Christi, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt; aut melior sit postremò quàm cælum, vnde Angeli ceciderunt.* Ne moueare igitur, si veniunt scandala, væ illi soli per quem scandalum venit. *Non enim idcirco,* Cyprianus ait tract. de vnitate Ecclesiæ, *Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia Iudas ab eorum societate defecit. sic & hic non statim confessorum sanctitas & dignitas comminuta est, quia quorumdam fides fracta est.* Imò ad firmandos nos hoc plurimum conducit, quia vt Ambrosius infrà in Luc. exclamat: *Quanta veritas, quam nec aduersarius minister infirmat?* quasi dicat, Exeant à nobis qui non sunt ex nobis, testes veri virtutisque erunt, quam non minùs fatebantur, quàm cùm Christum Dei filium dæmones, inuiti licet sunt confessi, Iudasque nihil proferre potuit, quo Christum infamaret. Augustinus in Ioan. tract. 50. cap. 12. *Quid ergo voluit Dominus noster Iesus Christus, fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quando vnum perditum inter duodecim habere voluit, nisi vt malos toleremus, nec Christi corpus diuidamus? Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas: & ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscumque fur. fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti, & peculatus, peculatus enim dicitur furtum de republica, & non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ: quanto vehementiùs iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non vndecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? qui aliquid de Ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur,* &c.

Tertiò. Vt humaniter feramus cùm quid in nos mali faciunt malè. Ambrosius lib. 5. in Luc. 6. *Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi, vt tu à socio desertus, à socio proditus, moderatè feras tuum errasse iudicium, periisse beneficium.* Augustinus 18. ciuit. 49. Habuit Christus inter discipulos vnum, quo malo vtens bene, & suæ passionis dispositionem impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum.

CA-

CAPVT XVII.

An Iudas fuerit diabolus, vel natura malus?

QVem hominem hîc Christus (*væ homini illi*) Ioann. 6. diabolum vocat: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.* Hinc fortè perditis quibusdam libuit insanire, & Iudam dicere non vnius nobiscum naturæ fuisse. Hieronymus lib. 4. in Matth. cap. 27. *Qui diuersas naturas conantur introducere, & dicunt Iudam proditorem malæ fuisse naturæ, nec electionem apostolatus potuisse seruare.* Has nugas egerunt Caiani apud Tertullianum lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 47. & nescio quæ somnia somniarunt: *Magnificant Cain quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatumq́ue, & ideò inferiorem repertum. Hi qui hoc asserunt, etiam Iudam proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum memorantes, propter vtilitates quas humano generi contulisse iactatur.* Genealogiam istam longiùs pertexuit Epiphanius hæresi 38. *Cain,* inquit, *laudant, & patrem suum faciunt.* Et ostendit ille pluribus, Cain filium diaboli, Iudamque filium Caini. Sed audi vt verè ridenda loquatur de pessimis hominibus: *Aiunt Cain esse fortioris virtutis, Abel verò debilioris: has autem virtutes Euæ implexas generasse Cain & Abel: esse autem Adam & Euam, à talibus virtutibus generatos, & genitos filios, Cain inquam & Abel, contendisse inter se, & genitum à fortiori virtute occidisse à minori & debiliori genitum.* Deinde pergit: *Gloriantur se cognatos esse ipsius Cain & Sodomitarum & Esau & Core, qui supernæ & perfectæ cognitionis sunt; quare Creator mundi huius circa ipsorum sublationem & deletionem occupatus, nihil potuit ipsos lædere; occultati sunt enim ab ipso, & translati ad supernum sæculum, vnde fortis virtus est: sapientia enim ipsos ad seipsam adduxit, vt qui proprij ipsius sint. Ideò Iudam exactè de his cognouisse dicunt: nam & hunc cognatum suum esse volunt, & in cognitionis excessu eundem connumerant.* Sed diabolus Iudas fuit imitatione, non natura, quæ in illo mala creata non fuit. *Quomodo enim,* inquit Hieronymus lib. 4. in Matth. 27. *natura mala pœnitentiam faceret? quia diabolo per auaritiam se addixit, diabolus dictus est.* Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 30. *Vt enim qui Domino coniungitur, vnus cum eo spiritus est, sic contrà fit.* Et dilucidiùs fusiusque alter Cyrillus catechesi 7. demonstrat: *Pater hominum est, non natura sed deceptione: vt enim per religiosam doctrinam Paulus Corinthiorum Pater dicebatur, sic diabolus eorum qui sponte*

cum

tum ipso conueniunt Pater dicitur: nec enim eos recipimus qui male intelligunt, ex eo recognoscimus filios Dei, & filios diaboli, quasi aliqui sint, qui natura vel seruentur, vel perdantur. Non enim ex necessitate, sed voluntate in eiusmodi sanctam adoptionem deuenimus: nec proditor Iudas natura erat filius diaboli & perditionis. si enim fuisset, nequaquam ab initio in nomine Christi dæmones eiecisset: Satanas enim Satanam non eiicit. Rupert. Ioan. 6. *Semper pro malo habitus est, malo inquam, non nequitia naturali, sed vitio accidentali.*

CAPVT XVIII.

Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

ISCariotistæ hîc Christum frustra habent, negantque malum factum Iudæ, sed bonum fuisse, imò ob id laudem ac gratias ei habendas putant. Philastrius hæresi 6. *Alij à Iuda traditore instituerunt hæresin, dicentes bonum opus fecisse Iudam quòd tradiderit Saluatorem. Hic enim, inquiunt, omnis scientiæ bonæ author fuit, per quem nobis cælestia mysteria manifesta sunt. virtutibus nempe in cælo nolentibus pati Christum, & scientibus quòd si passus fuerit, vitam hominibus daturus sit; hoc autem sciens Iudas vt salutem offerret hominibus, Christum tradidit.* Epiphanius verò hæresi 38. aliquos ex Cainis opinatos dicit, Christum nequam fuisse intolerabili blasphemia, cumque vellet peruertere doctrinam legis, & dissoluere rectè tradita, siue, vt Tertullianus præscriptionum cap. 47. *veritatem subuertere, tradidit illum ne subuerti veritas posset. Alij sic contrà disputant, & dicunt quia potestates huius mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani tradidit Christum, vt salus quæ impediebatur per virtutes, quæ obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset, & ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari.* Alij apud Epiphanium hæresi 38. culpant Christum, ac Iudam liberant, eum, bonus cùm esset, traditum iuxta cælestem cognitionem. *Nouerunt nempe, inquiunt, principes, si Christus traditus esset cruci, debilis ipsorum virtus euacuaretur, idq; cùm nosset Iudas, festinauit, & omnia commouit, vt traderet ipsum, bonum opus faciens nobis ad salutem, & oportet nos laudare ac laudem retribuere, quia per ipsum parata est nobis crucis salus, & per hoc propositum supernorum reuelatio.* Vides quomodo ineptiant stulti circa Manetis deliria, qui duo rerum principia statuebat, bonum vnum, alterum malum.

Cognitionem hanc arcanorum penes vnum Iudam ſtatuunt Caini apud Theodoretum lib. 1. hæreticarum fabularum, §. De Cainis, reliquiſque Apoſtolis eam eripiunt: & ad laudem, gratias, cultum, quem ex Epiphanio & Tertulliano Iudæ pro traditione decretum audiuimus, Ioannes Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Michaelem Balbum Imperatorem ἀποθέωσιν addunt adieciſſe, ac Iudam Beatis accenſuiſſe.

Stupidiora hæc ſunt quàm vt refutari debeant. Ipſe Chriſtus Verbum, Sapientia, Veritas, dicit miſero Væ; væ ergo illi eſt; peſſimè igitur ſacrilegus fecit, cùm Magiſtrum, Patrem, Deum vendidit. Fatetur id ille ipſe cùm relatis nummis dicit: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Quæ verba cùm diceret, ait Euthymius in Matth. cap. 67. & ſe & Iudæos parricidij damnauit, & *eum iniuſtè mori teſtatus eſt. Iudæi item reſpondentes: Quid ad nos? tu videris; eius teſtimonio ſubſcripſerunt, veritatemq́, etſi inimici, confeſſi ſunt.* Sceleratus ſacrilegusque contractus fuit, Ambroſio ſerm. 50. *Magnum Dominicæ innocentiæ teſtimonium eſt, dum accuſator eius & confitetur de ſcelere, & reus eſt de mercede, dum nempe miſer refudit venditionis pretium, putans ſe facinoris ſui ſoluere poſſe contractum: ſed nec iſte abſoluitur. dum enim author venditionis ſuæ reus eſt, conſtat ipſos ſceleratum cum ſacrilego iniiſſe contractum.*

Oſtendit Ignatius epiſtola 8. ad Philippenſes, vnde ſcientiam Chriſti prodendi hauſerit, nempe à virtutibus, ſed quibuſcum ille eſt in æternum damnatus; de cruce agens quam dæmon excogitauit Chriſto ſuſpendendo, *Trophæum eſt, contra ipſius potentiam, quod vbi videret horret, & audiens timet; & antequam fabricaretur crux, ſtudebat vt fabricaretur, & operabatur in filiis inobedientiæ, operabatur in Iuda, in Phariſæis, in Saducæis, in ſenibus, in iuuenibus: cùm autem paranda eſſet crux, tumultuabatur, & pœnitentiam immiſit proditori, & laqueum illi commonſtrauit, & ſuſpendium quo ſtrangularetur, edocuit.* Voluit dæmon Chriſto, ac humano generi nocere, cùm crucem parabat, quam ei nobiſque exitio fore non dubitabat; ſed profuit, quia Chriſto nomen liberatoris, nobis æternam ſalutem, ſibi, Iudæ, & crucifixoribus ſempiternos cruciatus peperit. Huius certam reuelationem habuit B. Elizabetha Sconaugienſis ad Robertum diui Florini Abbatem lib. 2. cap. 8. quam eius ipſius verbis referri, plurimum referre videtur. *Ante Annunciationem Dominicam ſeptem diebus ægrotaui, & incidi in lectum toto corpore languens, ita vt penè nihil refectionis corpori meo poſſem adhibere: permanſi autem in hac valetudine vſque ad diem*

tertium

tertium ante festiuitatem, eo die circa nonam cœpi habere in ore meo liquorem tanquam fauum mellis: cuius dulcore refecta sum quasi cibum sufficientem accepissem, & confortata sum toto corpore, & emisi sudorem copiosum, in quo permanebam vsque in sequentem diem. Et circa tempus Missæ veni in mentis excessum, & visum est mihi quasi abstraheretur spiritus meus à corpore, ac subleuaretur in altum. Vidi autem ex illo excessu meo cælos apertos, & Dominum Iesum cum infinitis millibus Sanctorum venientem in regionem aëris huius; & non erat ei species, neque decor, sed tanquam recenter crucifixus fuisset, sic miserandus apparuit. Cumq; demonstrasset vniuerso mundo crucem in qua pependerat, & vulnera passionis suæ quasi recenti cruore madentia, clamabat voce magna ac nimiùm terribili, dicens: Talia propter te sustinui, tu verò pro me quid sustinuisti? Adsistebant autem ei duo diuersa agmina innumeræ plebis, vnum à dextris, alterum à sinistris. Iis autem qui erant à dextris lux immensa circumfusa videbatur, inter quos præcipua apparuit Virgo virginum gloriosissima, Dei mater Maria. ibi diuersitates omnium Ecclesiasticorum graduum distinctè perspexi, inter quos & venerabilem Patrem nostrum beatum Benedictum cum monachali sua turba dignoscere delectata sum: iis autem qui erant à sinistris tenebræ densæ & horribiles circumfusæ erant, ita vt eorum diuersitates discernere vix potuissem. Erat autem huius miserrimæ plebis princeps magnus & horrendus ille rex superbiæ, cui proximi adsistebant Iudas & Pilatus, & crucifixores Domini. Heu quantos ex clero, quantos etiam nostri viros Ordinis, & mulieres plenas confusione illic dignoscebam? cumq; omnia perspexissem, dixit Iudex omnibus, qui erant à dextris: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ad eos autem qui erant à sinistris: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et continuò illi cum iucundissima alacritate ad lucidas mansiones Dominum subsequuti sunt: hi verò tristitia & confusione pleni cum suo patre principe dæmoniorum, in profundissimas tenebras demersi sunt. Continuò post hæc reddita sum mihi, & cum fletu copioso primùm in hæc verba prorupi: Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cæli mouendi sunt & terra. Eò væ illud tendit, quò ipsum hîc Christus icit, æternæ scilicet damnationis. Tertullianus libr. 4. in Marcionem, cap. 41. *Ergo iam væ constat imprecationis & comminationis inclamationem intelligendam, & irato & offenso deputandam, nisi si Iudas impune erat tantum sceleris relaturus, aut si impune vocat Væ. Si non impune, vtique ab eo puniendus in quem scelus traditionis admisit.* Disputant Philosophi, an quis optare possit non esse: plurimi resoluunt non posse.

 eos

eos confundere Iudas poteſt, qui meritò & ex ratione poteſt optare. Bonum erat ei, inquit Chriſtus, ſi natus non fuiſſet homo ille, id eſt, præſtitiſſet miſero non fuiſſe, non fore, quàm ſic ſemper eſſe. Ita Hieronymus lib. 4. in Matth. 26. *Multò melius eſſe non ſubſiſtere, quàm malè ſubſiſtere.* Et in Marcum, *Melius eſt non eſſe, quàm ad tormenta eſſe.* Zacharias Chryſopolitanus lib. 4. in vnum ex quatuor, cap. 15. *Si in vtero matris mortuus fuiſſet, ne viuus naſceretur, in comparatione mali, quod poſtea promeruit, bonum eſſet. Sic dicitur Ponticum mare dulcius quàm cetera maria, id eſt minùs amarum.* Victor Antiochenus in Marci 14. *Hoc dicitur propter cruciatus quos apud inferos expenſurus erat. ſiquidem ſatius eſt multò omnino non eſſe, quàm tantis miſeriis & calamitatibus perpetuò adſtrictum eſſe.* Sedulius verò presbyter lib. 5. paſchalis operis cap. 3. pluribus proſequitur, & paraphraſticè explicat: *Vtinam matris arida ſterilitate damnatus, diem natalitium non vidiſſet, nec ætheree lucis iucunda conſpiceret, æterno tempore nil permanens, miſeroq́; foret ſors melior vitam neſcire traditam, quàm ſentire ſubtractam, aut confeſtim vt meruit procreari, fieret pſalmi principalis exemplum; quatenus ita prorſus toto deperiret à ſæculo, tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ, nullamq́; memoriam ſui reliquiſſet infelix.*

CAPVT XIX.

De tempore & pretio venditi Seruatoris.

OCcaſionem proditioni dedit profuſa Mariæ Magdalenæ liberalitas, quæ accepit *libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes illius capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venÿt trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Vbi nota cum Euthymio cap. 62. in Euangelia: *Cùm aliena eſt effecta domeſtica,* Magdalena: *tum domeſticus alienatus eſt.* quia nempe poſt effuſum vnguentum iuit ad principes ſacerdotum. *Et ad illos abÿt, non ad illos vocatus eſt.* Antoninus 1. p. hiſt. tit. 5. cap. 6. *Vnctio occaſio accepta, non tamen data Iudæ.* Sed id tunc non præcisè ſumendum, quaſi eo ipſo tempore illi cum Scribis de prodendo Chriſto conuenerit, tantùm nota eſt occaſionis ſumptæ: feria enim quarta pacti ſunt pecuniam illi dare, pridie ante cœnam, vt Patres notant, Stephanus Eduenſis de Sacramento altaris cap. 17. Clemens lib. 5. conſtitut. cap. 13. Albinus Flaccus Alcuinus de diuinis officijs, c. 16. videturque Eccleſiæ communis ſenſus: feriam enim quartam deteſtandi facinoris ergo, luctu & pœnitentia olim proſequi ſolita fuit. *Prætexit verò fraudi odioq́; Saluatoris verba*

pietatis,

pietatis, inquit Gaudentius Brixiensis tract. 13. *Quare hoc vnguentum venundatum non est*, &c. *cùm fur esset, & loculos habebat, in quos quæ mittebantur, portabat an exportabat?* dubitat Augustinus in Ioann. 12. tract. 50. Vtrumque certè fecit. Sed non Christo, non egenis, sed vni sibi. Solens autem fuit, inquit Glossa ordin. 14. q. 1. §. Arguit nos: *furari decimam partem eorum quæ sibi dabantur seruanda, & vnguentum illud effusum volebat vendi, cuius pretium erat* 300. *denariorum, horum decima pars erat triginta. Quia igitur non potuit furari decimam partem, quandoquidem venditum non fuit, quasi volens recompensare damnum, triginta denariis argenteis fecit proditionem.* Ex Zacharia luculentissimum habemus vaticinium cap. 11. *Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. & appenderunt mercedem meam triginta argenteos. & dixit Dominus ad me, Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium. & præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur funiculus, vt dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israel.* Cyrillus catech. 11: *O propheticam certitudinem! ò maximam intelligentiam, & infallibilitatem spiritus! non decem aut viginti dixit, sed triginta præcisè, & quòd tot erant.* Habemus certò & numeratò pretium, aduertè quàm reliqua conueniant. *Israel*, id est, *præualens*, siue *dominans cum Deo*, nomen est Iacob inditum ab Angelo Genes. 35. *Iudas* autem *confessio*. Postquam ergo retulit Iudas triginta argenteos, confessus quidem fuit peccatum suum, tamen quia desperabat, dissolutus est funiculus, & germanitas inter Iudam & Israel; quia confessio, quæ de Deo triumphum agit, & illum iratum statim placat, nisi coniunctam spem habeat, & fiduciam de bonitate Dei, frustra est. Quæ omnia pretium, proditorem, pœnitentiam importunam præsignarunt.

Insulsum hunc stupet S. Paulinus Nolanus ad Seuerum Sulpitium, epistola 4. quòd *triginta argenteis vendiderit eum, quem mulier, vt ipse taxauerat, vnxit* 300. Sed magis & ex maiori merito Hieronymus lib. 4. in Matth. cap 26. *Infelix Iudas damnum, quod ex effusione vnguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare, nec certam tamen postulat summam, vt saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile vendens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare.* Leo verò se vltrà tenere non potest, quin fulmine verborum rationumque sacrilegum mercatorem percellat, Serm. 16. de Passione: *Sed tu impiissime homo, semen Canaan, & non Iuda, nec iam vas electionis, sed filius perditionis & mortis, vtiliora tibi diaboli incitamenta credebas, vt facibus inflammatus auaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres, & quid diuitiarum amitteres non*

 videres?

videres? Nam etsi putabas credendum esse promissis, quæ fuit ratio, vt tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptis? Imperabas dæmoniis, & medebaris infirmis, honorabaris cum Apostolis, & vt famem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minùs licuit ampliùs incitauit; nec tam placuit quantitas pretij, quàm magnitudo peccati. Vnde facinus commercij tui non ideò detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti: sed quia Redemptorem etiam, ne tibi parceres, vendidisti. Acerbè Gildas sapiens castigatione in Ecclesiasticum Ordinem, in quem liberiùs quàm par sit & fortè petulantiùs inuehitur, multos indignari Iudæ, sed se non respicere cùm in eadem culpa sint. *Hoc securo vel potiùs hebeti corde, quasi non de vobis lectum fuisset, audistis. quis quæso vestrûm non quærit agrum de mercede iniquitatis? Iudas loculos compilabat; vos Ecclesiæ donaria, filiorumq́ eius animas vastatis. Ille adijt Iudæos, vt Deum venderet; vos tyrannos, & patrem vestrum diabolum, vt Christum despiciatis. Ille triginta argenteis venalem habuit omnium Saluatorem; vos vel vno obolo.* Meritissimò equidem de quibusdam queritur, sed cùm vniuersum Ecclesiasticum Ordinem impudenter & mendaciter perstringit, ferri non debet.

CAPVT XX.

Signa proditoris.

PRoditorem modò nos nouimus, Apostoli nondum nouerunt. tristes ergo, ac sibi metuentes cœperunt *dicere ei singulatim: Nunquid ego? qui ait illis, Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.* Hoc erat signatè prorsus

——— *monstrari, & dicier, hic est.*

tamen vt innocentiam contra conscientiam probaret. Hieronymus lib. 4. in Matth. *Cæteris contristatis & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo, temeritate & impudentia qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, vt audacia bonam conscientiam mentiretur.* Verùm quid est se prodere, si hoc non est? ille tamen inter omnes securus sui videtur, etsi turbatissimus; & quasi quæstionibus subiectus quispiam sit, Iudex Christus, Iudas reus, catasta conuiuium. Chrysost. homil. 2. de proditore & mysterijs cœnæ Dominicæ: *Ascendit Christus propriæ deitatis tribunal, & illud conuiuium velut catastam ante se constituens, conscientiæ tormento confiteri compulit reum, vt in auctionem conceptum posset reuocare peccatum. Turbatur discipulorum*

omnium

omnium sensus, & licet nossent propriam conscientiam, Christi tamen timuere sententiam. Iudas impudenti fiducia ausus est interrogare Saluatorem, qua implere posset euidentissimum traditorem. Verecunda Christi sententia ostendit suam maiestatem, nec refugit passionem. O patientiam! Petrus condemnat Ananiam mentientem, Saluator sustinet Iudam traditorem. Turbationem simulat, & continenter mordentem conscientiam. Hieronymus lib. 4. in cap. 26. Matth. *Quia cæteri tristes, & valde tristes, interrogauerant: Nunquid ego? ne tacendo se prodere videretur, & ipse similiter interrogat, quem conscientia remordebat, qui manum audacter miserat in paropsidem, Nunquid ego Rabbi? Et blandientis iungit affectum, siue incredulitatis signum. Cæteri enim qui non erant prodituri, dicunt; Nunquid ego sum Domine? iste qui proditurus erat, non Dominum, sed Magistrum vocat, quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem Magistrum prodiderit. Et ait illi: Tu dixisti. Eadem responsione refutatus est proditor, qua Pilato postea responsurus est.* Et animi inquietudinem tenere interiùs non potuit, prodidit singulari interrogatione Rabbi, cùm cæteri Dominum nominassent, vt Patres notant. Deinde moto & nutante capite. Cosmas Hierosolymitan. hymno 6. in theogoniam: *Nutans caput Iudas mala præuidens concussit, opportunitatem quærens tradere Iudicem in condemnationem.* Et Eudoxia Imperatrix in homerocentonibus, §. de proditione, *Mouens autem caput suo dixit animo: Si hunc occidero clarus euadam,* &c. Apostoli meridie nihil vident, auidi erant sciendi, quare Petrus ex Christo, interposito Ioanne, qui in eius sinu recumbebat, quærit quis ille tam audax, tam impudens? imò singuli pro se soliciti erant. Author ad Fratres de eremo sermone 26. *Videntes discipuli faciem quam Angeli videre desiderant, esse turbatam, dixerunt, Quis esset ille, quærentes quis eorum esset maior. Sed quare hoc? nisi quia arbitrati sunt vt homines, ille qui maior est, vt dominari possit, magistrum prodere procurat. Aliqui tamen de Petro fortè suspicantur, quia plus & plurima se iam facturum promiserat pro magistro, suspicantes quòd ficto corde sic toties loqueretur, Tu es Filius Dei. Sed quia Petrus innocentem se sciebat, innuit Ioanni vt peteret. cui Dominus, Cui intinctum panem porrexero; ille est; sed caue ne Petro dicas. & cùm intinxisset Iesus panem, dedit Iudæ. Non est ergo credendum, quòd Dominus alta voce dixerit, quia si Petrus hoc sciuisset, dentibus proditorem dilacerasset.* Zacharias Chrysopolitanus libr. 4. in vnum ex quatuor: *Interrogat Petrus Ioannem non verbis sed nutu corporis, Ioannes familiari consilio, cui submissa voce exprimit proditorem.* Seriò Christi tolerantiam expendit in hoc facto Tertullianus lib. de patientia, cap. 3. qui non illum Petro prodiderit:

Ingratos

Ingratos curauit, insidiatoribus cessit; parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter designauit. Et Cyprianus: *Nec mirandum quòd circa obedientes talis extiterit, qui Iudam potuit vsque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palàm ostendere.*

CAPVT XXI.

Et post buccellam introiuit in eum Satanas. Quomodo id factum?

Hieronymus lib. 4. in Matth. *Nec primò nec secundò correptus à proditione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, & thesaurizat sibi iram in die iræ; pœna prædicitur, vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia.* Et hæc in vanum prædicta, supererat nihil sperare de misero boni, qui se Satanæ deuouerat, & in quem ille ingressus tanquam fortis armatus custodiret, arceretque sana suadentem, & consilio, auxilio, gratia intrare volentem Deum.

Quæras, quomodo intrauit? Quidam existimarunt energumenum factum, & verè corporaliter à dæmone insessum: alij imperio possedisse, & inclinasse iam quò vellet. Sed quomodo id sensim factum, & vt furtim irrepserit dæmon, docet Origenes homil. 4. in Cantica, explicans illud: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit.* Vulpes contrarias potestates intelligit, & nequitias dæmonum, *per cogitationes prauas, & intelligentiam peruersam exterminantes in anima virtutum florem, & fructum fidei perimentes. Prouisio igitur verbi Dei, qui est Dominus virtutum, mandat angelis suis, qui ad ministerium missi sunt propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt capiant ex vnaquaque anima huiusmodi cogitationes à dæmonibus immissas, vt abiectis eis possint florem virtutis afferre. Capiunt autem cogitationes malas in eo, cùm suggerunt menti non esse eas à Deo, sed esse à maligno spiritu, & dant animæ discretionem spirituum, vt intelligat, quæ sit cogitatio secundùm Deum, & quæ sit ex diabolo. Vt autem scias esse cogitationes, quas immittit diabolus in cor hominum, vide in Euangelio quod scriptum est: Cùm autem immisisset, inquit, diabolus in cor Iudæ Iscariotis, vt traderet. Sunt ergo huiusmodi cogitationes, quæ à dæmonibus iniiciuntur in cordibus hominum; sed quia non deest diuina prouidentia, ne fortè per huiusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrij, & non esset iusta causa iudicij, idcirco benignis angelis, & amicis potestatibus hominum cura mandatur: vt cùm deceptores quasi vulpes incursare*

ſare cœperint hominem, dextris eum auxiliis ſubleuent, & ideo dicitur, Capite nobis vulpes puſillas. Competenter ſanè cùm adhuc puſillæ ſunt, capi eas mandat & comprehendi. Dum enim cogitatio mala in initiis eſt, facilè poteſt abiici à corde: nam ſi frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam ſine dubio ad conſenſum, & poſt conſenſum intra cor ſuum confirmatum, certum eſt, quia ad peccati tendat effectum. Dum ergo in initiis eſt, & puſilla eſt, capi debet & abiici, ne ſi adulta fuerit & inueterata, iam non poſſit expelli. Denique & Iudas initium habuit in amore pecuniæ, & hæc fuit illi vulpes puſilla. Sed ab hac cùm videret Dominus Iudæ animam quaſi florentem vineam lædi, capere eam volens & abiicere ex eo, commiſit ei pecuniæ loculos, vt poſſidens quod amabat, à cupiditate ceſſaret. Sed ille vtpote habens arbitrij poteſtatem, non eſt amplexus medici ſapientiam, ſed indulſit ſemetipſum illi magis conſilio quo exterminabatur anima ſua, quàm quo ſanabatur. His quaſi gradibus in hominis animam tanquam arcem malignus inſcendit. Iudam in exemplum ponit Cyrill. lib. 9. in Ioan. cap. 16. *Cui cùm nihil deeſſet, & à Chriſto impensè amaretur, perſeuerabat tamen in malis conſiliis, non tangebatur pœnitentia, nulla Chriſti monitione mouebatur, & cùm eum ſciret omnia ſcire, non erubeſcebat, ardebat autem magis in horas cupiditate. ideo videns dæmon deſolatam eius animam, deſtitutamq́; auxilio, ac mentem nulla cuſtodia munitam, ingreſſus eſt.* Deinde vniuerſim modum quo in omnes vtitur proponit: *Solet dæmon pios tentare cogitationibus, & voluptatum ardore ad delinquendum detrudere, illucq́; impellit maximè, quò per ſeipſos inclinari proſpicit; ita infirmitatem noſtram ad arma nequitiæ ſuæ conuertit, ingeniiq́; noſtri morbo aduerſus nos vtitur. Voluptate carnis laborat quis? per hanc aggreditur. auaritiæ obnoxium cupiditate incendit. Vt belli dux turres & vineas ibi peragit, vnde capi obſeſſa vrbs faciliùs poteſt; ſic Satan per imbecilliorem animi partem nos euertit, maximè ſi viderit nihil admonitionem, adhortationeſq́; virtutis apud nos poſſe, & myſticam benedictionem à nobis ſperni.* Pulchrè Hermas mandato 6. ab Angelo modum docetur Satanam cognoſcendi, cùm primùm in cor hominis cogitationes mittit, oſtendens duos nuntios nobis adeſſe, Angelum bonum & malum, quos ſub titulo æquitatis & iniquitatis proponit. *Aequitatis nuntius lenis eſt, & verecundus & manſuetus & quietus. Cùm ergo in cor tuum aſcenderit, continuò loquitur tecum de iuſtitia, de pudicitia, de caſtitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate. Hæc omnia cùm aſcenderint in cor tuum, ſcito quoniam nuntius æquitatis tecum eſt. huic ergo nuntio crede, & operibus eius. Accipe nunc & nuntij iniquitatis opera. primùm amarus & iracundus & ſtolidus eſt, & opera illius pernicioſa ſunt, & euertunt ſeruos Dei. Cùm ergo in cor tuum aſcenderint hæc, intelliges eum ab operibus eius, quia*

hic est nuntius iniquitatis. Quomodo Domine intelligam? Audi, inquit, & intelliges. cùm iracundia tibi accesserit aut amaritudo, intellige quia ipse est in te, deinde cupiditas multorum operum, & optimorum ciborum & ebrietatum, & desiderium multarum rerum alienarum, & superbia, & multiloquia, & ambitiositas, & quæcunque his similia sunt. Hæc ergo cùm in cor tuum ascenderint, intellige quia nuntius iniquitatis tecum est. Tu ergo cùm cognoueris opera illius, recede ab illis omnibus, & nihil illi crede, quia mala sunt opera illius, & non conueniunt seruis Dei. Habes ergo vtrorumque nuntiorum opera, intellige nunc, & crede nuntio æquitatis, quia doctrina illius bona est. Licet enim fœlicissimus homo, & cogitatio alterius nuntij ascendat in cor illius, oportet illum virum aut mulierem peccare: si autem nequissimus vir fuerit aut mulier, & ascenderint in cor illius opera nuntij æquitatis, necesse est illum aut illam aliquid boni facere. Quos nuntios Hermas, B. Ignatius de Loyola Societatis Iesu fundator libello aureo de exercitijs spiritualibus, spiritus diuersos vocat, vt & motus animi, quibus discernendis vt boni tantùm admittantur, & pellantur mali, regulas commodissimas præscribit, quas magno fructu legunt, qui in collegijs nostris, positis alijs negotijs, dies aliquot pijs meditationibus, Deo sibique vacant.

CAPVT XXII.

Quod facis, fac citiùs.

CVm dæmon iam proditorem penitus occupasset, vidissetque Christus se oleum operamque perdere, Abi, inquit, & quando ita tibi certum est, obsequere hosti meo capitali. Ego *opus quod dedit mihi Pater vt facerem, faciam.* quasi dicat, inquit Theophilus Alexandrinus lib. 4. in Euangelia: *Ostendo horam passionis propria voluntate mihi imminere.* Cyrillus in Ioann. cap. 17. quæstioni oppositæ ad rem ingeniosè respondet: *Potiùs monendus Iudas, quàm inflammandus, cur ergo illum Christus incitat? Sed loquitur,* inquit, *diabolo, qui in Iudæ cor ingressus erat. quasi dicat, Opus quod facere soles, ô diabole, fac citiùs. Prophetas occidisti, Iudæorum animos ingressus lapidibus eos petijsti, nemini à Deo misso pepercisti; veni ego post illos, vt errantes reducam, à tenebris in lucem reuocem,* &c. *scio te quiescere non posse.* Secundò, videbat sibi Christus acerbissima imminere, sed exitum non ignorabat, nudandum viribus diabolum per crucem, mortem destruendam, homines liberandos, cælum aperiendum, meritò ergo festinat. Inuitantis autem oratio est

magis,

magis, quàm hortantis, vt si vir fortis in quem quispiam fremat, ipse autem viribus fretus casurum illum non dubitet, magna voce inuitans dicat: Quod facis, fac citiùs, vt meas vires experiaris; non diceremus verba esse properantis mori, sed præscientis casurum aduersarium. sic Christus festinare hominem iubet, vt citiùs victus vinctusque à tyrannide, orbem liberet. Miser proditor paret regenti se, *& cùm accepisset buccellam, exiuit continuò. erat autem nox.* Tenebræ non tenent, spiritus intus agit & abripit. Cyrillus lib. 9. cap. 19. *Non videt quò nocte ruat: tenebrosa nox impiæ cupiditatis in profundum infernum miserum eum impellit: ideo quasi ceruus,* Prouerb. 7. *ad sagittam properabat, vel quasi canis ad vincula, nesciens se periculum animæ suæ incurrere. Magnam vim habet ad ijs imperandum, quos possidet dæmon, cogit ad opus etiam nolentes, timet ne pœnitentia subeat animum, maximè post benedictum panem. Figura huius Pharao, qui Iudæos sibi subiecerat, luto lateribusq; vexabat, tempus orandi Deum eripiebat, præfectis imperabat grauiora iniungerent, ne sermonibus vanis vacare possint. Sermones autem vanos intelligebant de libertate, & ad meliora inflammantes; quibus seruitutem deplorarent, & à Deo poscerent meliora. Pharao diabolus est, respirare idcirco non sinit irretitos, vt semel victi, iugo eius semper deprimantur.* Vigilandum nobis est & diabolo obsistendum, qui si nos viderit resistere, fugiet. Leo enim, sed in pace, in prælio tremulus dama. Immittendum in animum consilium B. Antonij apud Athanasium in vita, *Iam curæ Christianorum & Monachorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur: quales enim nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueuerunt, & si quod in pectoribus malæ mentis & pauoris semen inuenerint, quasi latrones qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. Si autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit, si super omnia manibus Dei nos committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere: magis enim, cùm munita in Christo corda perspexerint, confusi reuertentur. Ita & Iob firmatum in Domino diabolus refugit, & infelicissimum Iudam exspoliatum fide, vinculis captiuitatis innexuit. Vna est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis & animæ semper Dominum cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos, quasi fumos expellens, prosequetur aduersarios potiùs, quàm timebit.*

CAPVT XXIII.

Exiuit continuò, & cum principibus postea hortum iniuit.

QVò te Iuda pedes? Ad Iudæos, & inde vnà cum eis in villam Getſemani, in hortum Oliuarum, vt Chriſtum prodam, perdamque. Socios adſciuit, cohortem, tribunum, multitudinem, quæ rapinis gaudet & latrocinijs, inquit Nicephorus lib. 1. cap. 30. Vbi nota cum Cyrillo lib. 9. in Ioan. cap. 32. quàm *magna res conſcientiæ ſtimulus, cùm perperam quid agimus etiam nullo præſente, ingenti nos metu exagitat. Tale quid paſſus proditor, cohortem armis munitam ſecum duxit: non ignorabat non poſſe eum capi nolentem, ſed magnitudine ac impietate facinoris excogitati, quaſi temulentus atque inſanus quò rueret non ſentiebat. Putauit ex inſania diuinam virtutem illius poſſe forti manu ſuperari. nec mirare tam ridiculè miſerum moueri, gubernacula enim animi, & libertatem voluntatis diabolo tradiderat, ab eoq́ regebatur.* Cum facibus erant & laternis. Pergit Cyrillus: *Deridendi hi timebant forſan, ne vt in tenebris fieri ſolet, aut in foueas caderent, aut pedes lapidibus offenderent, nec videbant ſe in lapidem illidere, de quo à Deo Patre dicitur,* Iſaiæ 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, lapidem offenſionis ſcandaliq́ petram. paruam foueam formidantes in abyſſum ruebant, & noctis tenebras depellentes, de noctis perpetuæ tenebris minimè curant. nec enim poſſunt naturali lumini, id eſt Chriſto, inſidiantes, niſi æternas tenebras habitare, vbi ſuæ impietatis amaris ſupplicijs nimiùm torquebuntur.* Ductore Iuda omnes ibant. Euthymius in Luc. 78. *Præcedebat eos Iudas tanquam ductor.* ſicque commodè oſculum præbuit. Cyrillus catecheſi 13. *Veniens ex aduerſo, & ſtans pacifica loquebatur, hoſtilia autem moliebatur. Dicit de hoc Pſaltes: Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. &, molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Hunc Hieronym. in c. 26. etſi accuſat, leuiter tamen excuſat: *Impudens quidem & ſcelerata confidentia, magiſtrum vocare, & oſculum ei ingerere, quem tradebat; tamen adhuc aliquid habebat de verecundia diſcipuli, cùm non eum palàm tradit perſecutoribus, ſed per ſignum oſculi. Hoc ſignum quod poſuit Deus in Cain, ne quicumque inueniſſet, interficeret illum.* Progreditur Epiphanius vlteriùs hæreſi 66. contra Manichæum: *Hic Iudas imitatus eſt Cain, quia homicida erat, mentiens coram Domino: Nunquid cuſtos ſum fratris mei? non ſcio vbi eſt. Sic Iudas cùm Chriſtum ſalutaret, Aue Rabbi; audit, Amice ad quid veniſti?* Hie-

Hieronymus deinde infidelem facit. *Miser Iudas, & tamen non miserabilis, eadem infidelitate, qua Magistrum & Dominum tradidit, putabat signa, quæ Saluatorem viderat facientem, non maiestate diuina, sed magicis artibus facta: & quia eum fortè audierat in monte transfiguratum, timebat ne simili transformatione elaberetur manibus ministrorum. dat ergo signum, vt sciant ipsum esse, quem osculo demonstraret.*

Quis animus interea Christo, quæ mens fuit? Euthymius cap. 65. in Euangelia: *Donec traditus fuit de traditore illi cura fuit, ideo etiam nunc vocat amicum, qui erat inimicus.* Compellat proprio nomine. Cyrill. catech. 13. *Tradidit Magistrum in mortem, & non sensit dicentis admonitionem, Iuda osculo,* &c. *Fermè enim hoc ad ipsum dixit, admonens eum per ipsius appellationem; Iudas enim vocatur confessio. intellige; accepisti argentum? confitere citò.* Detegit conceptum scelus, vt scelesti animum molliat. Osculo Filium hominis tradis? Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Magna diuinæ significatio potestatis, magna disciplina virtutis, & consilium proditionis aperitur, & adhuc patientia non negatur. Ostendisti Domine quem proderet, dum occulta manifestas; ostendisti etiam quem traderet, dum dicis, Filium hominis. quia caro, non diuinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quòd eum tradiderit, qui cùm esset Dei Filius, propter nos tamen filius hominis esse voluisset. quasi dicat, Propter te suscepi ingrate quod tradis. Quare per interrogationem pronunciandum puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem, Iuda osculo filium hominis tradis? id est, amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? Seruus Dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem?* Osculo eum impertit duplici fine. Idem Ambrosius: *Et osculatus est eum, non quò simulare nos doceat, sed vt ne proditionem fugere videretur, & plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret.* Nec hoc latuit Iudam, nouerat amantem sui: sed quod corrigere debuit, præfidentem nimiùm fecit. Euthymius cap. 65. *Post tanta argumenta, occultare studebat quòd ipse eum proderet, ideò nec palàm prodidit, sed osculum effingit, confidens de mansuetudine Saluatoris se non depellendum.* Et ita erat, amicè, imò paternè, & incredibili amore acceptauit osculum. quod disce ex Christo ipso apud B. Mechtildem libr. 3. gratiæ spiritualis, cap. 1. *Memoreris amoris humilitatis meæ,* inquit ad hanc diuam, *ad osculum sponsæ cùm traditor appropinquans osculatus est me, in quo osculo cor meum tantum persensit amorem, quia si pœnituisset, animam eius in sponsam per osculum illud admisissem, tunc enim omnes mihi copulaui animas, quas ab æterno in sponsas prædestinaui.* Re desperata à se ablegat & ire sinit quò velit, cùm dicit, *Ad quid venisti?* nam hoc, monente Euthymio cap. 65. *non inter-*

interrogando lege, sciebat enim ad quid venerat; sed enuntiando, quasi dicat: Ad id propter quod venisti, id est, iuxta intentum tuum operare relicto velamento. Finis erat proditio, velamentum autem osculum & sermo. Detestata proditoris insaniam sancta Ecclesia, pacem passionis tempore non exhibet. Albinus Flaccus Alcuinus lib. 1. de diuinis officijs, cap. 17. Tunc *à pacis osculo siue salutatione abstinetur, non quòd malum sit, vbi ex charitate profertur, sed ad vitandam salutationem pestiferam, qualem Iudas proditor exercuit: vt demonstretur quam iniuriam passus est Christus à suo discipulo, & nos vitemus eadem ratione iniuriam fratribus facere. signo enim doloso traditus est Dominus.* Amalarius Fortunatus conspirat in verbis, nisi quòd fusiùs explicet Ecclesiæ mentem lib. 1. c. 13. de Parasceue: *Quod dico tale est, locutione & opere debemus subditis monstrare vitandum esse malum Iudæ.* Confirmat lib. 4. cap. 137. Et cùm pace ac salutatione vtitur, eam sinceram vult esse sine fuco. Apud D. Marcum Euangelistam in Liturgia, Sacerdos salutationi sic apprecatur: *Emitte nobis donum sanctissimi tui Spiritus, vt in corde puro, puraq́ conscientia salutemus nos inuicem in osculo sancto, non in dolo, non in hypocrisi, non alieno inhærentes instituto, sed innocentes & immaculati in vno spiritu, in vinculo pacis & charitatis, vnum corpus & vnus spiritus in vna fide, quemadmodum etiam vocati sumus in vna spe vocationis nostræ; vt occurramus omnes in diuinum & infinitum amorem, in Christo Iesu Domino nostro.*

CAPVT XXIV.

Abiens laqueo se suspendit.

QVandoquidem cum Iuda abierimus à cœna in hortum & montem Oliuarum, spectemus ex edito finem discursioni imponentem, cùm se in malam rem egit, fecitque magnam litteram.

Historicum ordinem ex more seruemus. Ierat ad Iudæos, eis pretium reddiderat, confessus se peccasse, cùm iustum sanguinem tradidisset; hactenus quidem bene, quia cum Ambros. li. 2. de Pœnit. c. 5. *arbitror quòd etiam Iudas potuisset tanta Dei miseratione non excludi à venia, si pœnitentiã non apud Iudæos, sed apud Christum egisset.* Pecuniã non acceptarunt illi, nec ille seruauit; *Proiecit enim non in sterquilinio, sed in templo,* ait B. Drogo Episcopus Hostiensis, ser. de sacramento Dominicæ passionis. *nimirum talibus semper diis templum suum deuouerat. Auaritia enim simulacrorum seruitus est, & excæcat oculos sapientum. Ecce infelix qualiter excæcatus est, maluit seipsum perdere, quàm denarios perire; denarios templo, seipsum laqueo addixit, amabat hæredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent.*

Iudex sui ipse. Ambrosius serm. 50. *Non eum damnat Pilatus, non populus, sed quod est grauius, seipse condemnat, & cessante iustitia, iudicatur. Quem alter iudicat, potest vtcunque excusari, & sperare indulgentiam; reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur, & à quo indulgentiam postulabit? Mirum sit vobis quòd non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt impietatem suam ipse, dum recordatur, & puniat; scelus suum dum recognoscit, & vindicet: omnium autem supergreditur sententias, qui à sua conscientia sua sententia condemnatur. Sic Paulus de hæretico,* ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus. Se damnat hæreticus, cùm de Ecclesia seipse proiicit, & nullo compellente de cœtu Sanctorum procedit: ipse ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Criminosi omnes Episcopi sententia eiiciuntur. Hæreticus præuenit, & se ipse exturbat: tali ergo hæreticus, quali & Iudas pœna damnatur, vt idem sui & reus sit sceleris, & iudex vltionis. meritò, quem enim Iudas vendidit, hæreticus blasphemat.* Deinde serm. 51. *Seuerissimus sui iudex Iudas, vel in vlciscendo confitetur, quem negauerat in tradendo.*

Desperatio eò compulit, quam ei dæmon immiserat, ait Ignatius epistola 5. ad Philippenses. *Quia*, inquit Euthymius, *talis est diabolus, ante peccatum non permittit videre malum, ne sequatur resipiscentia; peccato perpetrato permittit videre, vt mœrore affectum in desperationem præcipitet.* Et D. Leo serm. 3. de passione: *Hic ad omnium redemptionem vtebatur malitia persequentium, vt in mortis eius resurrectionisq; sacramento, etiam interfectores sui possent salui esse, si crederent. Vnde scelestior omnibus, Iuda, & infelicior extitisti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.* Animo opus erat præsenti, maloque se eripuisset. B. Antiochus Abbas in Laura ad S. Sabæ ad Eustachium homil. 27. de desperatione: *Animæ præstantis ac generosæ conditio, vt quantæcunque tandem inundent tentationum procellæ, nullo vnquam pacto sinat à se auelli spei solidæ anchoram. Ob hoc enim hominis vita, πειρατήριον dicitur, id est tentationum, siue piratarum domicilium. At nos ne sic quidem à Domino deficiamus, quousque tentatorem iubeat semotiùs à nobis secedere, & per tolerantiam atque immobilem animi rigorem, vitæ restituamur tranquilliori. Quod enim peccati genus desperatione atrocius? Iudas Domini proditor, quàm pusilli animi erat & abiecti? quàm rudis & expers tentationum?* Pergit dicere spe abiecta periisse.

Nec desperanti modò satis in se fuit sententiam tulisse, ipse eam etiam est executus. Laqueo enim se suspendit, non aliena, sed sua ipse manu,

manu. S. Anastasius Sinaita lib. 7. anagogicarum contemplationum. *Vnus latro ingratus, cùm esset typus diaboli & serpentis, & Iudæ, qui se in ligno suffocauit.* Gaudentius Brixiensis tract. 13. de natali Domini: *Mortem debitam laqueo sibimet intulit præparato, confestim rapiendus ad inferni supplicia.* Drogo Hostiensis de sacramento Dominicæ passionis: *Iam diu erat quidem quòd à Christo recesserat, & auaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* S. Martialis epistola 2. ad Tholosanos: *Non sustinuit pœnitentiam, donec laqueo mortis seipsum consumpsit.* A consilijs tamen ei dæmon adstabat. Ignatius ad Philippenses: *Laqueum ei ostendit, & suspendium docuit.* Vtque videas eo magistro vsum, Leo serm. 3. de Passione: *Homo inconuertibilis, spiritus vadens, & non reuertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo à dextris tuis, iniquitatem quam in Sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorsisti, vt quia facinus omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.* Funiculo in eam rem est vsus, & dæmonis opera extinctus. Diuus Antiochus Laurensis: *Spem omnem à se cùm abiecisset insiliente in eum inimico, funiculo sibi præfocauit gulam.* Oecumenius in Acta: *Fracto funiculo, quo erat præfocatus, decidit in terram præcipitio,* &c. Non ex trabe quidem, vt Sedulius presbyter paschalis operis lib. 5. cap. 8. poëticè voluit: *Sibi mortiferum molitur interitum: quamuis sanior ille tunc fuerit, cùm nefandæ coniurationis in se flagitium vindicauit. Vitamq; gutturis execrandi (qua vox processit immitis, videns omnium redemptionem) faucibus nodatis adstringens, animam trabalibus laqueis expulit infelicem.* Sed ex arbore, eaque ficu. Ita ex Patribus Iuuencus lib. 4. historiæ Euangelicæ:

Exorsusq; suas laqueo sibi sumere pœnas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Et Beda de locis: *Portam Dauid egredientibus fons occurrit in Austrum per vallem directus, ad cuius medietatem ab occasu Iudas se suspendisse narratur; nam & ficus magna ibi & vetustißima stat.*

Verùm, an ibi expirarit? Euthymius negat cap. 67. in Matth. Et refert nescio quam anilem fabulam. *Agnitus à quibusdam depositus est, ne præfocaretur. Denique postquam in secreto quodam loco modico vixisset tempore, præceps factus, siue præcipitatus, inflatus, diruptus, ac diffissus est medius, & effusa sunt omnia viscera eius, vt in Actis. Quòd si etiam in Actis scriptum est quòd prædium comparauit de mercede iniquitatis, non tamen hoc fuit post strangulationem, vt quidam putant.* Oecumenius in Acta apud Sixtum Senensem bibliothecæ lib. 6. annotatione 222. *Iudas suspendio è vita non discessit, sed superuixit: deiectus est enim priùs quàm præfocaretur, idq;*

Aposto-

Apostolorum Acta indicant, quòd pronus crepuit medius. Hoc autem planius scripsit Papias, Ioannis Apostoli discipulus, dicens, Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas: in tantum enim corpore inflatus, vt progredi non posset, cùm currus leui cursu pertransiret, curru compressus est, ita vt effunderentur eius intestina. Corpore adeò inflatus est, vt neque posset progredi, qua currus leui cursu pertransibat, imò ne solùm quidem capitis tumor. siquidem & palpebras oculorum eius adeò intumuisse ferunt, vt lumen omnino videre non posset: oculi verò illius neque διόπτρας, nempe instrumenti medicorum, adminiculo apparere possent. tanta profunditate ab exteriori adspectu erant separati. Porrò sanies ac vermes contumeliosè confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora. Post multa verò tormenta & vltiones, cùm in suo prædio, vt aiunt, mortuus esset, præ fœtore prædium illud desertum permansit, & non habitatum vsque in hodiernum diem: sed neque ad hoc vsque tempus locum illum quisquam præterire potest, nisi obturatis manu naribus. Cæterorum Patrum, non quorumdam tantùm est sententia, sed communis, in suspendio extinctum. Theodoreti lib. 1. hæreticarum fabularum, §. de Cainis: *Ille protinus strangulatus est, quæ fuit merces eius proditionis.* Chrysostomi homil. 3. de proditore: *Pependit cælum terramq́ inter medius vago funere suffocatus, & cum flagitio suo tumefacta viscera crepuerunt, nec cadaueri terra solitam exhibuit sepulturam.* Bernardi serm. 8. in psal. 90. *Iudas in aëre crepuit medius.* Ita etiam magister historiæ. Sedulij, cuius superiùs facta mentio: *Parua pœna pro tanto videtur esse flagitio, cui nulla suppliciorum æquari valeat magnitudo: tamen ipsum funesti genus exitij, mortisq́ pendentis ab alto cadaueris, cælum negat adspici, terram vetatq́ attingi, vt reus sceleris inauditi, simul ab vtrisque dignus elementis expelli, nec aëre frueretur ad vitam, nec humo generali compositus more hominis vitam dimitteret exhalatam. Habet aliud dedecoris istas in species propriæ directionis iudicium. Quòd enim in sublimi fastigio necem sortitus est perfidus & desertor, patefecit ex quanto culmine sit lapsus nuper discipulus, modò iam reus; nuper Apostolus, nunc apostata nominatus.* Et Aratoris lib. 1. historiæ apostolicæ, vbi Petrus sic loquitur:

—— Cæli terræq́ perosus
Inter vtrumque perit; nullis condenda sepulchris
Viscera rapta cadunt, tenuesq́ elapsus in auras
Fugit ab orbe cinis. non hæc vacat vltio Iudæ,
Quæ suprema negat, vindictaq́ mercis iniquæ
Sic placitura venit: nam cùm modò rura parasset
Funeris ex pretio, cum nomine sanguinis emptus
Cespes, in externas componens busta fauillas,

De tumulis fœcundet humum, caret impius agri
Fertilitate sui, solusq; excluditur aruis.

Decidit exinde,& in faciem quidem,ac casu ipso crepuit. Ambros. lib.1. de fide, cap.9. *Crepuit Arrius, sicut de Iuda Petrus Apostolus dixit, quia possedit agrum de mercede iniustitiæ, & in faciem prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. Non est fortuita mors, vbi in sacrilegio pari pœnæ parile processit exemplum, vt idem subirent supplicium, qui eundem Dominum negarunt, & qui eundem Dominum prodiderunt.*

TEMPVS. Modò de tempore laboremus, ecquando se sustulerit de medio. sequenti die ab osculo. Chrysostomus hom.1. de proditore,& mysterijs cœnæ Dominicæ: *Guttur prophanum, quod hodie Christo extendis ad osculum, crastino es illud extensurus ad laqueum: malo tuo didicisti argentum expendere, mox incipies & corpus proprium ponderare.* Christo addicto sacræ neci. Sedulius presbyter suprà: *Interea dies nouum visura flagitium, nocturnis mæstior vmbris illuxit, quæ tenebrarum remota caligine, Hebræi cœtus infanda reserabat vulgo consilia. tunc Iudas draco nouissimus, & priori similis homicida veneficio (nam sicut ille Adam vitæ subtracto, sic & iste Christo morti contradito generationis humanæ factus est persecutor.) ad Pilati Dominum videns deduci prætorium, eumq; vinculis constrictum qui resoluit vincula peccatorum, diriguit miser & horruit, pecuniamq; funeream, mercedem scilicet cruoris innoxij, restituens sæuis dispensatoribus ac refundens, pretio criminis sese vacuauit ille, non crimine,*&c. *Sibi mortiferum molitur interitum,*&c. Nondum tamen patienti. Chrysostomus homil. 4. de proditore: *Infelix Iudas facinoris sui reliquit testimonium, qui supplicium non potuit videre damnati.* Leo serm.3. de passione: *Expectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis leti suspendium distulisses.*

Ridicula quædam comminiscuntur aliqui, & cogitationem proditori adfingunt, quam nunquam ei credo venisse in mentem. Origenes tractatu 35. in Matth. *Existimauit Iudas præuenire in morte moriturum magistrum, & occurrere ei cum anima nuda, vt confitens, & deprecans misericordiam mereretur.* Et Theophylactus: *Idcirco se Iudas strangulauit, vt præueniat* IESVM *in inferno, & ibi orando salutem consequatur.*



COENA EVCHARISTICA.

CAPVT I.

Qui ad tertiam cœnam non admittendi?

HInc excluduntur, ac foras mittuntur canes & venefici. *Impuri* ergo *omnes* cum Iuda *ſecedite atque abſcedite.* Quia apud Clementem Iacobus Zebedęi, Ioannis frater ita edicit: *Ne quis ex catechumenis, ne quis ex audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex hæreticis: qui primam precationem feciſtis, exite, quæ matres eſtis pueros aſſumite; ne quis contra quempiam, ne quis in hypocriſi: ſtemus erecti Domino cum metu & tremore ad offerendum.* Sancta enim ſanctis tantùm, non porcis, non canibus. Etenim Iſaias 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra, quia Dominus locutus eſt. Et dicet in die illa: Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluabit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus in ſalutari eius,* &c. id eſt, ſacram Euchariſtiam inſtituit, in qua omni nationi, quæ ſub cælo eſt, conuiua ſe ipſe conuiuium conuiuis dabit, panem omne oblectamentum in ſe habentem, vinum germinans virgines: vincula nodoſque peccatorum diffringet: nec videbimus tantùm, ſed fruemur, ſed edemus *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* ita hunc locum de Auguſtiſſimo Altaris Sacramento Cyrillus, Cyprianus expoſitione ſymboli, Euſebius Cæſarienſis lib. 1. demonſtrationis cap. vlt. Dionyſius Carthuſianus, intelligunt.

CAPVT II.

Qualis panis appositus?

A Pane cœnam auſpicatur Chriſtus, quem in manus ſacratiſſimas cùm ſumpſit, benedixit. Negant tamen Cathari alij, quos Auguſtinus de hæreſibus non Catharos, ſed Cathariſtas, cùm de Manichæis ageret, vocat: quia animum inducere non poterant, ex pane, aqua & igne confecto, confici poſſe Chriſti corpus. quòd panem diaboli creaturam dicerent. Difficultatem verò cient Græci, qui fermentatum fuiſſe volunt, ideoque Latinos Azymitas appellant, quòd fermento non vtantur, & in azymo tantùm celebrent, ac in eo Chriſtum ſe imitari prætendant; atque adeò pertinaciter agunt quod agunt, vt horrorem à catholico facto concipiant. Si quem enim in azymo in ſuis altaribus viderint celebraſſe, quaſi altaria prophanata ſint, antequam in eis celebrent, aqua luſtrant mundantque. PRIMA RATIO. Nouitium quiddam eſſe vſum azymi volunt Ieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus ad confeſſionem Lutheranorum cap. 17. Magdeburgenſes centuria 11. cap. 8. Caluinus 4. inſtitut. cap. 17. §. 43. Kemnitius 2. p. examinis, cap. 7. etſi parum illi putent referre, azymo, vel fermento vtaris: addit tamen Caluinus primum voluiſſe in azymo fieri Alexandrum Papam. SECVNDA. Græcè ἄρτον habemus, quod ab etymo eleuatum, ſurſum portatum interpretantur à fermento & ſale, ac ideo putant viuificum plenumque ſpiritu: azyma autem nihil diſtare à lapide ſine anima, & luto lateris deorſum coniuncta terræ, & ſicco luto comparata, quæ cum amaritudinibus comedi Moyſes ſtatuit, Deut. 16. *Septem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egreſſus es de Aegypto*, &c. Ad primum quod attinet, quia recèns natum nuperque inuentum dicunt; diſcant ex Leone IX. epiſtola ad Michaelem Epiſcopum Conſtantinopolitanũ, circa annum Domini 1053. primùm à Græcis Latinos reprehendi cœpiſſe, & Azymitas vocatos. Quare impoſtor eſt Caluinus duplici nomine, tum quòd Alexandrum Papam gratis authorem referat, quod docebo falſiſſimum eſſe: tum quòd Alexandrum hunc anonymum citet. Si ex fide egiſſet, ſecundum, tertium dixiſſet, eoſque oſtendiſſem poſt Leonem IX. fuiſſe, aut certè primum; quod cum epiſtola Leonis ſtare non poteſt, qui cap 4. dicit, ſanctos Martyres primitiuæ Eccleſiæ, azymis noſtris ſaginatos, & à Petro annos 1000. & 20. ita myſteria celebrata. Ad Chriſti factum, nempe eum in fermento conſecraſſe, non in

azymo, vt illi falsò conantur euincere; satis veritatem elucidat lex vetus, quam certum est eum ad amussim esse secutum. Exodi 12. præscribitur à Domino: *Septem diebus azyma comedetis. non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die vsque ad diem septimum.* Non inueniebatur ergo in vniuerso Israel fermentatum, septem paschæ diebus, & apud quem inuentum fuisset, transgressor habebatur legis, & occidendus. Poterat id Iudæis, Iudæ, omnibus Christum in crucem agentibus satis esse, vt eum morti destinarent: vt suprà de paschate præterito & non legitimè seruato facere potuisse, dictum est. Deinde vidimus in Munozio, quod Iansenius ex Thalmudiei lib. Pesachim, concordiæ c.144. confirmat, nocte qua agnum immolabant, solitos fuisse inquirere fermentum ad lumen lucernæ, quòd omnino id putarent eijciendum ex ædibus. Respondent Græci, inquit Humbertus Cardinalis Syluæ candidæ de azymo & fermentato: Potuisse Christum, cùm esset omnipotens, etsi minimè in omnibus finibus Israel reperiretur, vndecunque habitum exhibere, aut azymum benedicendo fermentare. Et Euangelistæ id scilicet prætermisissent: & qui ne contentionem de prioratu, neque de vendenda tunica, & emendo gladio, quæ minimè ad rem spectabant, omiserunt, tam præstans miraculum omisissent? Sed nondum illi silent apud Stephanum Eduensem Episcopum lib. de Sacramento altaris, cap. 17. conuolant ad mysterium: *Græci immolant de fermento, ad significandum tumidum Virginis vterum de Spiritu sancto impraegnatum.* Respondet ille insulsis: *Non consentit sanctorum Patrum doctrina, quia in sacro eloquio nunquam inuenitur fermentum accipi in bonum.* Paulus 1. Corinth. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* & iterum: *Expurgate vetus fermentum.* & paulò pòst: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* Christus Matth. 16. *Cauete à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Semel tantùm in sacris literis in bonam significationem poni reperimus, vbi regnum cælorum fermento simile in Euangelio Dominus dicit. Contrà verò azyma nusquam est reperire, nisi in significatione bona, id est, pro sinceritate & veritate, vt apud Paulum legimus: *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Ideoque Stephanus Eduensis suprà cap. 17. ait: De azymo pane, non fermentato immolat S. R. E. *vt expurgato fermento veteri, reficiamur azymis sinceritatis & veritatis.* Deinde ad originem fermentati Græcos Humbertus vocat: *Fermenti,* inquit, *origo fit cùm aut spuma musti, seu fex cuiusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos ceruisa dicitur, vel certè ius elixati hordei, aut ciceris, siue lac ficulneæ, vel pecorum corruptum iniicitur conspersæ farinæ.*

Cùm ergo spuma, fex, elixura leguminum, & lac ficus, vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida, constat fermentum sordibus non carere.

Ad secundum idem Cardinalis reponit, ridiculum ab etymo argumentum esse, præsertim cùm indifferenter Scriptura, tam azymum quàm fermentatum, panem vocet. In Exodo, Numeris, Leuitico, Iudicum, Regum libris panes propositionis, quos azymos fuisse, Leuitic. 2. constat: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*; ἄρτους προθέσεως vocat. & Deuteronom. 16. Moyses panem azymum nuncupat panem afflictionis, ἄρτον ταπεινώσεως. Psalm. 77. de manna: ἄρτον ὀυρανοῦ ἔδωκεν ἀυτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος. *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Deinde quod caput argumenti est, Matth. 26. non est scriptum ab Euangelista, λαβὼν Ἰησοῦς ἄρτον, sed hebraicè *lacach lechem*: *lechem* autem Deuteronom. 16. azymum significat, *lechem oni* panem afflictionis, panesque propositionis *lechem panim* dicuntur. Sic ferè vir doctissimus respondet.

Nos quidem facimus ita esse, ab αἴρω tollo, eleuo, ἄρτον dici; non ideò tamen quasi eleuetur per fermentum, sed potiùs quòd humanam naturam nutriendo eleuet, & corpora augeat, quod azymo, & fermentato est commune. Fermentum autem viuificum dicere, quasi animatum, Manichæum agere est, qui ligno, lino, vesti animam dabat.

D. Hugo Ætherianus Christum & Ecclesiam purgat lib. 2. hæresum, quas in Latinos Græci deuoluunt, cap. 17. *Christus non fuit aliquo modo transgressor legis, alioquin iustè occidissent eum, quamobrem azymum benedicens, fregit, & dedit discipulis suis, & dixit: Accipite,* &c. *Ideò Latinorum sancta Ecclesia æternaliter azyma offert & immolat, nequaquam in hoc iudaizans, cùm in anno illi semel, & non proposito simili, hæc verò perpetuò secundùm Christi traditionem: profectò, si hoc est iudaizare, qui vtuntur templo, altari, oleo, aqua, lumine, thuribulo, angelorum imaginibus, & barbas non radunt, Iudæis vtique consentient.*

CAPVT III.

Panis triticeus, integer, mundus.

Azymo itaque vtimur Christi imitatione, sed & illo ex frumento lecto. Concilium Coyacense in diœcesi Ouetensi sub Ferdinando

dinando primo, & Sancia Regibus Castellæ: *Hostia sit ex frumento sano, & integra; vinum sit mundum, & aqua munda; ita vt inter vinum, aquam & hostiam Trinitas sit significata.* Eò etiam tendit azyma, quòd farina, aqua, igni perficitur. Absurdè Græci quinque requirunt, fermentum, farinam, salem, aquam, ignem; quorum quinque eorum narratione panis debet esse particeps. Hinc eos vrget Humbertus: *Quarum omnium significationes congruas in illa simplici & sincera carne Saluatoris, si habetis, date nobis. Par est enim vt de fermento nobis rationem ponatis, quemadmodum nos de azymis vobis: ne fortè, quod absit, peruersitas Manichæorum ad fulciendum errorem suum asserat, has quinque substantias in sacrificium Christianorum assumi, propter quinque antra tenebrarum, quæ sibi mentiendo confingunt.* Et Stephanus Eduensis suprà cap. 12. *Panis iste debet esse triticeus, quia Dominus se grano tritici comparauit dicens, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet,* &c. *Vnum granum fuit, & solum ante resurrectionem, pòst sanctificauit, & multiplicatum est per fidei propaginem. Quot fideles, tot sunt grana illi grano deifico vnita, ex quibus conficitur vnum corpus, quod est Christus & Ecclesia.* Et capite decimotertio de oblatis: *Illibata sunt, nec corporali gustu, nec aliqua fractione vitiata, sed integra & intacta, inde est quòd panis integer debet apponi.* Grauis erroris Græcos Humbertus arguit, qui nulla cura in nitorem, sed furore tantùm magno in insaniam suam incumbant. *Vos aliquando,* inquit, *pretio fermentatum à quocumque viro, seu femina præparatum habetis, in tantum vt nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis, quem tractatum illotis & sordidis quorumlibet manibus, sic negare non potestis.* Romani contrà vt ratione in omnibus, sic honestate cum primis circa diuina excellunt; non committunt hæc omnibus, seligunt personas, & his certos deputant ex officio. Theodulphus ex Abbate Floriacensi Aurelianensis Episcopus, epistola ad suos compresbyteros: *Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè ac studiosè fiant; & diligenter obseruetur vt panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosè tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inueniatur.* Vnde seruabatur in secretario, id est, sacristia. Quare & Humbertus pergit dicere: *Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia psalmorum conspersum,* scilicet azymum, *& in ferro paratum, ex secretario proferunt.* Putatque hoc ex officio Diaconos præstare, idque voluisse Petrum Act. 16. *Non est æquum relinque-*

re

re nos verbum Dei, & ministrare mensis. Hinc Oblationarij dicti diaconi qui ex patriarchio oblatas ferebant, vt docet Anastasius. Oblatæ verò erant, panis ac vinum, vt videre est in antiquis Ritualibus, quæ offerebantur, vel censu annuo ijs decreto. sic Gregorius III. oblatas instituit, easque mandat sub anathemate Missis impendi, dato ad hoc Breui apostolico, quod extat etiamnum in basilica sancti Pauli tabula marmorea. Vel communicaturi pro se quisque offerebant. vnde querelæ Patrum, qui in eos inuehebantur, qui ab oblatis essent imparati. Augustinus serm. 215. de tempore: *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit.* Et Cyprianus de opul. & eleëmosyna, feminam diuitem corripit, *De sacrificio quod pauper obtulit, sumis?* Vel populus interdum Missis faciendis oblatas dabat. Remigius Antisiodorensis lib. de celebratione Missæ: *Surripit interim sacerdos à populo oblatam, vt ipse qui est inter Deum & populum mediator, preces eorum & vota Deo offerat.*

CAPVT IV.

Cur in pane, vino, aqua fecerit Christus? & de pane mysticus sensus.

EX Coyacensi Concilio sacratissimam Trinitatem inde didicimus. Addit Humbertus Syluæ candidæ triadem proponi naturarum in Christo: *Romana Ecclesia à ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum ex grano frumenti, & limpida lympha per ignem præparatum. Vbi significat in vna mediatoris Dei & hominum hominis Dei* IESV *Christi persona tres perfectas credere & venerari substantias, humanam scilicet carnem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum. Granum assimilatur carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex gremio matris terræ sola virtute cælesti, non autem aliqua commistione virili factam, omnipotens diuinitas animauit; puriorem substantiam, id est animam, quasi aquam præclaram, & mobilem ei infundens. Quas geminas substantias à conceptionis exordio Verbum Dei ritè suscepit, & mediante suæ diuinitatis calore tanquam igne sibi constrinxit & consolidauit.*

Tertiò, ex rerum constitutione fieri aliter non potuit. voluit enim Christus ex parabilibus maximè sacram suam cœnam institui. Isidorus Originum 20. cap. 2. *Epulæ simplices in duo necessaria diuiduntur, panem & vinum, & in duo superflua quæ terra & mari vescendi causa exquiruntur.* Quod fusiùs B. Samonas Gazæ Archiepiscopus disceptatione cum

Achmed Saraceno proſequitur, & pulchrè inſtituto accommodat: *Inter alios omnes cibos, panis ſibi primum locum vendicauit, itidem & inter potiones aqua & vinum primas tenent. His igitur pane, vino, aqua, nobis aſſuefactis, Dominus coniuncta ſua diuinitate, virtute ſui verbi, qua omnia vt eſſent ex nihilo produxit, in proprium ſuum corpus & ſanguinem ea transfert: veruntamen panis & vinum aſſumuntur, & apparent, idq́ prudenti diſpenſatione, ac gratuita demiſsione ſui ad captum noſtrum, tollit à nobis horrorem atque metum, qui deterriti ab eo reſiliÿſſemus, ſi carnem ſuam in ſua propria ſpecie & ſanguinem iuſsiſſet nos aſſumere. Adhæc, exteræ quoque nationes condemnaſſent nos voracitatis carnis humanæ, dicentes nos more ferarum ſanguinem bibere, & crudam carnem vorare, quæ propter incredulitatem ſolum panem & vinum intuentur: ſed fideles corpus Chriſti & ſanguinem, ex incontaminato eius latere effuſum. quemadmodum & in lauacro baptiſmatis, qui ſunt infideles ſolam aquam in piſcina vident, fideles autem ignem, aquam & ſpiritum contemplantur.*

Quartò, vt ex more faceret, cùm pani vinoque benedixit. hoc ex ritualibus Iudæorum habemus; ſic enim vetus volumen, quod Emanuel Tremelius ex hebræo latinum fecit: *Paterfamilias initio conuiuÿ ſumit panem azymum integrum, quem in duas partes diuidit, quarum vni ſic benedicit, Benedictus es Domine Deus noſter in eſu panis azymi; alteram autem partem recondit ſub mappa, vt videntes pueri interrogent, cur panem azymum abſcondamus, & differamus eum edere? Deinde ne ſi eum videant, comedant inter cœnandum imprudenter. Poſtea peragit cœnam ſuam quiſque lætus, qua peracta reſumit paterfamilias partem illam quam ſub mappa abſconderat, & ex ea recumbens comedit tantillum, quanta eſt oliua, diſtribuitq́ ſingulis accumbentibus in paſchæ memoriam: nec quicquam cibi ea nocte guſtant, vt guſtus panis azymi maneat in ore ipſorum. Deinde ad eundem modum diſcumbens bibit, & recitat gratiarum actiones, quibus ſumpto cibo ſolent agere gratias Deo.* Paulò aliter canon Hebræorum, in quo hæc habentur: *In paſchali conuiuio, poſterior quæ eſſet menſa, non, vt in aliis dierum feſtorum ſecundis cœnarum menſis, bellaria apponebantur, ſed tantùm à lege ſtatutus cibus, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agreſtibus factum, aliÿſq́ rebus conditum: inq́ eum primùm paterfamilias intingebat offam, mox cæteri, ſicq́ conſumebatur. Deinde idem paterfamilias tortam azymam ſub mappa hactenus ſeruatam, in fruſta frangebat, in tot particulas illam diuidens, quot eſſent in cœna diſcumbentes, ſicq́ diuiſam ſingulis porrigebat: quo facto ipſe poculum deguſtatum tradebat proximo, ille ſecundo, donec poculum per totum conuiuium circumferretur. Cùm diſtribueretur torta azyma, hæc verba idem paterfamilias dicebat; Iſte eſt panis ærumnæ quem comederunt patres noſtri*

ſtri in terra Aegypti; quiſquis eſurit, accedat, & peragat paſcha. Deinde accepto poculo benedicebat, Benedictus es Domine, qui fructum vitis creaſti, &c.

Eximiam hominis Chriſtiani cum pane ſimilitudinem Sebaſtianus Comes Geiſerico dedit apud Victorem Vticenſem lib. de perſecutione Vandalica. Voluit enim eum Geiſericus apoſtata à catholica religione auocare, & transfugere iteratò ad Vandalos, & ad hoc vehementer eum hortabatur. cui Sebaſtianus acutè pro tempore reſpondit: *Quæſo, Domine rex, vt nunc vnus panis mundiſſimus, ac ſimilaceus afferatur. Quem, cùm ignoraſſet Geiſericus Sebaſtiano victoriam, illicò iuſſit adferri. Apprehendens itaque Sebaſtianus mundiſſimum panem, ita affatus eſt, Hic panis vt ad tantum decorem ſplendoris veniret, & menſæ regiæ neceſſarius haberetur, diſcuſſa ſpuria furfuris ex maſſa ſimilaginis conſperſus per aquam tranſiuit & ignem, idcirco & adſpectu clarus, & eſu ſuauis habetur. ita & ego mola matris Eccleſiæ commolitus, & cribro examinationis vt ſimila purgatus, rigatus ſum aqua baptiſmatis, & igne ſancti Spiritus coctus: & vt hic panis de furno, ita & ego per officia Sacramentorum diuinorum artifice Deo de fonte mundus aſcendi; ſed fiat, ſi velis, vt ipſe propono. Iſte panis confringatur in fruſta, madidetur aqua, & iterum conſpergatur, mittatur in furnum; ſi melior exierit, faciam quæ hortaris. Quam propoſitionem Geiſericus cum omnibus qui aderant cùm audiuiſſet, ita ligatus eſt vt ſoluere omnino non poſſet.* monemur ergo candore panis, conſtantiæ.

CAPVT V.

Chriſtus benedixit cùm accepit panem in manus: quidam contrà maledictiones pro benedictionibus reponunt. alij aliter benedicunt.

CHriſtus, cùm accepiſſet panem in manus, oculis eleuatis in cælum, Deo gratias pro donis egit, benedixit, imò ex quorundam opinatione, vt infrà audiemus, ſignum crucis expreſſit, nobis in exemplum, ſi quando de beneficijs participemus, meminerimus creatoris. Id verò non faciunt Manichæi, qui maledictiones pro benedictionibus ſæpiùs iterant. Cyrillus catecheſi 6. de Manichæis: *Eos qui afferuntur illis, cibos hilari facie recipientes, pro benedictionibus maledictis inſectantur. cùm enim ignorans aliquis illis adfert panem, Paululũ, inquiunt, extrà ſubſiſte, & benedicam tibi. Deinde in manus recipientes panem, quemadmodum illi qui ex illis pœnitentiam agunt confeſſi ſunt, Ego te, dicit Manichæus pani, non feci, & execrans proiicit in altum, & maledicit ei qui fecit illum, atque ſic*

factum comedit. Si oderis cibos, cur hilari facie intueris illos afferentem? Si danti habes gratiam, cur factorem & opificem omnium blasphemas: & rursus: Ego te, inquit, *non seminaui, seminetur seminans te. Ego te non messui falcibus, metatur metens te. Ego te igne non coxi, coquatur qui coxit te. Pulchra sanè gratiarum actio;* qua in Deum tot horrendæ blasphemiæ, in homines maledicta iaciuntur. *Insabatati* sic dicti, quòd in sotularis suprema parte, quam sabaten appellant, signum quoddam deferant, emerseruntque Alexandro Papa III. & Friderico Imper. cùm mensæ accumbunt, *sic eam consecrare solent, Qui benedixit quinque hordeaceos panes, & duos pisces in deserto discipulis suis, benedicat hanc mensam nobis. Quando verò ab eadem surgunt, illud Apoc. 7. dicere consueuerunt, Benedictio, & claritas, sapientia, & gratiarum actio, & virtus, & fortitudo sit Deo nostro in secula seculorum, Amen.* *Gabriel Prateolus.*

Marcus verò hæreticus sic gratias suas benedictionesque instituit. Irenæus l. 1. c. 9. *Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere, & in multum extendens sermonem inuocationis, purpureum & rubicundum apparere facit, vt putetur ea gratia ab iis, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per inuocationem eius, & valdè concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, vt & in eos stillet, quæ per magum hunc vocatur gratia; rursus mulieribus dans calices mistos, ipsas gratias agere iubet præsente se. & vbi hoc factum est, ipse alium calicem sumit multo maiorem, statim dicens ita: Illa quæ est ante omnia inexcogitabilis & inenarrabilis gratia, adimpleat tuum intus hominem, multiplicet in te agnitionem suam, inseminans granum sinapis in bonam terram, & alia quædam dicens, & in insaniam mittens illam infelicem; admirabilia faciens apparuit, quando maior calix adimpletus est de minori calice, vt & superfunderet ex eo, & alia quædam dissimilia faciens exterminauit multos, & abstraxit post se.*

CAPVT VI.

Deditq́ discipulis suis. an etiam Iudæ? Videri dedisse à nube testium.

ALiqui vt tutò ambulent, neutri sunt, non negant omnino, non etiam asserunt. Hos inter primum sese Theophylactus in Marci 14. offert: *Quidam dicunt Iudam non fuisse participem Sacramentorum, sed egressum esse, priusquam Dominus Sacramenta traderet: alij autem dicunt, quòd etiam ingrato illi Sacramenta dederit.* Sed dum medius vehitur, ac Scyllam cauet & Charybdim, in Syrtes scopulosque impingit in Matth. 26. *Quidam dicunt, quòd egresso Iuda tradidit Sacramentum aliis discipulis, proinde & nos sic facere debemus, & malos à Sacramentis arcere.* Profectò non

debemus, maximè si huic facto insistimus. Christus enim priuatim sciuit Iudam proditorem, sinit abire: non verò publicè exclusit: ergo quos nos priuatim malos nouimus, nec alijs de eorum malitia constabit, licebit à Domini cœna arcere? non licebit, inquam.

Cæterùm tutior via hæc erat affirmantium, & planior, ac nescio qua cæca obseruantia magis trita; vt nefas putent aliqui ab ea decedere, qui duobus retinentur, auctoritate, & ratione. Sed committantur vtræque acies, stet

pede pes, densusq; viro vir.

Primò prodeant velites, leuisque armaturæ, qui dicant tantùm, & non probent; deinde qui ex textu ipso conentur euincere; tum qui ex Iudæ sacerdotio argumententur.

Primi sunt grauissimi Patres. Leo serm. 3. de passione, sic Iudam alloquitur, & conatur à destinato flagitio reuocare: *Cur de eius bonitate diffidis, qui te à corporis & sanguinis sui communione non reiecit? qui tibi ad comprehendendum se cum turbis, & armatorum cohorte venienti pacis osculum non negauit?* Augustinus in psal. 10. *Christus quid vobis fecit, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primùm Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet?* Hieronymus lib. 2. in Iouinianum cap. 14. *Nunquid quia & Iudas de eodem calice bibit, de quo & cæteri Apostoli, vnius cum reliquis erit meriti?* Cyprianus de cœna Domini: *Quamdiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati, à conuescentibus Apostolis sumebantur, veteris paschæ agebatur memoria, necdum Iudas ad veterem vitam pertinens, diabolo inuadente, & occupante animum eius, egredi cogebatur; sed vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem & pretium, ad desperationem & laqueum.* Idem de ablutione pedum: *Ad mensæ tuæ participationem Iudas proditor est admissus; sed ab hoc lauacro salutari exclusus, lauari in fine non potuit, quia apostolatus sui honorem detestabili cupiditate fœdauit.* Chrysostomus homilia 83. in Matthæum: *O cæcitatem proditoris, qui cùm ineffabilibus mysteriis communicasset, idem permansit, & diuina mensa susceptus in melius commutari noluit! quod Lucas* cap. 22. *significauit, quia post hoc Satanas introiuit in eum: non quia Dominicum corpus despiceret, sed quia proditoris impudentiam irridebat. maius enim peccatum vtraque ratione fiebat, quia tali cum animo mysteria suscepit, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est. Christus autem omnia quamuis sciret, vitare tamen eum noluit, vt tu discas nihil ab eo prætermitti quod ad emendationem pertineat. Præterea tam in superioribus quàm in sequen-*

sequentibus crebrò eum commonefacit, & reuocat verbis ac operibus, timore, colendo, honorando, minando retinere studebat, sed nihil horum ei mederi potuit.

Vbi nota, opinari Chrysostomum buccellam intinctam Christi fuisse corpus, quod cùm ille sumpsisset, exiuit continuò. Idem credidêre antiqui Patres aliquot, qui diuinam vocant. Anastasius Sinaita serm. de sacra Communione: *Ipse cùm ex impollutis manibus Domini diuinum panem accepisset, quia eum indignè acceperat, protinus ingressus est Satanas in eum.* Deinde qui mysticam. Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis lib. de corpore & sanguine Domini, cap. 8. *Iudas donec buccellam acciperet, quamuis mente saucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter crebroq́; nunc cum aliis, nunc solus monetur; sed postquam indignus mystica præsumpsit, inuasit eum diabolus, & quia priùs nutabat cùm accepit, continuò foras exiuit.* Vltimò qui corpus Christi. Cyprianus de cœna Domini: *Meliùs erat mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illota conscientia de manu Domini buccellam accipere, qui vsque hodie hoc veracissimum & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit.* Et Origenes, qui singularis hîc est, vt alibi sæpiùs, in Ioan. 13. *Quæro, nisi id curiosum est, quare tandem huic voci, Cùm accepisset offulam, non addatur, Et comedisset? Sed inspicies tu ipse. huic enim verbo accipiendi, comedendi verbum addunt Euangelistæ, cùm volunt, veluti in panis benedictione scriptum est, dixisse* IESVM *discipulis, Accipite & comedite,* &c. Deinde infrà: *Post offulam igitur fortasse à Iuda non comestam, anticipante Satana, qui ingressus fuerat in Iudam, offulæ vsum, ne Iudas adiumentum perciperet ex data à* IESV *offula. Habebat enim hæc quidem vim adiuuandi ea vsurum, sed acceperat iam semel in suum cor Iudas, vt magistrum proderet; timens ne telum in Iudam emissum aberraret, si Iudas vsus offula fuisset, anticipans, mox atque Iudas sumit offulam, ingressus est in illum, tum scilicet, cùm dixisset illi Seruator, Quod facis, fac ocyùs; accepissetq́; offulam Iudas, egressus est statim. Proinde haud absurdum in præsenti loco diceretur, quòd vt qui panem Domini comedit, vel calicem eius indignè bibit, in iudicium manducat & bibit, vna virtute præstantiori operante bonum in bono affectu supposito, panem & calicem, in affectu verò malo operante condemnationem; sic offulam à* IESV *datam eiusdem generis fuisse cum ea, quam* IESVS *dedit cæteris Apostolis, dum diceret, Accipite & comedite; sed illis quidem ad salutem, Iudæ verò ad condemnationem, ita vt post offulam ingrederetur in illum Satanas.* Offulam hinc omnibus datam vult, & esse corpus Christi. Ferè ita loquitur Cœlius Sedulius paschalis operis lib. 4.

Nec Dominum latuere doli, scelerisq́; futuri

Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat. nam corporis atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit,
Atque cibum potumq; dedit, quo perpete nunquam
Esuriant, sitiantq; animæ sine labe fideles:
Protinus in Iudam, sedes vbi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus, &c.

Post buccellam enim in eum continuò Satanas intrauit.

Sed nudè narrantes tantùm Iudam communicasse pergamus audire. Chrysostomus hom. 82. in Matth. *O ingentem impudentiam Iudæ! aderat enim ille, atque mysteriis ac mensa communicauit, & inter comedentes arguitur, quando etiamsi fera esset immanis, ad lenitatem compelli potuisset: ideo Euangelista signanter dixit, quia comedentibus ipsis de proditione loquebatur Christus, vt tum à tempore mysterij, tum à mensæ communicatione nequitiam proditoris ostenderet*. Cyrill. catechesi 13. illuminatorum: *Prodiderat Iudas improbus patrem familias, nuperq; exiens à mensa, & poculum benedictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem iusti effundere volens, qui panes eius comedebat, magnificauit super illum supplantationem. paulò antè manus benedictionẽ recipiebat, & rursus argẽto mortem proditione conciliauit*. Cyrus Prodromus l. Epigrammatum in cœnam mysticam, *Te proditor tuus, nihil timens, odit*. Eucherius Lugdunensis l. 2. in libros Regum cap. 7. *Alij Absalon Iudam traditorem accipiunt, quem tanta & tam miranda patientia Christus pertulit tanquam bonum, cùm eius cogitationes non ignoraret, eum adhibuit conuiuio, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit*. Nicephorus Callistus l. 1. Ecclesiasticæ historiæ c. 30. *Ab hoc ipso Caipha, & improbo scribarum concilio corruptus Iudas Iscariotes, & quasi morbo auaritiæ correptus, qui dicendorum tacendorumq;, ac rerum præterea omnium cum reliquis discipulis particeps à Seruatore factus fuerat, cùm alienum seipsum & expertem diuinæ gratiæ per excellentem malignitatem suam reddidisset; post lotionem ipsam, atque arcanorum sacrorum initiationem, vitalemq; ipsum panem, vnius etiam dum in potestatem inimici captus peruenit, cui se antea quoque voluntatis animiq; destinatione dederat*. Iustinianus Imperator in edicto fidei ad Ioãnem Papam II. *Iudas cùm putasset latere eum qui occulta hominum cognoscit, Sacramentis communicauit cum Apostolis*. Huc faciunt Antoninus 1. p. c. 6. tit. 5. Cosmas Hierosolymitanus in theogoniam hymno 6. Proba Falconia in Virgilio-centonibus, Victor Antiochenus in Mar. 14. B. Algerus l. 1. de Sacramento Altaris c. 2. Ioannes Ferdinandus in thesauro Scripturæ, verbo Buccella, communem ait esse Doctorum sententiam, vt & Franciscus Suares. contrà sentientes hæreseos postu-

lat Gabriel Prateolus l.9. Elenchi, §.30. ex Federico Staphylo, qui libro de Lutheranorum inter se concordia hunc in modum scribit: *Ischariotistæ sunt qui negant à Iuda Ischariote verum corpus Domini acceptum in cœna Domini. ita scribit Svvencfeldius libello de hac quæstione inscripto; & Ioannes Caluinus in vltima sua admonitione contra VVestphalum, & alibi.*

CAPVT VII.

Videri communicasse Iudam ex contextu Euangelii & ratiunculis.

EX Luca id nituntur facere, nominatim Augustinus tract. 62. in Ioan. *Iam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut S. Lucas euidentissimè narrat.* Siquidem hic ordo ac series narrationis Lucæ: *Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Accepit panem, deinde calicem, illumque communicauit cum discipulis, quando manus tradentis Iudæ adhuc erat in mensa; præsentes autem quotquot erant iubentur bibere, Matth. 26. biberuntque ex eo omnes, vt Marcus testatur.

Secundò, Sacerdos & Episcopus fuit; de illo enim Dauid psalm. 108. *Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.* quod fieri non potuit, nisi Eucharisticæ cœnæ interfuerit, vbi ille in Sacerdotem sit consecratus. Iudam autem intelligi docet Petrus Actorum 1. vbi sic ille: *Scriptum est enim in libro psalmorum, Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & episcopatum eius accipiat alter.* Loquitur autem de Iuda: *qui dux fuit eorum, qui comprehenderunt* IESVM, *qui commoratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii huius.* Confirmat Ambros. ser. 50. *Susannam pseudopresbyteri arguunt, prodit pseudoepiscopus Saluatorem: Episcopus enim & Iudas fuit.* & Author serm. ad Fratres de eremo 28. *Consummatis sacræ cœnæ Sacramentis, factis & ordinatis in eadem cœna Apostolis, Sacerdotibus communicatis.* Similia apud plurimos legere est, vt apud Antoninum 1. p. t. 6. c. 15.

CAPVT VIII.

Videri exclusum cœna Eucharistica proditorem.

FVsè prosecuti hæc sumus, ne cui priorem sententiam leuiùs excussisse videremur. plures alios admodum non putem affirmare, nisi vt numerum faciant, sed sine pondere. Alij de industria negant, & illi quidem viri auctoritate summi, maximi sanctitate, atque Apostolorum tempo-

temporibus cùm vixerint, dubio procul rei veritatem ab ijs sunt edocti. Prætereo Origenem, qui posuisse Christi sacratissimum corpus in mensa dixit, eoque ibi relicto, antequam sumeret discessisse. A Clemente Romano, à Petro tertio Pontifice, qui ab Apostolis accepit quę gerebantur, ordiemur, lib. 8. constitutionum Apostolicarum c. 13. *Cùm autem tradidisset nobis mysteria pretiosi corporis & sanguinis absente Iuda.* Succenturiatur Dionysius Areopagita Pauli auditor, vir diuinarum humanarumque rerum scientissimus, Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 3. Καθ' ὃ καὶ αὐτὸς ὁ τῶν συμβόλων δημιουργὸς, ἀποκληροῖ δικαιότατα τὸν οὐχ ὁσίως αὐτῷ, καὶ ὁμοτρόπως τὰ ἱερὰ συνδειπνήσαντα, διδάσκων ἐναγῶς τε ἅμα, καὶ θεοπρεπῶς, ὡς ἡ καθ' ἕξιν ἀληθὴς ἐπὶ τὰ θεῖα προσέλευσις τὴν πρὸς τὸ ὅμοιον αὐτῶν κοινωνίαν τοῖς προσιοῦσι χαρίζεται. *Ipse author symbolorum iustissimè subtrahit eum, qui non sanctè, neque pari morum similitudine sacra concœnauerat; probabili ac diuina ratione nos docens, veram sinceramque accessionem ad sacra accedentibus parem communionem conferre.*

Concœnauerat, scilicet Iudas, sacra, id est, pascha cum azymis & lactucis; subtrahit à cœna Dominica, sacroque suo corpore nō impertit. quid clarius? tamen vt de mente huius tibi certiùs constet, iungam interpretem græcum vtrumque, primò S. Maximum, ad illa superiùs B. Dionysij verba: ὁμοτρόπως τὰ ἱερὰ, &c. Τὸν Ἰούδαν φησὶ, καὶ σημειοῦται, ὅτι καὶ αὐτῷ μετέδωκε τοῦ μυστικοῦ ἄρτου, καὶ τοῦ ποτηρίου· τὰ δὲ μυστήρια τοῖς μαθηταῖς μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοῦ δείπνου τὸν Ἰούδαν, ὡς ἀναξίου τούτων ὄντος αὐτοῦ. id est, *Iudam intelligit, & significat quòd & ipsi impertierit mysticum panem, & poculum: mysteria verò discipulis post Iudæ à cœna discessum, quasi eorum indignus ille exstiterit.* quasi dicat: Mysticorum particeps fuit Iudas & legalium, interfuit cœnæ agni, edit, bibit in communi cœna, sed à mysterijs sacrosanctis, institutione augustissimi Sacramenti exclusus est. Ipse se explicat, vt penitiùs illius animū penetres. Ἐκ δὲ τῶν ἑξῆς, εὐλόγως ἄν τις φαίη, ὅτι μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τὸν Ἰούδαν ἐκ τοῦ δείπνου, παρέδωκεν ὁ Χριστὸς τοῖς μαθηταῖς τὸ μυστήριον. *Ex sequentibus, cum ratione quis dixerit, post Iudæ à cœna abitum Christum discipulis mysterium tradidiße.* Georgius Pachymera alter est qui ad hæc verba ἀποκληροῖ καὶ ἀποδιαστέλλει sic commentatur: καὶ αὐτῷ τοῦ μυστικοῦ ἄρτου καὶ ποτηρίου μεταδοὺς, τὰ μυστήρια μόνοις τοῖς μαθηταῖς μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἐκεῖνον ἐκ τοῦ δείπνου παρέδωκεν, ὡς ἀναξίου τούτων ὄντος τοῦ Ἰούδα. Διὰ τί τοίνυν τὸν Ἰούδαν ἀποκληροῖ τῶν θείων μυστηρίων, καὶ τόνγε συνδειπνήσαντα; πάντως διδάσκων ὡς οὐκ αὔταρκες τὸ σωματικῶς μόνον συμπαρεῖναι, καὶ συνδειπνεῖν· οὐδὲ γάρ ἐστι τοῦτο πρὸς τὴν κοινωνίαν ὅμοιον, ἀλλὰ τὸ κατὰ διάνοιαν συνεῖναι. id est, *Cum illo mysticum panem & poculum communicauit, mysteria solis discipulis eo digresso tradidit, quasi horum indigno. Quid verò causæ, cur Iudam secernat à diuinis mysteriis, quandoquidem cum*

aliis concœnauerat? prorſus vt doceat, non ſat eſſe ſolo corpore coràm eſſe, & concœnare (neque enim hoc cum communione ſimilitudinem habet:) ſed animo oportet adeſſe.

Ad Dionyſium ſcholijs in contemplationem, poſt Sacramentum recollectionis; Ioachimus Perionius; vt videas cum Græcis Latinos conſpirare: *Ex iis quæ ſequuntur, rectè aliquis dicat, Chriſtum poſteaquam à cœna Iudas ſurrexiſſet, diſcipulis tradidiſſe Sacramentum.* & paulò pòſt: *Notandum etiam eum quoque à Domino participem factum eſſe myſtici panis & calicis, myſteria autem ſiue Sacramenta data eſſe diſcipulis, cùm à cœna Iudas, vt illis indignus, ſurrexiſſet.*

Myſtica à myſterijs ſancti Patres diſcernunt, & myſtica ad agnum, ad cœnam vſualem communemque, vbi lactucæ ſilueſtres apponebantur, alta ſignificatione, planeque myſtica, vt cœna prima in morali ſenſu vidimus: myſteria autem ad auguſtiſſimam Euchariſtiam referunt, cui Iudam negant interfuiſſe. ſic Clemens lib. 8. conſtitutionum, cap. 13. *Myſteria pretioſi corporis & ſanguinis*, Maximus de myſtagogia eccleſiaſtica, Andreas Cretenſis hom. in Dominicam Palmarum.

Hilarius can. 30. in Matth. *Poſt quæ Iudas proditor indicatur, ſine quo paſcha accepto calice, & fracto pane conficitur. dignus enim æternorum Sacramentorum communione non fuerat.* Tatianus etiam Alexandrinus in harmonia euangelica Iudam exijſſe refert ante cœnam Euchariſticam, quam inſtitutam vult eo abſente.

Victor Antiochenus in Marci 14. *Sunt qui Iudam ante porrectum Euchariſtiæ Sacramentum exiuiſſe exiſtiment. Sanè Ioannes quiddam eiuſmodi ſubindicare videtur. dicunt hi, nequaquam decuiſſe, vt cædis Chriſti miniſter ſalutaris communionis ſymbolum acciperet. addunt iidem, Chriſtum æquanimiter cetera omnia toleraſſe, hoc verò tantum piaculum neutiquam permittere voluiſſe.*

Rupertus Abbas Tuitij in Ioan. 13. lib. 11. *Sciendum eſt, ſicut & ante nos dictum eſt, ſi poſt buccellam continuò Iudas exiuit, ſicut paulò pòſt Euangeliſta dicit, proculdubio nequaquam diſcipulis tunc interfuit, cùm Dominus noſter Sacramentum illis corporis & ſanguinis ſui diſtribuit,* &c. *Nec enim ante hanc cœnam paſchæ veteris Sacramentum corporis & ſanguinis ſui diſcipulis tradidit, ſed poſtquam cœnauit; quod cùm ceteri Euangeliſtæ apertiſſimè dicant, ſolus Lucas aliter dixiſſe viſus eſt.* Prolixiùs multo lib. 10. in Matth. cap. 26.

Innocentius Papa de ſacro altaris myſterio lib. 4. cap. 13. quæſtionem hanc diſcutit, cenſetque nobiſcum ſentiendum, omnino ſcilicet ab Euchariſtia traditorem excluſum.

P Zacha-

Zacharias Chryſopolitanus Epiſcopus in vnum ex quatuor, cùm harmoniam ſtruit Euangelicam lib. 4. c. 155. ſub finem Iudam oſtendit exiuiſſe continuò, id eſt, ante cœnam Euchariſticam, quam cap. 156. ſubmittit. deinde in commentario hæc addit, quibus etſi vim inferre aduerſarijs, hoc ordine nolit, ſuam tamen profert ſententiam: *Quòd verò poſt calicem datum, traditorem commemorat, prætermiſſa recapitulare videtur. probat enim Hilarius ſuper Matthæum, proditorem diſceſſiſſe, priuſquam myſterium corporis & ſanguinis à Domino diſcipulis daretur. Tunc enim bibentes calicem Domini poſtea ſecum bibituri erant in regno Patris, ad quod Iudas dignus non fuerat; bibentibus etiam, nullum excipiens, dixit: Sanguis meus effundetur pro vobis: ſed in aliis excepit, dicens, Pro multis. Verumtamen, quia ſimul potuerunt fieri, quæ ſimul dici non poſſunt, ordo huius libri nihil repugnat exiſtimantibus Dominum diſtribuiſſe Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, antequam per buccellam tinctam ſuum exprimeret traditorem.*

Franciſcus Turrianus commentario ad l. 8. Clementis Romani latè probat. placetque Sebaſtiano Barradio, qui tomo 4. l. 3. c. 3. oppoſitis rationibus facit ſatis.

CAPVT IX.

Ad Patres, qui Iudam credunt communicaſſe, reſponſio.

EQuidem fateor diſſentire à nobis, quos cap. 6. produximus; ſed ita fit in omni ſententia. nihil ita præter verum dicitur, quin aliqui ſaltem faueant: & ſæpe in rebus maximis, ſi quis familiam duxerit, habebit clientes ſuos, & qui ſubſcribant. exempla nimis quàm familiaria ſunt in omni theologia; ſed vt veritas eruatur, Patres Patribus conferendi, & momenta quibus nituntur ad rationem vocanda. Et iam vidimus collatas acies; arma, id eſt, rationes videamus. quia vt bene Rupertus lib. 10. de gloria & honore filij hominis, *Si cauſa poſtulauerit, vt in quæſtionem veniat, vtrùm Iudas adhuc in illa hora cum diſcipulis fuerit, an antè iam exierit. quis horum magis audiendus vel ſequendus erat? Is vtique cui magis opitulatur ratio ſumpta de textu euangelicæ narrationis. ſoli namque ſunt Prophetæ, & Apoſtoli, quorum de ſcripturis in aliquo dubitare nefarium ſit.*

Primi ergo Chriſti virtutem admirantur, caritatem ſcilicet, qua non ſua tantùm, ſed ſe etiam dederit traditurο. Deinde patientiam, cùm illum tulit, nec ei terram ſinit dehiſcere, ſed expectabat ſi fortè reſipiſceret.

Alij hoc agunt, vt Iudam in inuidiam odiumque magis vocent. arceſſunt

cessunt ergo ingratitudinis in optimè meritum, impietatis in Deum Optimè quidem; etsi aliæ virtutes in considerationem venire possint vt iustitia qua indignum arcuerit, misericordia qua non tulerit labi in maximum vitiorum. & offerunt se detestanda item in Iuda, insatiata cupiditas, cùm finem conuiuij præstolari non potuit, incredibilis nec ferenda simulatio, cùm dæmone plenus Apostolum mentitur, & quasi curaturus ad diem festum necessaria, vel præscripta à Christo negotia, abit ad Iudæos scelestus ac sacrilegus transfuga. Quare illi parum in nos agunt, & minùs multò Chrysostomus, & qui eum sequuntur. cùm enim buccellam traditam Iudæ corpus Christi interpretentur, multum suæ causæ præiudicant, quia *negligenter legentes*, ab Augustino serm. 28. ad Fratres in eremo, & tract. 62. in Ioan. appellantur. sic enim loquitur: *Post panem intrauit in eum Satanas, non ad hoc vt alienum tentaret, sed vt proprium possideret: non autem, vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit. intelligendum est enim quod iam omnibus distribuerat Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut S. Lucas euidentissimè narrat; atque deinde ad hoc ventum est, vbi secundùm narrationem Ioannis, apertissimè Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem; non enim omnia quæ tinguntur abluuntur, sed vt inficiantur nonnulla tinguntur.* Negat perspicuè corpus Christi hanc buccellam fuisse, postea quod de Luca dicit, ex illo haberi buccellam datam post Vener. Eucharistiam institutam, sequenti capite pluribus discutietur.

Rupertus in Ioan. 13. l. 11. *Nec vel ille panis intinctus, corpus eius fuit, vel ille catinus in quo traditor manum cum illo intingebat, calix sanguinis eius extitit.* Iulius Papa: *Aliud est corpus Christi, aliud buccella, cuius intinctio hypocrisin Iudæ significat.* Concilium Bracarense 3. cap. 2. *Intinctum panem aliis Christum præbuisse nō legimus, excepto tamē illo discipulo, quē intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ huius Sacramēti institutionē signaret.*

Accedunt alij, qui purum putum panem nominant. Augustin. tract. 62. in Ioan. *Adhuc Iudæ possessio non à Domino, sed à diabolo, cùm homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem, adhuc inquam, tanti mali iam corde concepti plenus restabat effectus, cuius iam præcesserat damnandus affectus, cùm Dominus panis viuus panem mortuo tradidisset, & panem tradendo panis traditorem ostendisset.* Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 4. in Euangelia: *Ideo accepta buccella legitur quòd Satanas in Iudæ pectus intrauit, quia sicut antidoto fugatur venenum, ita dato pane apparuit Satanas in Iuda, in quo dum furaretur, latebat.*

CAPVT X.

Soluuntur argumenta ex Scriptura & ratione.

LVcæ ordinem Augustinus hîc secutus est, ceterorum Euangelistarum, alij qui nobiscum faciunt; & vtrique aliter quidem, non aliud tamen dicunt. Posteriores, consensus Euágelistarum maiorem rationem habuerunt, quàm ordinis ab vno structi. Liquidò constabit penitiùs intuenti. IESVS enim *accepto pane gratias egit, fregit, & dedit eis; dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. similiter & calicem ita determinauit, vt diceret, postquam cœnauit; ergo & post verba hæc: Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa: quia sicut iam dictum est, secundùm alios Euangelistas hæc verba dixit, non postquam cœnauit, sed quando cœnauit, & de cœna ipsa buccellam intinctam Iudæ porrexit, qui & sicut Ioannes refert, continuò exiuit.* Commodam Ticonij regulam ex Augustino Rupertus adfert, quam recapitulationem vocari vult; hac quasi claui, occulta obscuraque Scripturarum illustrantur. Ea autem hæc est. Quædam dicuntur quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cùm ad priora, quæ prætermissa fuerant, latenter narratio reuocetur. Exempli gratia, *In Genesi scriptum est* (cap. 2.) *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. statimq; sequitur: Produxitq; Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali. Hoc igitur videtur dictum, tanquam id factum sit, postquam factum posuit Deus hominem in paradiso; cùm breuiter vtroque commemorato, scilicet, & quòd plantauerat Dominus Deus paradisum, & quòd in eo posuit hominem quem formauerat, recapitulando redeat, & dicat quod prætermiserat, videlicet quomodo plantatus fuerat paradisus.* Idque *sæpe fit in sacra Scriptura, vt quod priùs factum fuerat, posteriùs enarretur: sicut Matthæus commemorat, biduo ante pascha alabastrum vnguenti, quod secundùm Ioannem ante sex dies paschæ mulier effudit in domo Simonis leprosi.* Ita Innocentius l. 4. c. 13. Et aliud exemplum producit Zacharias suprà citatus ex hoc ipso Lucæ capite: *Lucas de calice præoccupauit ante benedictionem panis, & postea repetendo ordinauit aliorum ordine.*

Ratio autem quæ Lucam mouerit singularem ordinem tenendi, hæc erat; quia cœnas ille non distinxit, paschæ quidem meminit, sed subiunxit illicò Vener. Eucharistiæ institutionem.

Deinde si Lucæ ordinem sequeris, eumque censes secundùm tem-

pus

pus esse; quid ad Innocentium respondeas lib. 4. mysteriorum Missæ, cap. 13. sic ex Matthæo argumentantem? *Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Neminem excipit, præsentes omnes compellat; debebit ergo cum Christo Iudas bibere in regno Patris, vel certè Christus non est bibiturus.

Ad alterum de Iudæ episcopatu, sic habeto, concedere nos Episcopum Iudam fuisse, sed non insignitum ordine, verùm Apostolum tantùm. sicque quod Actorum 1. dicitur ex psalmo 108. *Et episcopatum eius accipiat alter*; de apostolatu intellige, & designatione ad perfectum episcopatus ordinem, quem ille, nisi defecisset, quàm mox fuerat consecuturus.

CAPVT XI.

An Christus, & Virgo mater communicarint?

Δωδεκάθεα cœna, qualis olim heroum apud Augustũ. sic Ecclesia in hymno: *Cibũ turbæ fratrum duodenæ se dat suis manibus.* supposuit se Iudæ, & se sibi impertijt. Basilius in anaphora de calice loquens, *Benedixit, sanctificauit ac gustauit, & diuisit discipulis suis.* Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illius, dicerent; Quid ergo sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur. nam cùm priùs de his loqueretur, multi ob verba solùm scandalum sunt passi: ne igitur id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationẽ mysteriorum induceret.* Hieronymus ad Hedibiam. q. 2. *Dominus* IESVS CHRISTVS *ipse conuiua, & conuiuium; ipse comedens, & qui comeditur.* Confirmat id Hesychius in c. 8. Leuit. à ratione sacrificij & conuiuij; vbi comedit bibitque vnà qui alios inuitat: sacrificans autem in partem venit sacrificij, vt ex Leuitici 6. & 7. colliges. Cyrus Prodromus lib. Epigrammatum: *Offers sacrificium: quod offers ipse edis: Frãgisq; panem panis, & calix bibis. Vtrumque es & sacrificus, & sacrificium.*

Accedit Anastasius Sinaita li. 11. anagogicarum contemplationum in hexameron, sub finem, distinctionem instituens inter panem communem qui ex terra est, & cælestem, qui eius est sacratissimum corpus. *Aliter*, inquit, *illa consumit Christus, nempe ea delens, & penitus interimens, & aliter proprium panem comedit sacratissimi sui corporis, eum expurgans, & comminuens, & deificans, & interitui non obnoxium reddens, & renouans etiam ex ipsa vnione.* & Antoninus 1. p. c. 6. t. 5. §. 2. *Facta consecratione & ipse Sacramentum sumpsit.*

Quæres, quo fine & fructu communicarit? Resp. Affectu maximo caritatis, & deuotione incredibili, gratia verò nulla ei accessit, quòd ea esset plenissimus, mirè tamen sumptione recreabatur. Finis, mysterium erat & exemplum, vtque nobis gratiam mereretur, vt alijs operibus, verbi gratia, baptismo fecerat. ita Antoninus suprà, *Non quòd egeret*, inquit, *vel nouum effectum gratiæ ex eo susciperet, sed vt exemplum illud accipiendi nobis præberet.*

Gloriosam Dei parentem Viguerius Cardinalis communicasse putat. Idem sentit Didacus de la Vega concionum quadragesimalium concione 1. feriæ sextæ hebdomadæ sanctæ; sed tamen ait ille, non debuisse ei lauari pedes à Christo, decachordi Christiani chorda 7. c.29. & quia vir fuit pientissimus, rationes omnes quas potest congerit prioribus capitibus aliquot. Primùm, argumentum ab auctoritate negatiua nullum esse; Euangelistæ dicunt Christum cum duodecim recubuisse, ergo plures non fuerunt. Non expresserunt nomen Virginis, quia nimis quàm notum erat, illa absente sacram cœnam filium cœnare noluisse. Quis canonicorum scriptorum memoriæ prodidit beatæ Matri à resurrectione primæ apparuisse? tamen id constanter Catholici Doctores asserunt. Secundò, desiderauit manducare pascha cum discipulis suis, non desiderauerit matrem, matrem inquam, à qua plus habuit, quàm à parente filius habere possit, ex cuius vnius purissimo sanguine conceptus fuit? matri, à qua cùm corpus habuerit, cur non reddat? Honorem matri debet filius, Mariæ IESVS exhibuerit: profecto. Adam sociam contristare noluit, ideò comedit imprudens, quod illa porrexit; matrem in dolore esse noluerit, eam cum discipulis participem fecerit cœnæ, &c. Quæ argumenta à summa pietate sumpta, si vim habent, etiam facerent B. Virginem absque mœrore doloreque vitam transegisse, etiam patiente filio. Cúrnam illi malè sit cui Deus voluerit esse optimè, & præstare potuerit, quod voluit? quid illa demerita est? Deinde hanc sequeretur sacerdotij & episcopatus dignitate donatam fuisse. Petro, Thomæ, negaturo & futuro incredulo eam contulit, negarit matri carissimæ cui omnia quæ dedit, cùm dedit, adhuc manet obstrictus, vt B. Methodius loquitur. Laudandus animus, & sancta propensio in sacratissimam Mariam; res ipsa non debet. Ratio. Qui enim consecrationi interfuere consecrati sunt Sacerdotes, Episcopi, &c. hoc Virginis sexum non decebat. Christi amor ex ratione fuit, quæ dissuadebat Christo ne conferret, & matri ne desideraret. Potuit tamen accidisse, quod Sebastiano Barradio tomo 4. Commentariorum lib. 1. cap. 17. placuit,

nempe

nempe ſanctam Virginem matrem quaſi ſeorſim gynæceium inſtituiſſe diuerſo in cubiculo, etſi iiſdem in ædibus, ibique per Petrum à Chriſto miſſam Vener. Euchariſtiam, cum ſequacibus mulieribus ſuſcepiſſe. Et de Petro quidem Vener. Euchariſtiam deferente, nouum eſt, nec qui dicat, memini me legere: de Virgine autem Deipara ſeparatim cœnante cum mulieribus, agnumque paſchalem edente, ſatis clarè Metaphraſtes docet oratione de vita Deiparæ, extatque apud Surium 25. Auguſti.

CAPVT XII.

Quibus cæremoniis, ritu, ſitu communio olim percepta?

INuitat diſcipulos, vt de ſacroſancto corpore participent; debebant enim parati eſſe qui ſe ad eſum agni non veteris, non mortui, ſed viuentis, & cum Patre regnantis Filij Dei comparabant. Chriſti vicem poſtea Diaconi functi ſunt, qui proclamabant *Sancta ſanctis*, vt apud Clementem eſt l. 8. conſtitutionum, cap. 13.

In Oriente, vt Curopalates de Eccleſiaſticis officijs quinario 5. erat ὁ ἄρχων τῶν ἀντιμινσίων εἰσάγων τοὺς εἰσερχομένους εἰς τὴν ἁγίαν μετάληψιν, *præfectus antecessui menſæ, adducens eos qui erant venturi ad ſacram communionem.* ὁ ἄρχων Curopalatæ etiam ἀντικένσωρ eſt, qui ἀντιμινσίους antemenſales, qui ad ſacram ſynaxin primùm recipiebantur, ſolebat, poſtquam ante ſanctam menſam eccleſiæ ſe ſtitiſſent, præcedere ad communionem, vt palàm teſtatum faceret, illos ſuos comites in vnum corpus cum Chriſto & Eccleſia coaluiſſe.

In Miſſa S. Marci, Sacerdos ipſe proclamat *Sancta ſanctis.* addit Nicolaus Cabaſilas expoſitione Liturgiæ, cap. 36. ea verba proferre eleuata hoſtia: tum, vt cap. 37. aqua calida in calicem iniecta Sacerdos, quique eiuſdem ordinis, communicant, inde ad populum conuerſus oſtenſis Sanctis, vocat eos qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei, & fide, & tum præit ipſe: *Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus, & apparuit nobis.* Populus ſubſequitur, & communicat, poſtea Sacerdos cap. 40. oratione benedicit: *Serua Deus populum tuum, & benedic hæreditati tuæ.* Et cantu quidem id fiebat. Cyrillus catecheſi 5. *Audiſtis deinceps diuina melodia pſallentem, atque ad ſacrorum myſteriorum communionem vos adhortantem, guſtate & videte quòd Chriſtus eſt Deus?*

Qui verò accedunt, componere ſe debent, vt maieſtati ſummæ reuerenter placeant. Primò quidem *placendum diuinis oculis etiam habitu* *Loti.*

habitu corporis, monet Cyprianus expoſitione in orationem Dominicam.

Ideoque Dionyſius Alexandrinus ad Baſilidem cano. 2. apud Photium nomocanone, *Ad ſancta Sanctorum, qui animo & corpore purus non eſt, accedere prohibetur.* Lauabant ſe ergo vt puri eſſent. Exemplum narrat Dorotheus doctrina 9. de fratre quodam admodum laborante ſuſpicionibus, qui *tempore ſuccreſcente malo, ita eſt dæmonum inſtitutione deceptus, vt caſu hortum ingreſſus ad eum de more cuſtodiendum, videre videretur fratrem ſurripientem ficus, & comedentem; erat autem paraſceue, horaq́; nondum ſecunda. Vt verò ſibi ipſi perſuaſit, quòd rem verè, non phantaſticè vidiſſet; egreſſus cum ſilentio obſeruabat denuò horam, vt videret, quidnam ageret frater ille in communione, qui paulò antè ſurripuiſſe ficus & comediſſe viſus erat. Vt verò hunc vidit manus lauantem, & ſeſe ad communionem percipiendam præparantem, accurrit ad Abbatem, rogatq́; vt fratrem à ſacra communione prohibeat, quem manè ficus ex horto vidiſſet ſurripuiſſe & comediſſe. Interea ingreditur frater ille cum ſumma deuotione, & compunctione ad ſanctiſſimam oblationem. Quem cùm vidit Abbas, priuſquam presbytero, à quo communicandus erat, propior fieret, euocauit ad ſe, & ſecretò illum alloquens percunctabatur, quidnam illo die feciſſet? Expauit ſimplex hic ſubita interrogatione, maximè verò inhorruit vt rem omnem ex Abbate cognouit. reſpondet eo die hortum ſeſe non vidiſſe, imò ipſo mane non fuiſſe in cœnobio, emiſſum foras ad neceſſaria monaſterij ab œconomo: diſtabat autem locus multis milliaribus vnde venerat ille ipſa hora. Vocatus œconomus omnia confeſſus eſt, & veniam popoſcit, quòd hoc ipſo inſcio feciſſet, ne ſcilicet eum à ſtudiis & vigiliis diſturbaret. Perſuaſus, & credens omnino his Abbas, cum benedictione miſit ad communionem; vocatoq́; fratre altero qui ſuſpicionibus ſuis agitabatur, illum acriter increpauit, & ſacra communione prohibuit.* Ex quo diſcimus, lotionem ſignum communionis, & fratrem impediendum fuiſſe ſi ieiunus non fuiſſet.

Ieiuni. Ieiuni ergo pariter vt ſint requiritur. Petrus Bleſenſis ſermone 13. Sacerdotum *miniſterium eſt diſpenſare corpus Chriſti, & ſanguinem Domini accedentibus poſt ieiunium.* quod antiquum in Eccleſia eſt. Tertullianus lib. 2. ad vxorem, cap. 5. *Non ſciat maritus, quid ante omnem cibum guſtes.* Iſidorus lib. 1. de officijs Eccleſiaſticis cap. 18. traditionem Apoſtolicam vult eſſe: *Placuit Spiritui ſancto per Apoſtolos, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus, quàm ceteri cibi, intraret, & ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.* De S. Theodoro Siceorum Archimandrita adhuc puero Georgius presbyter: *Ad veſperam vſque ieiunus in ludo litterario manebat, & veſperi cùm eſſet domi ſuæ, ad*

eccleſias

ecclesias cum viro pio Stephano se conferebat, & precationibus incumbens, Christi corpus & sanguinem percipiebat, atque ita domum reuertens, nihil aliud nisi panis frusta & aquam sumebat.

Tam exacti in hoc erant, vt *post cibum, vel potum, quantumuis minimum*, Toletanum 7. cap. 2. neget communionem. Ex Bracharensi 2. cap. 10. habemus, innocentibus quarta vel quinta feria eam non dandam nisi ieiunis; quam consuetudinem Carthaginense 3. c. 48. in Concilio Niceno probatam asserit.

Contrà quidam in Matisconensi 2. in Gallijs, qui feriam quintam ante Parasceuen excipiebant: *Sacramenta altaris nonnisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacrario superséderint, quarta vel sexta feria, innocentes ab illo, cuius interest, ad ecclesiam adducantur, & indicto eis ieiunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Et qui apud Walafridum Strabonem de rebus Ecclesiasticis cap. 19. ex Concilio Africano cap. 8. anniuersario die quo cœna Domini celebratur, *post prandium communicandum esse censebant, quia Dominus post legalis paschæ cœnam noui testamenti Sacramenta legitur discipulis tradidisse. Alij verò secta quadam singulari, non semel in anno, sicut superiores, sed crebriùs ante Sacramentorum perceptionem cibis corporalibus refici debere iudicantes, post prandia & plenitudinem stomachi, quasi confirmatis sacris rebus necessitate corporea communicabant, vt testatur Socrates in historia sua Ecclesiastica*, lib. 9. c. 38. *vbi de diuersis Ecclesiarum consuetudinibus faciens mentionem, post multas ieiuniorum & solemnitatum varietates, hæc inter cætera ponit.*

Verùm de ieiunio communioni præmittendo traditionem esse præter Concilia, & dictos Patres vnà adstruunt Nazianzenus orat. 40. de baptismo, Basilius ad Cæsaream Patritiam, Cyprianus epistola 63. Ambrosius serm. 8. in psal. 118. Epiphanius lib. 3. contra hæreses. Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum, cap. 87. vindictæ Dei meminit in sacerdotem temerarium, qui non timuit non ieiunus celebrare: *Epachius*, ait, *dum temerè qui indignus erat, agere præsumpsisset, diuino iudicio solo proiectus occubuit. Hic enim dum Dominici Natalis vigilias celebrare Ecclesiam expetisset, per singula horarum momenta egrediebatur è templo Dei, ac in domo sua pocula lasciua spumantibus pateris hauriebat, ita vt affirmarent multi eum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentem. Sed cùm esset ex genere senatorio, & nullus in vico illo Ricomagensi iuxta sæculi dignitatem, haberetur nobilior, celebrare Missarum solemnia expetitur. Nec dubitabat miser vino madefactus appetere, quod ieiunus quisque non sine*

metu potest terrente conscientia explicare. Verùm vbi explicitis verbis sacris, confracto Dominici corporis Sacramento, & ipse sumpsit, & aliis distribuit ad edendum, mox equini hinnitus admodum vocem emittens, ad terram ruit, ac spumas cum ipsa mysterij sacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore proiiciens, inter manus suorum ab Ecclesia deportatur. Nec caruit vltrà hac epilepsiæ infirmitate, sed per singulos lunares cursus incrementis decrementisq; hæc semper pertulit, quia ab haustu nimio vini minimè infelix abstinuit.

Reuerenti situ & cura.

Reuerentia requiritur in situ & corporis positione. Damascenus 4. Fidei orthodoxæ cap. 14. *Ipsum omni puritate colamus, hoc est, & spirituali & corporea; siquidem duplex ipse est: ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusq; in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis & labiis & frontibus impositis, diuini carbonis participes efficiamur, vt ignis desiderij in nobis insiti, assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret*, &c.

Sexta Synodo can. 1. præscribitur, quod Damascenus innuerat, nempe vt *antequam fiat communio, Eucharistiam percepturus, manus in crucis signum figurans accedat, & gratiæ communionem accipiat.* Idque exprimitur Rothomagensi Concilio, cap. 2. vbi iubentur manus in crucis figuram ponere, & transuersarias eas habere; iisque excipiebant S. Eucharistiam. Sexta Synodus can. 101. *Si quis voluerit synaxis tempore communicari purissimo Christi corpore, manus in crucis formam figurans, sic adeat & suscipiat gratiæ communionem. Eos enim qui pro manu vascula quædam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem diuini doni, & per illa immaculatam communionem volunt, nullo modo admittimus, vt qui præferant materiem inanimem homini, Dei imagini.* Vide Dionysium Alexandrinum epist. 5. ad Pium, & Nicephorum l. 6. historiæ, cap. 9.

Curam quam adhibere deceat, docet Cyrillus catechesi 5. *Accedens ad sacram communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subiiciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis, tum sacri corporis contactu, communica. Caue autem ne quid inde excidat tibi: quod enim amittis, hoc tanquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nónne magna cum diligentia illa teneres, cauens ne quid ex illis periret, damnumq; ex iis sustineres? Et non multò magis & diligentiùs de hoc quod auro gemmisq; pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis? Tum verò post communionem corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis ipsius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum & venerationis, dicens, Amen. Sanctificeris eo sanguine*

Christi

Christi quem assumis; & dum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. Postremò, expleta oratione, Deo gratias age, qui te tantis mysteriis dignum reddidit. Retinete has traditiones, & sine vllius offendiculo vosmet seruate, atque à communione vos non præcidatis, neque propter inquinamentum peccati sacris hisce spiritualibusq; mysteriis vos ipsos priuetis.

Viris hæc dicit Cyrillus, quia feminæ Christi corpus Dominicali excipiebant. Augustinus linteamina vocauit serm.152. de tempore: *Omnes viri quando communicare desiderant, lauant manus; omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant.* Concilium Antisiodorense sub Aunachario Episcopo tempore Gregorij Magni can. 36. prohibet mulieri nuda manu Vener. Eucharistiam sumere, & canone 42. mandat vt *quæque mulier habeat Dominicalem suum, aliàs non communicet.*

Viri ergo suis ipsi manibus, sed puris corpus Christi magna veneratione excipiebant, easque quasi pro consecratis habebāt, vt nefas esset eas polluere. Ideo Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulianum apostatam, quem vt docuit publicè solemniterque à fide desciuisse, exaggerat manibus, quibus sacratissimum Christi corpus acceperat, abusum, *Victimas igitur cecidit, earumq; sanguine sacrum baptismi signaculum delere se posse credidit; manus eodem abluit, quibus sacram Eucharistiam, ori eam admoturus, acceperat.* Illustres manus vocat B. Cyprianus serm. 5. de lapsis: *Illustres manus, quæ non nisi diuinis operibus assueuerant, sacrificiis sacrilegis restiterunt: sanctificata ora cælestibus cibis, post corpus & sanguinem Domini, profana contagia, & idolorum reliquias respuerunt.*

CAPVT XIII.

Quis porrigere sacram Eucharistiam solitus?

STephanus Eduensis de Sacramento altaris, c.16. à cœna Christi sumit exordium: *Cùm Dominus*, inquit, *discipulis suis dixisset, Accipite, & manducate, quæritur si acceperint, & sibi ministrauerint? Ad hoc dicamus, quia qui ministrare venit & non ministrari; & qui consecrauit, ipse ministrauit; nec est intelligendum quòd ex manibus eius acciperent, & sibi ministrarent; sed Dominus de manu sua ministrauit, & manducare præcepit.*

Origenes tamen, vt audiuimus, Iudam dicit sumpsisse in manus; & ratio id suadet: mensa enim quadrata interposita non sinebat vltimum discumbentium ore à Christo ex capite mensæ sacrum corpus sumere, ministrauerit ergo, & porrexerit singulis, illique manu exceperint. Inde consuetudinem antiqui duxerint fortasse, sacram Eucharistiam

ſtiam laicis manibus ſumendi. Hoc habes Baſilij æuo, cùm ipſe ad Cæſaream Patritiam ſic ſcribit apud Anaſtaſium Nicenum q. 7. in Scripturam: *Neceſſe habere aliquem, ſi non adſit ſacerdos, communionem propria manu ſumere, ac minimè eſſe graue, eſt ſuperuacaneum oſtendere, quod longa conſuetudine per res ipſas probatur. Omnes enim qui ſunt in deſertis monachi, vbi non eſt ſacerdos, illic habentes communionem ex ſeipſis eam ſumunt: Alexandriæ autem & in Aegypto vnuſquiſque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habet communionem domi ſuæ. Nam cùm ſacerdos ſemel confecerit hoſtiam, & dederit, eam accipiens & communicans, tanquam à ſacerdote ſumptam participare ſe debet credere. Etenim in eccleſia ſacerdos tradit particulam, & cum omni poteſtate eam tenet qui accipit, & ſic ſua manu ad os eam adducit, idem eſt ergo poteſtate, ſiue quiſpiam vnam particulam acceperit à ſacerdote, ſiue multas.* Apud Metaphraſtem 10. Nouemb. Simeoni Anachoretæ venator quidam retulit, qui ex Creta Naxum conceſſerat, vidiſſe ſe in templo prope altare lupinos macerari aqua, indeque conieciſſe aliquem ibi agere; ad dexteram ſacræ menſæ quaſi ſubtegmen aliquod aut tela araneæ agitabatur vento: cùm iam pararet accedere propiùs, vocem audiuit, Siſte gradum, nec vltrà progrediaris, ô homo: erubeſco enim nuda conſpici. ſtatim ille inhorruit. illa verò, Iace, inquit, veſtem & tecta loquar. ita fit, ſed primùm ad Orientem verſa Deum alloquitur, & de ſe quod erat, eloquitur. E Methyma Lesbiæ, inquit, ſum, & Theoctiſtæ mihi nomen. infantula parentibus orba aggregata ſum virginibus; & octodecim iam annorum paſchalibus ferijs in vicum proximum vrbi excurri, ſalutatura ſororem. tum Nyſiris dux ibi prædam nocte egit, & omnes vnà ſecum abegit, me inter alias, ſed euaſi Dei nutu, & annos hîc quinque ſupra triginta ago. Hoc modò te rogo, quando de me omnia edixi, ne nega. ſequenti anno venturus es in hanc inſulam, tum peto, vt in vaſe mundo mihi accipias vnum ex intemeratis donis corporis Domini noſtri Iesv Chriſti. Exacto tempore redijt, acceptaque in pyxide parte diuinæ carnis, eam tulit ad beatam. vtque eam vidit, pronus in terra venerabatur. Et illa, ne homo id feceris, diuinum donum afferens, ne vras miſeram, diuina dedecore afficiens; & apprehenſum tunica leuauit. ille è ſinu eduxit pyxidem cum carne Domini: cùm illa autem in terram cecidiſſet, diuinum donum accepit, & lacrymis ſuffuſa, Nunc, ait, dimittis ancillam tuam Domine, quoniam *viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Et breui emigrauit è vita. Contigit hæc res ſub annum 900. tam diu hîc mos communicandi tenuit.

Subditi ab Epiſcopo libentes ſumebant. Euſtachius in S. Eutychio

Epiſcopo

Episcopo Constantinopolitano. Qui mortuo Ioanne intruso in locum suum ad sedem reuocatus, *cùm videret populum Christi pastoris sui studiosum, & sine interpellatione gratias agentem Deo, precatus est eum vt bonis ipsius esset remunerator: atque ita cum vniuerso populo fideli in sanctam magnam Dei ecclesiam ingressus est, non sine labore tamen, tanquam in regnum Dei, cùm magna premeret multitudo, quæ diuinum templum occuparat. cumq́ in montem editum, vt Moses olim in monte Sinai, adscendisset, sublatis ad Deum manibus, populi preces & supplicationes cælesti Deo & Patri offerre, Deiq́ misericordiam ad populum deducere videbatur. Neque enim aliud propter populi multitudinem fieri poterat, tonitrus enim & buccinæ progredientes, id est, aptæ diuinorum oraculorum lectiones clariùs & vehementiùs pronuntiatæ, cum timore, & magna compunctione peragebantur. Quid tum? diuina caligo cooperuit altare, super quo cùm incruentum sacrificium obtulisset, fideli populo distribuit; quæ quidem distributio ab hora tertia ad nonam vsque perducta est, cùm omnes percipere vellent communionem: quoties enim distribuebat, omnes ad eum sine cessatione concurrebant.*

Sacerdos alter alteri administrabat, idque sæpe in vicem. Nicephorus lib. 14. cap. 15. *Quo tempore Domnus sacras Antiochenæ vrbis habenas tenuit, cùm ad Simeonem, puta Stiliten, venisset, totus consternatus est, & cum eo mystico arcanoq́ congressu conuenire exoptauit: conueneruntq́ ideò ambo, & sacrificio immaculato atque incruento peracto, alter alteri mysticam communionem porrexit.* Diacones presbyteris, sed hoc Ecclesiæ displicuit, vetitumque Nicena Synodo: *Peruenit ad sanctum magnumq́ Concilium, quòd in locis quibusdam & ciuitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant.*

Angeli id ministerij non semel obiuere. Octauianus de Martinis, oratione coram Sixto IV. in Consistorio, refert B. Bonauenturam, cùm adhuc in minoribus ageret, ex reuerentia ne iudicium sibi manducaret & biberet, pluribus diebus Vener. Eucharistia abstinuisse; & Deo tanta demissio cordi fuit. nam particulam consecratæ hostiæ per Angelum de manu celebrantis beato eius ori immisit. Rarum est de B. Stanislao à Costka de Societate Iesu, de quo hæc Franciscus Sacchinus in vita: *Mensis December erat, ac paucis ante morbum diebus in Barbaræ sanctæ vita, quam solemnia eius celebraturus legebat; scriptum fortè repererat: qui sese ei virgini commendarent, eam non passuram, vt sine supremis diuinorum mysteriorum præsidiis è vita concederent. Quo loco haud paulo magis, quàm si thesaurum inuenisset amplissimum, lætus, vt tanti beneficij se quo-*

que patrona sua facere participem vellet, precibus, Sacramentisq; Pœnitentiæ atque Eucharistiæ ad eam rem susceptis institerat. Hoc igitur in præsentia secum studiosè reputans, cælesti plenus fiducia, in tanta sua necessitate ac solitudine vt sui memor sit, benignissimam martyrem rogat: venisse illud tempus quo præcipuè eius ope ac beneficio indigeret. Ecce autem singulare donum, paucisq; concessum, nocte intempesta ipsa apparet S. Barbara, duoq; Angeli in claro lumine, sacrosanctam afferentes hostiam: qui cùm ad lectulum accessissent famelici ægri, reuerenter ei porrexerunt, atque ipse summa primò cum animi demissione veneratus, pari deinde cum gaudio Deum cordis sui parentem, & arbitrum vitæ salutisq; suæ suscepit.

Imò Christus. Sic Stephanus Iuliacus docet in vita S. Coletæ c. 43. B. huic virgini ardens desiderium incesserat communicandi, idque confessario indicarat, qui non aduerterat omnino se rogari; hærebat tamen, nec redire audebat ad virginem, ne orantem interpellaret. dissimulauit igitur; sed ad communionem cùm peruenisset, audiuit eam lachrymis perfundi, vt solebat, communicatura cùm esset; à sacro ergo quærit, quid fuerit, quid suspiria sibi voluerint? humiliter respondit, Dominum IESVM suis manibus sibi pretiosissimũ corpus obtulisse.

CAPVT XIV.

Ordo ac series in communione.

SYntaxis in synaxi erat, ordinem seruabant vt confusio omnis tolleretur. In Missa D. Iacobi fratris Domini *dicit Diaconus, Domine benedic. Sacerdos, Dominus benedicet, & dignos nos faciet, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem, & imponamus in ora fidelium ad purgationem, & renouationem animarum ipsorum, & corporum, nunc & semper. Deinde quod sequitur: Gustate, & videte, quòd benignus est Dominus, qui in partes distributus, ac non diuisus, & fidelibus impertitus, nec consumptus est, in remissionem peccatorum, & vitam æternam, nunc & semper, & in sæcula,* &c. Postea Sacerdos communicat, deinde impertit clero, ac deinde populo. *Cùm autem attollunt Diaconi discos & calices ad impertiendum populo, Diaconus ait, tollens primum discum, Domine benedic. Sacerdos respondet: Gloria Deo, qui sanctificauit & sanctificat nos omnes. Diaconus ait: Exaltare supra cælos, & supra terram vniuersam; gloria tua, & regnum tuum permanet in sæcula sæculorum. Et cùm Diaconus depositurus est in mensulam, ait Sacerdos: Benedictum nomen Domini Dei nostri in sæcula. Diaconus: Cum timore Dei & fide ac dilectione accedite. Populus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et rursum cùm attollit discum de mensula, ait, Domine benedic. Sacerdos: Serua Deus populum*

populum tuum, & benedic hæreditati tuæ. Sacerdos rursus: Gloria Deo nostro qui sanctificauit nos omnes. Et cùm deponit calicem super sanctam mensam, Sacerdos dicit: Sit nomen Domini benedictum in sæcula sæculorum. Tum ab omnibus Deo gratiæ referuntur. Liturgia verò Marci ita habet: *Sacerdos cruce signat populum elata voce: Dominus cum omnibus. Hinc frangit Sacerdos panes, & dicit: Laudate Deum. panem in frusta secat Sacerdos dicens assistentibus, Dominus benedicat, & vobiscum ministret per magnam,* &c. *Hinc Sacerdos dicit: Iubete. Clerus: Spiritus sanctus iubeat, & sanctificet. Sacerdos: Ecce sanctificata sunt & consecrata. Clerus: Vnus pater sanctus; ter, & dicit Sacerdos, Dominus cum omnibus. Clerus: Et cum spiritu tuo. Sacerdos dicit: Ipse benedixit eis. Huic participat Sacerdos Euchites, seu orator, pro humanitate alius. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, & cùm distribuit clero dicit: Corpus sanctum; & ad calicem dicit, Sanguis pretiosus Domini & Dei, & Seruatoris nostri.* In Missa Æthiopica primùm sacerdos communicat de corpore & sanguine Domini, tum ex eadem hostia ministris sacrificij impertit, dicens, *Hoc est corpus sanctum, honoratum, & vitale,* &c. Denique Diaconus dicit, *Orate pro nobis, & pro omnibus populis Christianis, & illorum memoriam facite, qui nobis dixerunt, vt sui recordemur, laudate, & psallite cum pace & amore Iesu Christi. Hoc loco dum ministratur Sacramentum populo, psallunt docti aliqua carmina in honorem Sacramenti, & Sanctorum, quorum festa celebrantur, composita, quæ populus reiterat canendo.* tum sequitur bonum votum Sacerdotis, & Diaconi gratiarum actio. Apud Alcuinum Flaccum in feria quinta cœnæ Domini, post Agnus Dei, *Communicat Pontifex solus, & redit ad sedem suam, & sequitur ad communionem; Dominus Iesus postquam cœnauit. Psalmus: Beati immaculati, ad repetendum quantum necesse erit. Iterum communicat clerus seu omnis populus.*

Alia alibi lex fuit, addita, dempta, mutata pro loco, tempore, & opportunitatibus, vt in Hispanijs Rex Reccaredus in Synodo Toletana 3. tom. 2. Concil. statuit dici symbolum Apostolicum. *Hoc adhuc,* inquit, *necessariò pro firmitate fidei Catholicæ nostra decreuit auctoritas, vt propter roborandam gentis nostræ nouellam confessionem, omnes Hispaniarum & Galliciæ Ecclesiæ hanc regulam seruent; vt omni sacrificii tempore ante communicationem corporis Christi & sanguinis, iuxta Orientalium partium morem, vnanimiter clara voce, sacratissimum fidei recenseant symbolum, vt primùm populi, quam credulitatem teneant, fateantur, & sic corda fide purificata, ad Christi corpus & sanguinem percipiendum exhibeant.* Et Græci apud Diuum Seuerum Patriarcham Alexandrinum libro de ritibus baptismi: *Eleuant baptizatos ad altare, eisq; dant mysteria, Eucharistiam, & sertis coronat eos Sacerdos, atque hanc precationem dicit; O Deus,* &c.

Quia

Quia autem Græcorum meminimus, addam quæ Humbertus Cardinalis lib. de azymo eis obiicit, vt videas δυσβουλίαν, quam Neptunus Athenienſibus immiſit, ἐπιχώριον eſſe vniuerſæ genti. Sacrum panem in calice intritum ſumebant, diuidebantque, vt probat ex literis Epiſcopi Hieroſolymitani, ſacram oblationem lancea ferrea in formam crucis; deinde eandem tondebant in coronulæ modum, & multa inſulſa alia, quæ ſuperſedeo narrare, fortè à B. Seuero lib. de ordine oblationis myſteriorum putarunt ſe habuiſſe, vbi hæc habentur; quòd ſacerdos *quando miſcet calicem dicit, Dominus noſter* IESVS *Chriſtus crucifixus eſt inter latrones in Ieruſalem, & lancea confoſſus eſt in latere ſuo, & ex eo defluxerunt ſanguis & aqua, quiq; vidit teſtatur, ac ſcimus verax eſſe eius teſtimonium.* Putaruntque, quia frequens lanceæ mentio in Orientali Eccleſia eſt, eius vſum ad Chriſti corporis diuiſionem pertinere, vt olim in cruce ſacrum latus fidit; ſed lancea hæc apud antiquos cochlear erat, quo ſacer ſanguis ſine effundendi periculo in communicantium ora immittebatur. Clarè hoc canon vniuerſalis ſeu Miſſa Æthiopica. *Oratio ſuper cochlear, per quod lancea crucis ſignatur. Domine Deus noſter, qui Iſaiæ Prophetæ, & famulo, vt cerneret Seraphim, carbonem ignitum de ſacrificio forcipe ſuſcipientem, & labia eius mundantem, concedere dignatus es; ſic Pater omnipotens Dominus noſter, & Deus noſter continens omnia, concede, vt manus tuæ ſint ſuper hanc lanceam, vt corpus & ſanguinem pretioſum Filij tui vnici Domini noſtri & Dei Saluatoris* IESV *Chriſti dignè miniſtrare poſſit. Benedic nunc* +, *ſanctifica* +, *purifica* + *eam, da ei virtutem & gloriam, ſicut forcipi illi. tibi gloria cum Filio tuo vnico, cum Spiritu ſancto, nunc & ſemper,* &c.

In fine ſumebant aliquid à communione, ne irreuerenter præter mentem cum ſaliua aliquid de ſacro corpore expueretur: id ſuaſit ſuis Chryſoſtomus apud Zozomenum lib. 8. cap. 17. *Pulſi à Ioanne fuerant duo, & pro ſceleribus ſeparati ab Eccleſia, horum ille* (ſcilicet Theophilus) *abuſus lenitate, hortatur vt aduerſus Ioannem libellos darent, pollicitus eos reſtituere in miniſterii ſui locum. erant autem hæc illorum ſcelera, alterius quidem homicidium, alterius verò adulterium. quod & fecit. Eos enim poſt Ioannis exilium, locis reſtituit ſuis, datis ſcilicet libellis quos ipſe ille dictauerat, nihil veri continentes præter id ſolum, quod monere ille conſueuerat, vt poſt communionem aut aquam aut paſtillum deguſtarent, ne contra voluntatem vnà cum ſaliua ſiue pituita, quidquam Sacramenti excrearent, ipſe priùs id faciens, religionemq; piè ſentientibus augens.* Apud Æthiopas lib. de ordine myſteriorum, ſiue adminiſtrationis Sacramenti Confirmationis: *Poſtea ſumunt Sacramentum ſanctum & viuificans, ſpondente ſacerdote pro eis,*

eis, corpus ſcilicet ſanctum, & ſanguinem venerandum Domini Dei & Redemptoris noſtri IESV *Chriſti. Diaconus deinde dat eis lac & mel, & dicit, Lac & mel immaculatum in generationes. Amen.*

Locum ſingulis ſuum adſignat Toletanum quartum, c. 18. *Sacerdos & Leuita ante altare communicent, in choro clerus, ante chorum populus.* Inde laicæ & peregrinæ communioni nomen.

CAPVT XV.
Priuatim à certis vt percepta.

PRiuatim Sancti quædam communicaturi obſeruarunt, idque monente, aut probante Deo. Apud Palladium in hiſtoria Lauſiaca ſectione 35. præſcribit Angelus Pachomio, vt monachi *ingredientes ad Chriſti communionem ſabbatho & dominica zonas ſoluant, & pellem ouinam deponant, & cum ſola cuculla ingrediantur. Fecit autem eis cucullas molles tanquam pueris, in quibus etiam iuſſit imponi figuram crucis purpureæ.* B. Mechtildis lib. 1. viſionum, cap. 68. quinquies ſalutationem Angelicam ſolita eſt recitare ante communionem; quam conſuetudinem Virgo mater collaudans, eſt complexa: quod vt aliorum inſtitutioni ſeruiat, conſcribemus. nec enim inutile fuerit, quo fine recitarit intelligere: *Primò dominam noſtram admonebat illius ſanctiſſimæ ſuſceptionis, qua in virginali puritate filium concepit Angelo nuntiante, & abyſſali humilitate ſibi eum à regalibus ſedibus inuitabat, & orabat ſibi obtineri mundam conſcientiam, & veram humilitatem. Secundò, illius ſuſceptionis mellifluæ, qua ipſum ſuſcepit cùm primò eum in humanitate adſpexit, & verum Deum agnouit, orans ſibi obtineri veram cognitionem. Tertiò, quia omni hora parata fuit gratiam ſuſcipere, nec vnquam eam in ſe impediuit, orans ſibi obtineri cor ſemper diuinæ gratiæ paratum. Quartò, quanta deuotione & gratitudine filij ſui corpus in terris ſumebat, & præ omnibus pleniùs agnouit, quanta ſalus homini ex hoc proueniret; petens dignam gratitudinem ſibi obtineri. Quintò, illius amantiſſimæ ſuſceptionis, qua eam filius ad ſe vocauit, orans vt ei obtineret accedere ad communionem cum ſpirituali lætitia: quia ſi homo agnoſceret quanta ſalus ex corpore Chriſti prouenit, præ lætitia in ſe deficeret. Tunc beatiſſimam Virginem coram ſe ſtantem, & ſe amplexibus ſtringentem ſenſit.* Pulchrè eandem virginem Chriſtus inſtituit, ac præparat communioni: *Cùm vis communicare,* inquit, *diligenter animæ tuæ domum perſpicias, ſi parietes eius aut læſi ſunt, aut infecti. In Orientali parte conſidera, quàm ſtudioſa, vel quàm negligens in omnibus, quæ ad Dominum pertinent, fueris; ſcilicet in laude Dei & gratiarum actione, in oratione, in obſeruatione*

eius mandatorum. In parte Australi perpende, quantum deuota fueris meæ matri, & omnibus Sanctis, quantum profeceris eorum exemplis, & doctrina. In Occidentali parte intuere diligenter, quantum profeceris siue defeceris in virtutibus; quàm obediens & humilis, quàm patiens ad iniurias, si regulam tuam & statuta tua bene tenueris, si vitia in te exterminaueris, & deuiceris. In parte Aquilonari attende quàm fidelis toti fueris Ecclesiæ, qualiter erga proximum egeris, si ipsum intima caritate dilexeris, si omnia aduersa eius tua feceris, si pro peccatoribus & animabus fidelium, & omnibus indigentibus deuotè oraueris. Si quam maculam aut læsionem in omnibus his inueneris, per humilem pœnitentiam & satisfactionem studeas reparare.

Hæretici quoque Ecclesiæ cæremonias imitati sacrilegè quædam seruarunt. Vt Nouatianus, quemadmodum refert S. Cornelius Papa epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum apud Eusebium lib. 6. cap. 35. qui sacrilegis artibus schisma suum fulcire nitebatur, *cùm fecisset oblationes, & singulis partem Sacramenti distribuisset, porrexissetq́; miseros homines & infelices pro benedictione & gratiarum actione iusiurandum dare coëgit; atque suis vtrisque manibus manus accipientis prehendens nō priùs dimisit, quàm hoc iureiurando eum obstrinxisset (illius enim verbis vtar) Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri* IESV *Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reuersurum; atque miser homo non antè degustauit, quàm ita ille se deuouisset; & qui illam acceperat, pro Amen, quod dicere debuerat, hoc dixit, Non deinceps ad Cornelium reuertar.* Waldenses maiori scelere se polluunt. nam Ioannes Tinctorius sermone in perditissimam sectam, de illis hæc habet: *Pudet dicere, qua fraude sub hypocrisi christianæ professionis cum sceleratissima conscientia, cum ceteris fidelibus, statutis ab Ecclesia diebus, superstitiosæ huius religionis professores, ad communionem sanctam accedant: qui vt ex eorum confessione compertum est, sanctissimam illam hostiam ab ore suo polluto nefaria manu deponunt integram, illamq́; vt à suo præside sacrorum ac salutarium mysteriorum æmulo sunt edocti, bufonibus, immundissimis vtique animalibus, diuturna fame cruciatis, edendam tradunt.*

CAPVT XVI.

Mulier velato, vir aperto sit capite.

MVlieri eam legem Apostolus imponit, vt caput velet; viro, vt aperto sit, 1. Cor. 11. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: vnum enim est ac si decaluetur. Nam si non velatur* mulier,

mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est; non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. ideò debet mulier potestatem habere supra caput, propter Angelos. Et constitutiones Apostolicæ cùm ordinem seruari debere docuissent, etiam huius meminerunt lib. 2. cap. 57. *Fiat sacrificium cuncto populo stante, & silentio precante, & oblatione facta quisque ordo seorsum corpus Domini & pretiosum sanguinem sumat, accedentes ordine cum pudore ac reuerentia, vtpote ad corpus Regis. Item mulieres operto capite, vt ordinem earum decet, accedant.* B. Matronam Pergensem S. Bassianus reprehendit, quòd legem prætererierit institutam à natura. Rara est historia, & quædam continens miranda, non imitanda, referam ex Metaphraste 5. Nouemb. S. Matrona legitimè nupta, post consummatum matrimonium, & susceptam filiam fugit à marito, eunuchum se simulans, Babylam vocabat, egitque monachum sub B. Bassiano; sed agnita de sexu recepit se in monasterium virginum, Bassiani Patrumque seniorum consilio; cùm tamen, quod mireris, & nisi dicas particularem Spiritus sancti instinctum, omnino detesteris, maritus illam semper insequeretur, & repeteret. *Aiebat verò ad eam Bassianus: Quomodo cùm sis mulier, ad diuina Sacramenta accessisti nudo capite, & in pacis salutatione os tuum securè exhibuisti fratribus. Illa verò, quod ad diuina quidem dona attinet, inquit, simulans imbecillitatem, non omnino auferens tegmen, quod erat in capite, ita ad Sacramentorum accedebam communionem; caritatis autem nunquam signum apud fratres recusabam: neque enim hominum vultibus, sed hominibus angelicam imitantibus impatibilitatem meipsam offerre existimabam.* Cui tandem post multa Bassianus: *De cetero, ô filia, oportet te vittam tuo capiti imponere propter legem naturæ.* Paulinus epistola 4. de Sampsonis & peccatricis capillitio, *Fæminis tantùm comam apostolica reliquit auctoritas, quia etsi ipsis vna nobiscum fides velamentum cordis amouet, tamen tegumentum capitis, & frontis vmbraculum verecundum decus postulat: & ideò perfectus fidei ac disciplinæ magister docet indecorum viro crinem, quia abscondi non potest caput viri Christus, quod est illa supra montem ædificata ciuitas, in Ecclesia quæ corpus est Christi. itaq; viro dedecus, decus est feminæ, quæ nemini caput est, sed honestatis cultu ornat virum, & corporis seriẽ quæ à capite Christi, Deo; & viri, Christo; & mulieris, viro texitur, quasi in fundamẽtũ locata sustẽtat.*

Si religioni tamen se aliqua addiceret, tondendi ei veniebant crines: non enim illa ampliùs sub potestate viri, sed Christi futura erat, signumq; dabat cum coma spretum se mundana ire, & conculcatum.

Vide Palladium in Lausiaca, & Basilium in regulis monachorum; præ cæteris Hieronymum, qui ad Sabinianum epistola 48. *Moris est*, inquit, *in Aegypti & Syriæ monasteriis, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renuntiantes omnes delicias seculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant resecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter atque velato.* Et nota cum crine velamen non posuisse. Quia Tertullianus de velandis virginibus, cap. 15. *Pura virginitas semper timida oculos fugit, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam contra ictus tentationum, contra iacula scandalorum, contra suspiciones & susurros.* Velum autem non subtile esse debet, cuiusmodi virgines vtebantur Tertulliani æuo, quia illex est libidinis, & acuit curiositatem propiùs penitiusque videndi subcandicantem sub eo cutem. Culpat hoc libr. de velandis virginibus cap. 2. deinde commendat meritò Arabas feminas, quòd non contentæ velare caput, faciem etiam ita tegerent, vt media tantùm oculi luce fruerentur.

De osculo solemne erat, nam præter ea quæ Metaphrastes de B. Matrona retulit, Augustinus hæc subdit lib. 2. contra litteras Petiliani c. 23. de Optato Gildoniano, cuius scelera prodiderat: *Illum*, ait, *commemoro, qui vobiscum vixit, cuius natalitia tanta celebratione frequentabatis, cui pacis osculum inter Sacramenta copulabatis, in cuius manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicißim danti manus porrigebatis.* Beata item Maria Ægyptiaca apud Sophronium Patriarcham ex interpretatione Pauli Diaconi: *Dicto symbolo & oratione Dominica (sicut mos est) pacis osculum obtulit seniori, & sic viuifica mysteriorum suscipiens dona, in cælum extensis manibus ingemiscens, cum lachrymis ita clamauit: Nunc dimittis Domine ancillam tuam*, &c. Abusus hîc facilè fuit, quem in Lucilla Hispana, vt vult Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 3. potentissima & factiosissima femina, Cæcilianus Mensurij Carthaginensis Episcopi Archidiaconus reprehendit, vt apud Optatum Mileuitanum lib. 1. contra Parmen. videre est. ait enim: *Cùm Lucilla correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poßet, quæ ante spiritualem cibum & potum os nescio cuius martyris, si tamen martyris, libare dicebatur: & cùm præponeret calici salutari os nescio cuius hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, correpta cum confusione irata discesßit. Irascenti & dolenti ne disciplinæ succumberet, occurrit subitò persecutionis enata tempestas.* Demortui hominis, & non asserti Martyribus, caput penes se seruabat, ossibus imprimebat basia; non tulit factum B. Cæcilianus, & quasi, vti erat, ab Ecclesiæ moribus alienum reprehendit. Osculi causam adsignat Cyrillus mysti-

cam,

cam, catechesi 5. mystagogica. Quasi Christiani valuas per quas Christus in hominem ingreditur, osculentur, reuerentiæ causa. Per os enim Seruatorem nostrum in Vener. Eucharistia admittimus, quasi per ianuam. monemur item os à turpibus custodire. Sed cùm inter mulieres viri se insinuarent, osculo supposita tabella, quam Pacem vulgò dicimus, ne prioribus posteriora deteriora essent. Et hæc etiam extra vsum fere est, quòd pax dissidiorum seminarium fore timeatur, si quando Principum riualium alteri præ altero priùs præberetur. ita suggestum ferunt Patribus in Concilio Tridentino à P. Iacobo Laynes secundo Præposito Generali Societatis IESV, cùm non frustra vererentur, ne quas turbas cierent Legati Regum Catholici & Christianissimi, dum sic alter alteri præponi vel postponi videretur.

CAPVT XVII.

Angeli, Spiritus sanctus, Christus, aliqui item ex Beatis se spectandos in sacrificio dedêre.

REuerentiam excitare debent Angeli præsentes, qui verentur maiestatem Dei, quam in Vener. Eucharistia coràm intuentur. Chrysost. homil. 60. ad populum: *Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur.* Quare monet optimè Paschasius l. de corpore & sanguine Domini, cap. 8. *Inter Angelorum frequentiam quàm terribile sit indignè ad communionem accedere, debet quisque cogitare; imò quàm terribile sit ipsum corporis ac sanguinis Sacramentum, vbi plenissimè virtus Christi accipitur, & neque ab alio quàm ab ipso Christo, Pontifice porrigitur, licèt visibilis Sacerdos adsistere, & singulis distribuere videatur: quia quod ipse per ignorantiam omnino indifferenter tribuit, Christus virtute maiestatis suæ, interiùs cui ad remedium, cuiq; ad iudicium tribuatur, diuinitus discernit.* Gregorius lib. 4. dialogorum, cap. 58. *Quis fidelium*, inquit, *habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo* IESV *Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?*

Dant verò videndos se interdum diuini spiritus viris sanctis, quod ijs solatio est. Sic de S. Guduualo Archiepiscopo author vitæ cap. 6. testatur: *Ieiuniis, vigiliis, precibus præmissis, cum sacro altari virginitatis bysso, & caritatis purpura adstaret indutus, atque ad cælestia suspensus, cæli aperti sunt, & visio mirabilis ei exhibita est. descendunt ad eum beati Angeli,*

adstant consolationis gratia sacrificanti, tremendis intersunt mysteriis, unà cum illo laudes depromunt Deo cum ingenti reuerentia: ille ceu splendida lucis columna stat sancta Sanctorum tractans, agnum Dei immolans; iunguntur cælestia terrenis, terrena cælestibus, mortalibus immortales, pro tanta gratia diuinitus mortalibus collata immortales gratulantur. De S. Euthymio Cyrillus monachus: *Aiunt eum dixisse fratribus qui cũ eo seorsum versabãtur, quòd sæpe videret terribilẽ visionem Angelorũ, unà secum Deo ministrantem, & sacra contrectantẽ, & quòd in Dominici corporis sumptione aliquot videret accedentes ab ipsa illuminari, àliquos velut obscurari, & morte affici, qui scilicet erant indigni ea luce; quare fratribus illud Apostoli sæpe inculcabat: Probet seipsum homo,* &c.

1. Cor. 11.

Alij interdum eadem spectabant, sed fere pauculi. Ex Antonino 1. p. tit. 7. c. 7. §. 12. Mellonus quidã Britannus à B. Stephano Papa cõuersus ad fidem baptizatus est: *Hunc B. Papa sibi adhærentẽ, per omnes gradus usque ad sacerdotiũ promouit. Cumq; ieiuniis & vigiliis instaret, quadam die eo Missam celebrante, viderũt ipse & Papa Angelũ Dei stantẽ à dextris altaris. Qui peracta Missa dedit ei virgam pastoralem, quam manu tenebat dicens: Accipe virgã sub qua reges populũ ciuitatis Rothomagensis in Neustriæ finibus: tibi enim præparatus est à Deo locus. Licet autem labor incognitæ viæ tibi sit onerosus, nequaquã tamen tibi timendũ est, quoniam sub umbra alarum suarũ proteget te Dominus* IESVS *Christus. Tunc accepta benedictione iter arripuit; & cùm venisset Altisiodorũ virgã tenẽs quã ab Angelo acceperat, quendã bipẽni vulneratũ, cuius pes erat in duas partes diuisus, facta oratione illicò sanauit.* Fides miraculo stetit.

Effudêre se magno numero Angeli augendæ maiestatis quæ in sacrificio est. S. Nilus solens ait fuisse B. Chrysostomo spectaculum, sic enim ille ad Anastasium: *Ioannes sacerdos admirandus Ecclesiæ Constãtinopolitanæ, imò verò totius orbis splendor, vir animi perspicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis cùm diuinum & incruentum sacrificium offerebatur: quo quidem stupore ac lætitia plenus, rem præcipuis amicis spiritualibus priuatim enarrauit. Cùm cœpisset,* inquit, *Sacerdos sanctum sacrificium, seu oblationem facere, plurimæ ex illis virtutibus è cælo descendentes stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis pronæ altari magno cum silentio & reuerentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde huc illucq; per totam domum diffusæ Episcopis, presbyteris, & diaconibus distributionem corporis & sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes & sedulò adiuuantes.*

Ioannes Moschus Euiratus Prati spiritualis, c. 199. *Narrauit quidã Patrum, quòd senex quidam mundus & sanctus existens, cùm offerret Sacramentum, videbat Angelos sibi dextra læuaq; adsistentes. Porrò hic ab hæreticis consecrationis ritum perceperat, & veluti simplex & rudis diuinorum dogmatum*

quando

quãdo offerebat, in simplicitate & innocentia dicebat quæ nõ decebant, secundùm rectã fidẽ, ignorans quòd falleretur. Per diuinã igitur dispensationẽ perrexit ad eum diaconus quidã peritissimus diuinorũ dogmatũ. Contigit autẽ sanctũ senem, præsente illo sacrificium offerre. dixit autem ei diaconus: Verba quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum, & prauæ opinionis hominum. Senex autem confidens, quoniam videbat Angelos dum offerebat, non intendit his quæ dicebãtur à diacono; sed contempsit. Diaconus autem persistebat dicens; Falleris, abba, non enim admittit fides catholica ista, quæ dicis, neque mater Ecclesia. Cùm autẽ videret diaconi constantiã in se arguendo senex, atque in oblatione salutari sanctos Angelos, vt consueuerat, intueretur; ait eis, Diaconus iste hæc & ista mihi dicit; quomodo se habet veritas? dicunt ei Angeli: Ausculta ei, nã vera loquitur. & rectè ista prosequitur. Dixit autẽ eis senex; Quare vos non dixistis mihi? Dixerũt autẽ illi Angeli: Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigãtur.

Idque cum lumine & incredibili splendore. B. Hildegardis 2. sciuias visione 6. *Cũ Sacerdos sacris vestibus indutus ad celebranda diuina Sacramẽta ad altare accederet; vidi quòd subitò magna serenitas lucis cũ obsequio Angelorũ de cælo veniens totũ altare illud circũfulsit, & ibi tã diu permãsit, quousque completo Sacramento Sacerdos ab altari secederet. sed & ibi euangelio pacis recitato, & oblatione quæ consecranda erat altari superposita; cũ Sacerdos laudẽ omnipotentis Dei, quæ est Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. decantaret, & sic mysteria ineffabilium Sacramentorũ inchoaret; repentè ignea coruscatio inæstimabilis claritatis aperto cælo super eandem oblationem descendit, & eam totam sua claritate ita perfudit, vt solaris lux rem illam illustrat, quam radiis suis transfigit: & dum eam hoc modo irradiaret, sursum illam ad secreta cæli inuisibiliter sustulit, & iterum eam deorsum super altare remisit, velut cũ homo anhelitum suum introrsum trahit, & iterum eum extrorsum remittit, ita verã carnẽ & verum sanguinẽ effectã, quãuis in conspectu hominum, velut panis & vinũ appareret.*

Diuinitas sese miscuit interdũ, & per speciẽ videri se dedit. Amphilochius de Basilio magno qui ad Anastasiũ presbyterũ diuerterat, eũq; ad ecclesiã ductum, voluit ministeriũ facere, siue liturgiã: *Ait ille, nosti, ait, sancte Dei, scriptũ esse, minores à maioribus benedici. Et Basilius, D. Anastasi,* inquit, *cũ ceteris virtutibus tuis habeto etiã obedientiam. tum ille acquiescens accessit ad sacrũ ministerium, & cũ eleuaret viuificũ corpus Domini nostri* IESV *Christi, vidit S. Basilius, & alii ea visione digni, Spiritũ sanctum descendentem in ignis specie, & tum ipsum presbyterũ, tum sanctũ altare circundãtẽ.* Et S. Bernardus de vita Malachiæ, quo *sacrificante, & orãte hora sacrificii, ea quidem puritate cordis, & sanctitate, qua solitus erat, adstãte diacono visa est colũba intrare per fenestrã in claritate magna. Ea Sacerdos perfunditur totus & subobscurior basilica tota refulget. Colũba verò aliquãdiu circũuolitãs, tãdem residet super*

crucem,

crucem, ante faciem ſacerdotis. Obſtupuit diaconus, & pauens tum pro luminis, tum pro volucris nouitate, quòd ſit rara auis in terra, cecidit ſuper faciem ſuam, & vix palpitans, ſeſe erigere auſus eſt, vel quando officii neceßitas poſtulauit. Poſt Miſſam ſeorſim conuentus à Malachia ſub periculo vitæ iubetur nullatenus ſecretum prodere, quod vidiſſet, quoad viueret ipſe. Iacobus de Vitriaco lib.2. de vita S. Mariæ Oigniacenſis cap. 8. *Vidit quandoque ſacerdotem quendam cum lachrymis deuotè ſacrificantem, atque columbam quandam in eius humerum deſcendentem, ex eoq́ humero fontem purißimum ſcaturientem.* Sophronius Patriarcha Hieroſolymorum cap. 27. Prati ſpiritualis, ſacerdotis meminit, qui non niſi Spiritu ſancto conſpecto offerebat: *Decem ferè millibus paſſuum ab vrbe Ciliciæ Aegina villa quædam eſt, nomine Mardandos, in qua templum eſt S. Ioannis Baptiſtæ, in hac ſenex quidam presbyter ſedebat, ſummi apud Deum meriti, magnarumq́ virtutum. Quadam vero die villæ ipſius habitatores acceſſerunt ad Epiſcopum, accuſantes ſenem, & dicentes, Tolle à nobis ſenem hunc, nam moleſtus nobis eſt. dicit eis Epiſcopus: Quid vobis facit? dicunt ei, Accedit Miſſam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, vt ſibi viſum fuerit, neque ſeruat ſolemnem ac legitimum ordinem ſanctæ oblationis. His compertis Epiſcopus aſſumens ſenem ſeorſum, ait illi, Quid ita facis ſenior? an ignoras ſanctæ Eccleſiæ ſtatuta? ait ſenex: Vera profectò proſequeris, & rectè dicis, verùm quid agam ignoro. Die enim Dominico poſt nocturnos hymnos, prope ſanctum altare ſedeo, & quouſque videam ſanctum Spiritum altari obumbrantem, ſancta Miſſarum ſolemnia non incipio: cùm autem aduenisſe Spiritum ſanctum adſpicio, tunc ego ſacra officia conſummo. His auditis Epiſcopus admiratus virtutem ſenis, conuocat habitatores villæ, ſatisfaciensq́ illis dimiſit eos in pace.*

Tum Beatorum quidam ſpectati. Cæſarius Heiſterbacenſis ad Henricum Colonienſem Archiepiſcopum lib. 2. de vita Engelberti martyris, cap. 10. refert hoc factum memorabile: nempe Ludouicum Regularem Canonicum S. Gabrielis in Rode ſacrum pro martyre feciſſe: *Cumq́ dictis ſecretis, poſt Sanctus, canonem inchoaret; ecce ſanctum Epiſcopum pontificalibus indutum vultu hilari ſacro altari adſtare videt, & cùm crucis ſigna exprimeret ſuper panem & calicem, beatus Pontifex per totum canonem ſacerdoti ſe conformans, eodem modo, & iiſdem vicibus ſancta conſignauit, canonem dextera eleuans. Cùm autem ventum eſſet ad eum locum vbi defuncti nominantur, & eum ſacerdos nominaſſet, expleto Sacramento, ait ei Epiſcopus: Frater non eſt neceſſe inter mortuos me nomines, ſum enim cum Deo, & in choro Martyrum gaudio fruor ineffabili: & adiecit, Noueris certò quòd omnes illi qui me occiderunt, vel quorum conſilio occiſus ſum, malè peribunt, idq́ citiùs quàm credi poßit. His dictis diſparuit: Ludouicus verò Miſſa completa*

completa omnibus, quæ viderat, indicauit, testem Deum adhibens ita se habere. Quod etsi Sanctis iucundissimum est visu, minùs tamen paratis est terrori, facitque nonnunquam sapere. Cyrillus monachus de S. Euthymio id docet. fortè enim in Laura quodam sabbatho celebrabat: *Domitianus autem adstabat ad dexteram cum mystico ventilabro, cùm esset peragenda ter sancti glorificatio, Tereboneque Saracenus, & Chrysippi frater Gabrielius, alter quidem prope, alter verò stans intra aram, vident ignem velut in quodam diffusum linteo desuper descendentem, quin & ipsum Euthymium, & cum eo Domitianum intus complexum; sic circa ipsos permansisse ab initio ter sancti vsque ad completum sacrum ministerium: Terebonem autem metu correptum, & exterritum ab ara recessisse, & non ampliùs audacter & temerè esse ingressum adyta, sed in templi constitisse vestibulo cum magna in synaxi reuerentia; vt mihi postea narrauit Cyriacus anachoreta, qui hæc audierat à Terebone & Gabrielio qui viderant.*

Ad cautelam ergo hæc sint, & eò, vt cum S. Nilo suprà loquar, *hæc scribo vt diuini sacrificij dignitatem cognoscentes, caueatis, ne illud negligenter omnino timore abiecto administretis, nec permittatis vt aliqui inter se contendant, & cum tumultu ad ipsum accedant, aut audacter annuant, & ignauè & petulanter se gerant.* Quia ob vitia astantium Deus ea signa subtrahit; exemplum habes in Amphilochio in vita Basilij, qui cùm *sancta eleuaret, non extitit eiusmodi signum, quale fieri consueuerat, puta vt columba moueretur, quæ cum Sacramento dominico pendebat supra altare; & cùm sanctum sacrificium eleuaretur, semper ter moueri solebat. Eo autem cogitante, quidnam hoc esset rei, vidit vnum ventilantium diaconum mulieri deorsum procumbenti innuere, deponensque eum ab altari intra ecclesiam iussit custodiri, & ita cernens sancti Spiritus aduentum, hortatus est omnem populum septem diebus ibidem in oratione permanere: porrò diacono vigilias & ieiunia indixit, & de iis quibus abundabat, iussit miserorum inopiæ subueniri, atque hoc pacto diuinitate placata, tum demum ad sacrum ministerium accedere. Vela etiam statim appendi iussit, præcipiens si qua mulier visa fuerit extra vela sic inclinare, vel procumbere, ipso diuina mysteria peragente, eam foras poni extra ministerium, vel liturgiam, & communione priuari.*

Pijs bonisque cumprimis est vtile ac fructuosum ijs in locis versari, in quibus Christus per Vener. Eucharistiam liberaliùs se homini communicat. Hortatur idcirco B. Maximus monachus lib. de Ecclesiastica mystagogia cap. 25. vt nostro commodo pellecti sæpiùs sacris intersimus, cùm de B. Dionysio Areopagita sic loquitur: *Existimabat beatus senex, nec adhortari cessabat, oportere omnem Christianum beatæ ecclesiæ vacare, & nunquam abesse à sacra communione quæ in ea peragitur, pro-*

pter ſanctos Angelos, qui in ea permanent; & eos qui ingrediuntur ſemper deſcribunt, & Deo aperiunt, & pro eis orationes faciunt; & propter ſancti Spiritus gratiam, quæ inuiſibiliter quidem ſemper permanet, maximè autem, & propria ratione tempore ſacræ ſynaxis, & vnumquemque eorum qui inueniuntur transmutat & transformat.

CAPVT XVIII.

Qui apti, qui inepti communioni?

GRauis monitio Apoſtoli 1. Corinth. 11. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel calicem Domini biberit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini: probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Apud Nicolaum Methonenſem Epiſcopum, tractatu de corpore & ſanguine Chriſti, *id perinde eſt, ac ſi diceret diui Chryſoſtomi ſententia; Quemadmodum tradidit quidem eum Iudas, in eumq́ petulanter debacchati ſunt Iudæi, ita dedecore & infamia afficiunt, qui ſanctiſſimum eius corpus indignè ore ſumunt, & corpori admouent impuro.*

Adituro ergo ſacram ſynaxin ante omnia munditia originalis recuperanda; quod per baptiſmum neceſſariò fieri debet; ianua enim eſt & primus aditus ad cetera Sacramenta. manere ſiquidem eum oportet in Chriſto, & Chriſtum in eo. quod doctè in rem præſentem Paſchaſius Corbeienſis lib. de corpore & ſanguine Domini explicat c. 6. *Ille in Chriſto manet, qui renatus ex aqua & ſpiritu, nullo mortali crimine reus tenetur. & Chriſtus in eo vtique, qui aperuit illi ianuam fidei, in Spiritu ſancto conſecratus, & membrum eſt in eius corpore, & templum Spiritus ſancti: quia ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. quia eius non eſt verè, nec in illo nec in corpore eius eſſe poteſt; & qui non manet, neque vita ſpiritus viuit in corpore, in illo vtique nec Chriſtus eſt, neque in Chriſto poteſt eſſe: quia omnino Chriſtus vita eſt, hic autem mortali crimine reus, à vita longè alienatur.* Duo dicit, Chriſtum in homine manere debere, & hominem in Chriſto, id eſt, per baptiſmum initiationem præmittendam; ſicque in homine Chriſtum eſſe, in quo deinde homo non manet, cùm letali ſe crimine polluit. Neuter, inquit, & adhuc gentilis & peccator carnem Chriſti manducare poteſt, vel ſanguinem bibere. Igitur, quærit ille, *quid manducant homines? Ecce omnes indifferenter quàm ſæpe Sacramenta altaris*

taris percipiunt? percipiunt planè; sed alius carnem Christi spiritualiter manducat, & sanguinem bibit; alius verò non, quamuis buccellam de manu sacerdotis videatur percipere. Et quid accipit cùm vna sit consecratio, si corpus & sanguinem Christi non accipit? Verè quia reus, accipit indignè, sicut Apostolus Paulus ait, Iudicium sibi manducat & bibit, non probans se priùs, nec diiudicans corpus Domini. Ecce quid manducat peccator & quid bibit, non vtique sibi carnem vtiliter & sanguinem: sed iudicium, licet videatur cum ceteris Sacramentum percipere. & quare? Quia non se probat, nec diiudicat corpus Domini. Exemplum profert de infideli communicante: *Cogitat enim infidelis, quòd digna & sancta indignus possit accipere, non aliud quidem attendens, nisi quod videt, neque intelligens nisi quod ore sentitur. Nequaquam igitur credit aut intelligit, quale vel quantum iudicium sumit. Nempe quia simul omnes ex vno edere visibiliter cernit, nec si aliqua sit vltrà virtus in eo satis ex fide sapit.* Audi hoc in Beda historiæ Anglorum lib.2.cap.5. Sabaretho Regi orientalium Saxonum Christiano defuncto tres filij pagani successerant, *cumq; viderent Pontificem celebratis in ecclesia Missarum solemniis Eucharistiam populo dare, dicebant (vt vulgò fertur) ad eum barbara inflante stultitia, Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueuerant) dabas, & populo adhuc in ecclesia dare non desistis? quibus ille respondit; Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes: sin lauacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. at illi, Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec illo nos opus habere nouimus, sed tamen pane illo refici volumus. cumq; diligenter ac sæpe ab illo essent moniti, nequaquam fieri posse, vt absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicet, ad vltimum furore commoti, aiebant, Si non vis assentiri nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris iam in nostra prouincia demorari, & expulerunt eum.* Quòd pessimè Regibus his cessit, egressi enim contra gentem Gemussorum in prælium, omnes sunt contriti.

Secundò, ab omni letali crimine debet purus esse. Guitmundus Auersanus de humanitate Christi: *Indignè sumitur, si in mortiferis peccatis maneat anima.* Ideo Augustinus suos admonet serm. 26. in Ioannem: *Panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Et ab exemplo argumentatur Chrysostomus in epistolam ad Ephesios: *Cogitemus quòd veteris sacrificij participes, magna vtebantur parcimonia & abstinentia, & se priùs expiabant, & omni ex parte emundabant. Tu autem accedens ad hostiam quam ipsi reuerentur Angeli, periodis temporum rem definis ac circumscribis, & execrandis manibus*

ac labris sumis Christi corpus & sanguinem? Regem nolueris osculari ore tuo malè olenti, Regem autem cæli oscularis malè olente anima? ea res plena est contumeliæ.

Nouatiani eam puritatem requirebant, quam in homine vel nunquam, vel rarò reperias; non putabant enim fieri posse ad sanctam communionem admitterentur, qui letaliter peccassent vnquam, sed nec condonationem sacerdotes facere, etsi vitam priorem detestati seriò de peccatis omnibus confiterentur. Eos verò facetè elusit & irrisit Constantinus Imperator apud Nicephorum l. 8. c. 20. cùm Acesium Episcopum illa hæresi imbutum, apud se talia delirantem sic alloquitur: *Scalas igitur admoue*, inquit, *Acesi, & solus ad cælos ascende. quo dicto non Acesium ille laudauit, sed potiùs, quòd immunem à peccatis se fortè existimauit esse, perstrinxit.* Verùm non semel, non septies, sed septuagesies etiam septies obliterari peccata possunt, & sic se quisque comparet ad sancta percipienda. Ambrosius serm. 252. de tempore: *Vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, priùs orationibus, ieiuniis & eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere.* Grauis S. Paciani parænesis ad pœnitentiam, & aptissima oratio flectendis ad eam animis: *Vos*, ait, *primùm appello fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri, qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, & altare Domini non timetis, qui ad manus sacerdotis, qui in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis, qui diuinæ patientiæ insultatis, qui tacenti Deo, velut nescienti, pollutam animam & prophanum corpus ingeritis. Audite quid fecerit Dominus, tum deinde quid dixerit. Cùm populus Hebræorum arcam Domini Hierosolymis reportaret, & ex domo Abinadab Israëlitis, Ozas, qui non explorata conscientia latus arcæ attigerat, occisus est; & tamen ille, non vt aliquid ex ea sumeret, sed vt declinantem ad lapsum vituli contineret, accesserat. tanta infuit cura diuinæ reuerentiæ, vt audaces manus nec ob auxilium sustineret. Clamat idem Dominus, & dicit; Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque tetigerit de carne sacrificij salutaris, & immunditia super illam est, pereat anima illa de populo. Antiquáne ista sunt, & modò non fiunt? quid ergo, desiit Deus noster curare? an vltra conspectum mundi recessit, & neminem spectat è cælo? an patientia illius ignorantia est? Absit, inquies. Videt ergo quæ facimus, sed vtique expectat, & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Christo suo præstat vt differat, ne citò pereant quos redemit.* Et infrà: *Humanæ animæ reus non potest absolui, Dominici corporis violator euadit?*

2. Reg. 6.
Leuit. 7.

Intima

Intima munditіes necessaria est, quam post admissa crimina pœnitudine & dolore consequimur, sed sincero. Anastasius Sinaita orat. de S. Synaxi: *Nec ingredi ecclesiam, ac diuinas imaginum formas, pretiosasq́ ac venerabiles cruces etiam salutasse fuerit satis, non frigida manus abluisse, id verè est esse purum & mundum; sed peccatorum sordes abluisse, & fugisse, sed confessione, sed lachrymis, sed contrito humiliatoq́ animo, sed demisso contractoq́ vultu, peccatorum, quibus tenemur catenas eluisse, ac tum demum ad illa sancta deceat accedere mysteria.* Pergitque porrò hortari ad illam ipsam: *Ades igitur sereno tranquilloq́ animo, Christo Domino, per sacerdotes tua peccata confitere, quicquid egisti mali tute damna, nec verecundare: est enim verecundia quæ adducit peccatum, & est verecundia cum gloria & gratia.* Acerbè autem in eos inuehitur qui catini tantùm quod deforis est purgant, interiùs verò omnia plenissima sunt spurcitiarum: *Quid grauius est iis quibus vtimur moribus? etenim rapinis, sceleribus, peccatorumq́ multitudine cooperti, tantummodo aqua ablutis manibus sanctissimum corpus illud, diuinumq́ sanguinem pro salute mundi largiter olim effusum, impuri sordidiq́ admouemus.* Vide imminens periculum, quod Chrysostomus apud Antonium Abbatem Melissæ parte 2. serm. 100. ob oculos animumque ponit: *Ad diuina Christi mysteria negligenter accedere, supplicium intolerabile meretur, & si vel semel in anno hoc quis audeat: ignis spiritualis plena est ipsa mensa, & vt fontes naturaliter aqua scaturiunt, sic & hæc mensa flammam quandam inæstimabilem fouet. Caue igitur accedas cum stipula, lignis, & fœno, ne maius efficias incendium, & animum qui sit eius particeps, exuras. Regem excepturus es per communionem; Rege autem in animum intrante, magna debet esse tranquillitas, & magna quies, alta summaq́ cogitationum pax.*

Tertiò, & à luxuria maximè alienus, quia impurus odio est creatori, qui cùm sit Virginis filius, si non virgines, minimùm castos omnes vult. Ad sacerdotes & ad Dominicam mensam accedentes, sermo est 38. Petro Blesensi Archidiacono Bastoniensi, in synodo, vbi ex antiquæ legis altaris ministris similitudinem ducit: *Suis vicibus quando quis erat seruiturus, prohibebatur à mulierum complexibus, à sicera & vino, imò ab omni quod inebriare potest, à communi colloquio; multò magis euangelici sacerdotes ab his se abstinere debent, ne inter munditiæ officia surrepat vitæ immunditia. Antiochus Epiphanes tempore Machabæorum templum Domini violenter ingressus, idolum Olympici Iouis in eo iuxta arcam testamenti posuit: Machabæi postea præualentes inuenerunt locum pollutum, & post eiectas spurcitias, multis purgationibus locum mundauerunt. Quicumque enim ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, iuxta filium Virginis idolum ponit*

Veneris. Qui sacra illius verba Sacramenti ore immundo profert, in faciem Saluatoris spuit. Et cùm in os immundum sanctißimam carnem imponit, eam quasi in lutum platearum proiicit. Ad suum iudicium ad hoc Sacramentum accedit, qui adhuc alienæ cuticulæ tactu hilarescit, qui æstibus vitiorum inardescit. Hinc Photius nomocanone tit. 3. cap. 19. *Quomodo qui somniauit communicet ex Dionysij epistola ad Basilidem cap. 4. Timothei can. 12.* docet, & cap. 21. *Quando oporteat ab vxore propter communionem abstinere, ex Dionysio ad Basilidem cap. 3. Timothei canon. 5. 13. Quanto verò tempore debeat se homo sanctificare ad perceptionem tanti muneris,* vetus, inquit Amalarius Fortunatus officiorum Ecclesiasticorum, cap. 34. historia docet: *Dicit in Exodo Dominus Mosi: Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras, lauentq́; vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sina. Eodem numero Dauid se & pueros suos sanctificatum dixit, vt comedat panes propositionis. ita scriptum est in libro Samuëlis* 1. Reg. 21. *Dixit Abimelech Sacerdos, non habeo panes laicos ad manum, sed tantùm panem sanctum; si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, & respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos heri, & nudiustertius quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta; porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.* Dies aliquot præscribuntur Cabilonensi Concilio, cap. 40.

Vt minimum post noctem puram communicandum. quare meritissimò Romanos carpit Hieronymus apologia pro libris contra Iouinianum, qui cùm ob coniugalem copulam templum ingredi non auderent, communicabant tamen: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo; sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant, & iuxta Persium, noctem flumine purgant. quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus? quod in ecclesia non licet, nec domi licet.*

Voluerunt quidam mulieres arceri à synaxi, quæ menstrua patiuntur, vt beatus Dionysius Alexandrinus Basilidæ scribens: *De mulieribus, quæ sunt in abscessu, an eas sic affectas oporteat domum Dei ingredi, superuacaneum vel interrogare existimo. Neque enim puto, si sint piæ & fideles, sic affectas, ausuras, vel ad sacram mensam accedere, vel corpus & sanguinem Domini attingere. Neque enim quæ duodecim annorum fluxum habebat ipsum ad medicinam tetigit, sed solam eius fimbriam. Orare enim quomodocunque se habeat aliquis, & vtcumque sit affectus Domini meminisse, & auxilium* implo-

implorare, non est reprehendendum. Ad sancta autem Sanctorum, qui anima & corpore purus non est, accedere prohibebitur. Theodorus Balsamon ad hunc Dionysij locum, vt quid esse *in abscessu* sit doceat, refert Hebræas dum in profluuio sunt, loco solitario sedere, & quiescere donec septem diebus præteritis menstruorum fluxus purgatus steterit. quod Genesis 31. Rachel confirmat, cùm ita ad patrem suum Laban loquitur: *Ne irascatur dominus meus, quòd coram te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi.* Excludit verò Balsamon eas non interiore tantùm templo, sed vestibulo etiam, ne eis ibi esse liceat, imò & cœmeterio. citatque Leonis sapientis Imperatoris nouellam: *Statuimus de mulieribus quæ pepererunt, & de iis quæ naturali purgatione detinentur; siquidem vita earum à nulla alia morbosa affectione perturbetur, vt quæ non sunt quidem initiatæ, non sint illuminationis participes: quæ autem sunt diuinis mysteriis initiatæ, impolluta mysteria non participent vsque ad quatuor dierum terminum.*

Sed hæc iudaica est superstitio; copula & pollutio cum peccato coniuncta vt corpus fœdant, iuxtà atque animam, meritò hominem arcent à sancta communione. Copula, inquam, maximè cùm quis debitum exigit, & pollutio quam pridie cogitatione vel alia illicita ratione procurarit. Alioquin eam dæmon facilè suscitat, vt ab opere sacrosancto auocet, vt apud Cassianum in Collationibus patet.

CAPVT XIX.

Requiritur etiam notitia Sacramenti, & fides.

QVartum est, vt scientia instructi accedamus. Nam Damascenus 4. fidei cap. 14. ad reliqua eam requirit: *Summo cum metu, pura conscientia, fideq; haudquaquam dubia accedamus, ac profectò sic nobis fiet, quemadmodum firmè ac constanter credimus; ipsum porrò omni puritate colamus, hoc est, & spirituali & corporea, siquidem duplex ipse est.* Quæ verò tenenda de Sacramento augustissimo, proponit Paschasius Ratbertus lib. de corpore & sanguine Domini, cap. 2. *Tanti Sacramenti virtus inuestiganda est, & disciplina Christi, fides erudienda; ne fortè ab hoc censeamur indigni si non satis discernimus illud, nec intelligimus mysticum Christi corpus, & sanguis quanta polleat dignitate, quantaq; præemineat virtute, & discernatur à corporeo gustu, vt sit præstantius omni sacrificio veteris testamenti. Hoc sanè si quis ignorat, non discernit; & ideò timendum, ne per ignorantiam, quod nobis prouisum est ad medelã, fiat accipientibus in ruinã.* Notat verò Leuit. 22. huius

huius mysterij figuram præcessisse illustrem admodum & insignem: *Omnis alienigena non comedet de sanctificatis: inquilinus sacerdotis, & mercenarius non vescentur. Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur. Sin autem vidua vel repudiata, & absque liberis reuersa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueuerat, aletur de cibis patris sui. Omnis alienigena ex eis comedendi non habet potestatem. Qui comedet per ignorantiam de sanctificatis, addet quintam partem, cum eo quod comedit, & dabit sacerdoti in sanctuarium.* Per ignorantiam accipit, sed nescit mysterij virtutem. Sed hoc difficultatem parit cùm quintam partem cum eo quod comedit sacerdoti restituendam audimus. An quod comestum est restitui potest? Respondet Paschasius: *Diligenter intelligere & spiritualia Sacramenta palato mentis, & gustu fidei dignè percipere, quasi legaliter quintam partem ad ea quæ priùs per ignorantiam comederat, superaddere est, dum diuina intelligibiliter mysteria homo noster per Christi gratiam excipit, & per ea virtute fidei Christo concorporatur. Quinta pars illius tunc rectè à nobis superadditur ei quod priùs per ignorantiam accipiebatur, si quinque sensus corporis intus ad intelligibilia spiritualia conuertantur.* quod Augustinus lib. de verbis Domini sic expressit: *Tunc vita erit vnicuique corpus & sanguis Domini, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.* Et Gregorius homilia Paschali innui nobis sensit per sanguinem agni, quo postis vterque oblinebatur: *Sanguis agni super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroque enim poste agni sanguis est positus, quando Sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.* Sacerdos Christus est, cui totum tribuere oportet, id est, virtuti atque potentiæ ipsius designare.

Finio cum monitione sancti Ioannis Damasceni lib. 4. fidei cap. 14. *Cæterùm hoc pro viribus caueamus, ne Sacramentum hoc vel ab hæreticis accipiamus, vel illis demus: Nolite enim sanctum dare canibus, inquit Dominus, nec proiiciatis margaritas vestras ante porcos, ne alioqui & illorum errorem, & condemnationem nobis contrahamus. Nam si omnino hoc affert istud Sacramentum, vt & Christo, & alij aliis vniamur, non est dubium quin omnibus, qui nobiscum illud percipiunt, animo ac voluntate copulemur.*

CAPVT XX.

Quoties communicatum olim?

QVotidie ineunte primùm Ecclesia Christiani communicabant, vt Actorum 2. videmus: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Et infrà ostendit in quo perseuerantia consistat: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.*

Idque Patres confertim testantur. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. *Quotidie communicare debeo, qui quotidie pecco, debeo semper accipere sanguinem Domini, vt semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Et ante hunc Cyprianus serm. in orationem Dominicam: *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus.* Hieronymus apologia pro libris aduersus Iouinianum: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant.* Idemque ad Lucinium de Ecclesijs Hispaniæ testatur. Nec Missæ fiebant in qua nullus communicaret. Petrus Blesensis serm. 16. in hebdomada pœnosa: *In prima Ecclesia quotquot intererant consecrationi Eucharistiæ, communicabant eidem. Inde est quòd collectæ, quas post communionem dicimus, plurali numero censentur, verbi gratia, Refecti cibo potuq; spirituali, &c. & iterum: Sacramenta quæ sumpsimus.*

Deinde quater in hebdomada, & festis. Basilius ad Cæsariam Patritiam: *Nos quater in hebdomada communicamus, dominico, quarto die hebdomadæ, parasceue, & sabbatho; alijs diebus, si qua memoria alicuius Sancti fuerit.*

Tertiò. Ferijs quarta & sexta ad nonam, & dominica post matutinas. Epiphan. lib. 3. contra hæret.

Secundò. Dominico & sabbatho. B. Onuphrius apud Euagrium: *Omni die dominico & sabbatho Angelum Domini paratum inuenio sacrosanctum corpus & sanguinem Domini nostri* IESV *Christi deferentem.*

Semel. Augustinus epistola 18. ad Ianuarium, plerasque has dierum obseruationes recenset. *Alij quotidie communicant corpori Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi sabbatho tantùm, & dominico: alibi tantùm dominico.* Thomas Cantipratanus lib. 2. vitæ S. Lutgardis, cap. 12. *Singulis dominicis diebus, quemadmodum hortatur B. Augustinus, Christi corpus percipiebat: sed Agnes Abbatissa parum cauto vsa consilio id ei interdixit. at pia Lutgardis: Ego quidem, inquit,*

mater cariſſima, libenter obediam tibi, ſed certiſſimè præuideo Chriſtum hanc iniuriam in tuo corpore vlturum. Confeſtim Abbatiſſa intolerabili morbo afficitur, vt in eccleſiam ingredi non poſſet, nec ceſſauit dolor per momenta increſcens, donec indiſcretionem ſuam agnoſceret, & Lutgardem ſineret priſtino more vti: aliæ quoque quæ hac in re contra illam fuerant aduerſatæ, aut notabiliter ex hac luce ſubtractæ ſunt, aut humilitatis ductæ ſpiritu ſe ad illam conuerterunt; nimirum dignus zelus ſponſi in improbos ſponſæ ſuæ perturbatores.

Apud Græcos, inquit Walafridus cap. 20. *qui duas dominicas vel tres ſine communione tranſierint, excommunicari dicuntur.*

Non licuit vltra tertiam hebdomadam differre. Photius in nomocanone, tit. 3. cap. 11. *De iis qui in ciuitate verſantur, & tribus hebdomadis non communicant. Synodus Sardicenſis can.* 11. *Synodus* 6. *canon.* 8. Quinque ſeptimanas abſtinuerat quædam, & punitione in tardam & ſegnem Deus animaduertit, ex Palladio vita 14. Antoninus 2. p. cap. 6. tit. 15. §. 3. Ægyptius deperibat alterius coniugem, & per magum ſperabat ſe voto potiturum, ſi vel marito incantationibus faceret inuiſam, vel in ſui amorem pelliceret. fecit ille equam videri. Maritus excitus è ſomno equam pro vxore reperit, triſtis ex miſerando caſu alligatam more iumenti, ad deſertum deduxit, cumque iam cellæ ſancti Macarij propinquaret, monachi arguebant eum, cur ad monaſterium cum equa veniſſet. Vxor, inquit, hæc mea fuit, ſed in equam conuerſa eſt: referunt id Macario: *Vos*, inquit, *equi eſtis, & equorum oculos habetis, illa namque mulier eſt, nec in naturam equæ transfigurata videtur, niſi in eorum oculis, qui præſtigij vanitate falluntur. mox aquam benedictam ei infundens, oratione completa, ſubitò eam feminam videri omnibus fecit, eamq; refici iuſſit, & cum viro ſuo reuerti; dicens, Nunquam à communione ſanctorum myſteriorum, nec à communione Eccleſiæ diſcedas. Hoc enim idcirco perpeſſa es, quia per quinque ſeptimanas myſteria diuina non attigeris.*

Decies octies plus minùs per annum. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis epiſtola ad compresbyteros: *Singulis diebus dominicis in quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in cœna Domini, & in paraſceue, in vigilia Paſchæ, & in die reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum, & ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æqua religione colendi ſunt.*

Ter in anno. Fabianus Papa de conſecratione, diſt. 2. *Si non frequentiùs, ſaltem ter in anno homines communicent, in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini.* Cardinalis Turrecremata in diſtinctione 55. decreti, inde laicam communionem dictam putat: *Laica communio dicitur multis modis, ſcilicet acceptio Euchariſtiæ poſt clericos cum laicis, vel acceptio Euchariſtiæ*

charistiæ ter in anno, sicut faciunt laici, scilicet in Natiuitate Domini, Pascha, & Pentecoste. Tandem cùm refrixisset caritas, & communio in plures etiam annos differretur, Lateranense sub Innoc. III. c. Omnis vtriusque sexus, Paschæ tempus præscripsit.

Ante hæc tempora præceptum in Ecclesia nullum de annua communione fuit, vt ex Petro Blesensi constat, serm. 16. in hebdomada pœnosa, qui Londinensis Archidiaconus creatus, ad Innocentium III. qui pontificatum ad annum 1198. inijt, litteras dedit. sic autem habet: *Nunc autem, quoniam dies mali sunt, & omnes ferè declinauerunt, & inutiles facti sunt, non audeo dicere, ex præcepto Ecclesiæ, sed ex tacita permissione ipsius, introductum est, vt semel in anno congregentur in ecclesia ad communicandum, quod præterire fas non est. vt sicut ea die filij Israël typicum agnum comedebant perpetuò, & eadem die Dominus discipulis suis carnem suam & sanguinem dedit, & in memoriam sui idipsum faciendum commendauit, ita & nos eadem die carnem agni, qui tollit peccata mundi, edamus.*

CAPVT XXI.

Ex causa data communio, maximè morituris.

ALijs de causis fidelibus præscripta vel concessa communio. nam cùm vicini sunt morti, pro viatico est. Paulinus ad Augustinum, & author in vita Ambrosij: *In eodem loco in quo iacebat, sicut referente Bassiano Episcopo Laudensis Ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus, cùm oraret vnà cum supradicto sacerdote, viderat Dominum* IESVM *venisse ad se, & arridentem sibi; nec multos post dies ablatus est. Sed eodem tempore quo à nobis migrauit ad Dominum, ab hora circiter vndecima diei, vsque ad illam horam qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orauit. Nos autem labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiora domus se ad quiescendum composuisset, tertiò vocem vocantis se audiuit, dicentisq́; sibi, Surge, festina, quia modò es recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus: quo accepto vbi deglutiuit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ anima refectior, Angelorum nunc consortio, quorum vitam vixit in terris, & Eliæ societate lætetur.* Ne decederet, nisi probè viaticatus, vox cælo missa est, quæ præmoneret instare obitum. quod & factum monente Christo, qui diuæ Brigittæ viduæ per dies quinque apparuit, & compellauit his ferè verbis, Vt sponsæ sponsus est, sic ego tibi. subduxi

me tibi aliquamdiu, nec consolationibus animum tuum perfudi, vt me ardentiùs desiderares. placet modò modum ponere, imò finem laboribus, voluntas pro facto erit. *Quinto abhinc die mane sumptis Sacramentis conuoca singulatim quas tibi indicaui, & facienda illis manda, atque ita venias ad monasterium tuum, id est, gaudium meum: porrò corpus tuum in VVasthena reponetur,* &c. *die quinto sub ortum solis Christus iterum ei apparens consolabatur eam. Missa celebrata, perceptisq́; Sacramentis, inter manus earum, quas antè diximus, spiritum reddidit pijssimo Saluatori.*

Quin anima remissa fuit in corpus, vt muniretur viatico. Ionas in B. Bertulpho Abbate Bodiensi, cap. 11. *Monachus quidam Agibodus nomine, qui beati Attalæ monialium monasterium gubernarat, in extremis angoribus positus, sui exitus exspectabat horam. cumq́; iam fratres adstarent qui animæ è mundo emigranti suprema officia persoluerent, atque de more ad psallendi munus se præpararent, elapsa de corpore anima vidit æternam lucem sibi paratam, solemq́; miro fulgore micantem. Cumq́; ea visione stuperet, diceretq́; se nunquam talem solem vidisse, vel claritatem, quæ ei posset æquiparari, vnus è cœlicolis accedens, sciscitatur, quid sic attonita intueretur? Illa respondet, solem micantem se intueri, cui nunquam alium similem viderit. ait cœlicola, Noueris te hodie venturam ad nos, & in hac admirabili luce habitaturam, septiesq́; vincente solis lumen, iustorum choris inserendam. Reuersa igitur, valedic fratrum collegio, atque ita porrò redibis ad nos. Reuersa igitur anima in corpus, Agibodus fratribus vltimum valedixit. Quodam autem è fratribus percunctante, quamdiu in eo ancipiti exitu moratus esset, ei indicauit, quid vidisset, & quanta ipsi esset claritas promissa, quodq́; eadem hora obiturus sit, postquam viaticum perceperit, & fratribus valedixerit. Sumpto inde sacratissimo Christi corpore, omnibus osculo præbito, orat vt corpori caritatis officia impendant.* Sic expirant sanctæ animæ excedere nesciæ, nisi sacro viatico muniantur.

Author vitæ S. Ebrulphi Confessoris: *Cùm grassaretur pestis, vnus ex fratribus sublatus est sine communione. dicebatur autem Ansbertus: vbi autem eum obiisse didicit B. Ebrulphus, sciscitabatur num Eucharistiam percepisset? ministro eius id negante, infremuit spiritu, oransq́; & lachrymans venit ad lectum eius, atque ad defunctum, Eheu frater cur abijsti sine communione? ille tanquam à somno expergefactus, paululum apertis oculis, Tu es, inquit, Domine? vir Dei respondit, Ego sum: sed dic mihi vbi interim fueris, & quid videris? & ille, Reuocasti me, inquit, à laboribus itineris, quo me cruciabat aduersarius. & vir sanctus, Vis, ait, Eucharistiam accipere? respondit, Volo. cumq́; corpus & sanguinem Domini accepisset, rursus pacis somno obdormiuit.*

Rogerius in Annalibus Anglorum de Henrico II. Rege insigniter pœnitente: *Qui cùm sensisset mortem sibi imminere, misit pro domino rege*

patre

patre suo, qui ad eum venire noluit; timuit enim insidias ipsius. Rex igitur filius conuocatis coram se Episcopis, & viris religiosis, qui aderant, primum secretò, deinde coram omnibus sua confessus peccata, pœnitentiam, & suorum absolutionem recepit peccatorum, & tradidit VVilhelmo Marescallo familiari suo crucem suam Hierosolymam deferendam: deinde depositis mollioribus suis indumentis, cilicium induit, & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, ac ceteris viris religiosis circumstantibus: Trado me peccatorem indignum, culpabilem & obnoxium per funem istum vobis ministris Dei, postulans vt Dominus noster IESVS *Christus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimisit, per preces vestras, & per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ. & responderunt omnes, Amen. Et ipse ait illis: Trahite me à lecto isto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo, quem sibi præparauerat; & fecerunt sicut ipse præcepit illis, & apposuerunt capiti, & pedibus suis duos lapides magnos quadratos. & omnibus ritè peractis, ipse præcepit corpus suum deferri in Northmanniam vsque Rothomagum, & ibidem sepeliri; & his dictis ipse sacrosancti corporis & sanguinis Domini viatico munitus, in timore Domini emisit spiritum.*

Sed solutionem impetrat B. Petronilla, quia longior peregrinatio ei periculosa videbatur. Author vitarum sanctorum Nerei & Achillei, &c. cap. 9. *Cùm esset præstanti forma corporis, Flaccus Comes venit ad eam cum militibus suis sibi eam coniugem adsciturus. Dixit verò illi Petronilla: Itáne ad puellam inermem cum armato milite venis? Si me vis habere coniugem, da operam, vt matronæ & virgines honestæ post triduum ad me veniant, vt ego cum illis pariter accedam ad ædes tuas. Trium itaque dierum spatio impetrato, sancta virgo ieiuniis & orationibus vacauit, habens apud se sanctam virginem Feliculam in Dei timore perfectam; tertio inde die venit ad eam sanctus Nicomedes presbyter, Christiq; mysteria celebrauit: cumq; virgo sacratissima Christi Sacramentum accepisset, reclinans se in lectulum emisit spiritum. matronæ autem & virgines, quas Flaccus ad eam miserat, exequias funeris eius celebrarunt.*

Miranda alia in his euenerunt; præsensère appetere mortem, vt Maria Ægyptiaca, vt Paulus diaconus in vita testatur, quam vertit à Sophronio Patriarcha compositam. Beatam enim illam ait à Zozima Abbate sanctam Eucharistiam accepisse in cœna Domini, & ab eo inuentam post annum mortuam, cum hoc scripto, *Sepeli Abba Zozima miseræ Mariæ corpusculum, redde terræ quod suum est, & pulueri adiice puluerem, ora tamen Dominum pro me, transeunte mensis Parmathi secundùm Aegyptios, quod est secundùm Romanos Aprilis, die nona, id est, quinto Idus Aprilis, nocte salutiferæ passionis, post diuina & sacræ cœnæ communionem.*

Diſcreuerunt alij ſacrum panem à prophano. Apud Antoninum enim 3. p. cap. 1. tit. 18. legimus Hugonem de S. Victore morti proximum viaticum popoſciſſe, fratres verò veritos ob vomitum irreuerentiam, quòd ſtomachus nihil teneret, ne ſanctum contriſtarent, ſuppoſuiſſe prophanam hoſtiam: *Deferentibus autem iis hoſtiam non conſecratam cum ſolemnitate & ceremoniis, qua defertur Euchariſtia infirmis, Dei ſpiritu reuelante detexit diſſimulationem eorum, dicens, Quid eſt quod facere voluiſtis fratres mei? quare me decipere voluiſtis? iſtud non eſt corpus Domini mei. ite igitur ſecuri, & afferte verum corpus Domini mei, quia ſcandalum nullum eueniet Domino operante; qui aduertentes ſe deprehenſos, veniam petierunt, & fiduciam ſumentes in eo, qui ei occulta reuelauerat, attulerunt ei verum Sacramentum. Qui cernens ſe illud non poſſe ſumere ſtomacho dedignato, ait: Aſcendat filius ad patrem ſuum, & ſeruus ad Dominum ſuum qui fecit illum. Quibus dictis Euchariſtia diſparuit, ſeu ſpecies illa, & ipſe vir ſanctus Deo ſuum reddidit ſpiritum.*

Similis hiſtoriæ meminit Cæſarius Heiſterbachenſis diſt. 9. cap. 34. de Mauritio Epiſcopo Pariſienſi, qui in extremis nonnihil abalienata mente viaticum poſcebat: ſuppoſuerunt profanam hoſtiam, ſed, Tolle, tolle, inquit ſacerdoti ſubeunti limen, non eſt Dominus Deus. cumque veram ſacratamque hoſtiam attuliſſet, reuerenter adorauit, ſubitoque ſenſibus reſtitutus, magna adſtantium ædificatione ſimiliter expirauit.

Alteri mirando magis euentu S. Euchariſtia cordi applicita, penetrauit in ima viſcera. id ſe à magnis viris religioſis, & fide dignis accepiſſe Alphonſus Salmeron, qui in Concilio Tridentino non ſemel magna omnium admiratione dixit, teſtatur tom. 9. operum, tract. 31. *Religioſum quendam virum periculosè laborantem poſtulaſſe ſanctum viaticum: quod cùm allatum fuiſſet, & ob frequentem vomitum non poſſet aſſumere, ſed tantùm adorare, rogauit ſacerdotem, vt corpus Chriſti inuolutum ſacro linteolo cordi eius admoueret. quod cùm feciſſet ſacerdos, corpus Domini penetrauit in cor eius, & ita compos deſiderij ſui ex fide magna profecti, non minùs quàm Hæmorrhoiſſa tangens Domini fimbriam, factus eſt.*

Quia verò deglutiri ſacra hoſtia incommodè poterat, intingebatur vino. Euſebius lib. 6. hiſtoriæ, cap. 34. de Serapione id docet, nota ſatis hiſtoria. Item Chriſti ſanguini. Concilium Turonicum apud Iuonem Carnotenſem Epiſcopum: *Sacra oblatio quæ ad viaticum recedentibus de ſeculo reſeruatur, intincta debet eſſe ſanguini Chriſti, vt veraciter presbyter dicere poſſit, Corpus & ſanguis* IESV *Chriſti proficiat tibi in remiſſionem peccatorum & in vitam æternam, Amen.*

Nec

Nec ægris tantùm sub vini specie S. Eucharistia ministrabatur in viaticum, sed in periculo item constitutis. Ioannes Diaconus in Gregorio: *Fideles qui cum Maximiano Syracusano Episcopo, iam iamq; naufragium facturi videbantur, sibiipsis pacem dederunt, & corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt.*

Si quis destitutus voce præmittere confessionem admissorum criminum non posset; post signum datum contriti animi, absoluebatur, & donabatur Eucharistia. Carthaginense 4. cap. 76. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.*

Certè solatio est decedentibus Deum ipsos continere, quo præsente perrumpunt facilè dæmonum cuneos, & stipati Angelis hilares in patriam tendunt. quare danda opera, ne Christi corpore destituantur. De Deo certissimum est, eos eum possidere, de Angelis exempla, & monita Patrum certos nos reddiderunt; nominatim Antonius Abbas Melissæ p. 2. serm. 100. *Migraturi hinc, si mysteriorum fuerint participes, pura conscientia, cùm extremum edituri sunt spiritum, stipatores habent Angelos, qui ipsos, propter id quod sumpserunt, hinc deducunt.*

Afficiendis item supplicio. qua de re canon exstat in Concilio Moguntino sub Hrabano Archiepiscopo cap. 27. quo statutum est, ne Vener. Eucharistia condemnatis per iudicem ad mortem per vltimum supplicium negetur. Et ante ea tempora reis concessa. Cedrenus in Annalibus anno 1. Phocæ: *Fama obtinet Theodosium Mauritij filium ad Cosrhoen legatum missis à Phoca ministris Niceæ captum, iussum necari; cùm ad locum cui nomen est Leucacte peruenisset: Theodosium porrò petiisse, vt priusquam necaretur, diuinis impertiri posset mysteriis. Quod postquam impetrauerat, actis Deo gratiis, lapidem à terra sustulisse, eoq; ter pectus suum percussisse, ita orantem: Domine* IESV *Christe, tu scis me nulli hominum iniuriam fecisse, nunc autem mihi euenit, vt tua iubet potentia. His dictis caput ei amputatum.*

Prælium inituris. Bonfinius decade 2. de rebus Hungariæ lib. 1. refert Henricum Imperatorem confessione præuia ante prælium Vener. Eucharistiæ Sacramento exercitum solitum communire.

Recèns baptizatis apud D. Seuerum Patriarcham Alexandrinum l. de ritibus baptismi: *Eleuant baptizatos ad altare, eisq; dant mysteria Eucharistica, & sertis coronat eos Sacerdos.* Paulinus item Seuero epist. 12.

Inde

Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.
Circundanſq; rudes feſtis altaribus agnos,
Pura ſalutiferis imbuit ora cibis.
Hinc ſenior ſociæ congaudet turba cateruæ,
Alleluya nouis balat ouile choris.

Suſpectis de crimine, vt ſe purgent. Concilium Wormatienſe ſub annum 820. *Sæpe contingit, vt in monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committant, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, vt quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe Abbas præceperit, præſentibus fratribus; & ſic in vltima Miſſæ celebratione pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri* IESV *Chriſti percipiant, quatenus ita ſe eſſe innocentes oſtendant.* Gregorius VII. oratione ad Henricum IV. regem Germanorum cùm impeteretur ab Henrico varijs criminationibus, & ſimoniæ nominatim poſtularetur, ſui purgandi ergô, ſacrum Chriſti corpus paratus ſumere, voluit Henricum eandem ſubire aleam, & ſacram Euchariſtiam ſumere, quò Dei iudicio innocentia alteri parti addiceretur. ſic ipſe Gregorius: *Ego iam pridem à te tuiſq; fautoribus litteras accepi, quibus me inſimulabas ſedem Apoſtolicam per ſimoniacam hæreſin occupaſſe, & aliis quibuſdam tam ante epiſcopatum, quàm poſt acceptum epiſcopatum criminibus vitam maculaſſe, quæ mihi ſecundùm ſcita canonum omnem ad ſacros Ordines acceſſum obſtruxerunt. Et licèt multorum idoneorum certè teſtium adſtipulatione crimen refellere queam, eorum ſcilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate inſtitutionem integerrimè nouerunt, & eorum qui meæ ad epiſcopatum promotionis authores fuerunt; ego tamen ne humano potiùs quàm diuino niti videar teſtimonio, vt ſatisfactionis compendio omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam; ecce corpus Dominicum, quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, vt omnipotens Deus ſuo me hodie iudicio vel abſoluat obiecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum; vel ſubitanea interimat morte, ſi reus. Si te innocentem noſti, & exiſtimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falſis criminationibus impeti, libera compendioſè, & Eccleſiam Dei ſcandalo, & teipſum longæ concertationis ambiguo, & ſume hanc reſiduam partem Dominici corporis, vt comprobata Deo teſte innocentia tua obſtruatur omne os aduerſum te iniqua garrientium.* Circumſtantias facti addit Lambertus Herſueldenſis lib. de rebus Germanorum: *Epiſcopus Citicenſis & Epiſcopus Vercellenſis, & Azzo Marchio, & alii conuentionis eius principes, allatis Sanctorum reliquiis ſub iureiurando confirmauerunt facturum eum eſſe, quæ pollicebatur* (ſcilicet Henricus Imperator:) *nec aliqua rerum aſperitate, vel caſuum*

variè succedentium mutabilitate ab sententia deducendum. Ita absoluto rege excommunicatione, Papa Missarum solemnia celebrauit, confectaq́; sacra oblatione regem cum cetera, quæ frequens aderat, multitudine, ad altare euocauit, præferensq́; manu Dominicum corpus præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum iudicem, & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem Dominici corporis accepit, & comedit. Qua liberrimè absumpta, cùm populus in laudes Dei innocentiæ eius congratulatus, aliquamdiu acclamasset, tandem impetrato silentio conuersus ad regem, Fac ergo, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti. Re inopinata attonitum tergiuersatum ait Imperatorem, & bona Pontificis venia supersedisse communioni. Domnizo tamen in Mathilde asserit communicasse, sic enim habet de Gregorio:

Nam benedixit eum, pacem tribuit sibi, demum
Missam cantauit, corpus dedit & deitatis.

An Henricus communicarit, & quo euentu, non liquet, quia authores dissentiunt. De Lothario Francorum rege Ludouici II. Imperatoris fratre Regino testatur non audenda ausum, sed diuinam vindictam expertum. cùm enim ex eo Adrianus Papa quæsiuisset, an Nicolai decessoris sui monitis paruisset, & iuramento stetisset, illeque adfirmaret, quasi Dei voluntati cælitus denuntiatæ Nicolao in omnibus obsecutum: *Restat ergo, fili carissime, inquit Adrianus, vt ad confessionem sancti Petri accedas, ibi Deo propitio hostiam salutarem pro tua non tam corporis, quàm animæ incolumitate immolabimus; ex qua nobiscum te participare oportet, vt per hanc participationem membris Christi, vnde abscissus esse videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur Missarum solemnibus, inuitat summus Pontifex eundem regem ad mensam Christi; acceptoq́; in manibus corpore & sanguine Domini, ita eum alloquitur: Si innoxium te recognoscis à prohibito, atque interdicto tibi à Nicolao adulterij scelere, & hoc fixa mente statutum habes, vt nunquam diebus vitæ tuæ VValdradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miscearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & Sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conscientia te accusat, teq́; lethali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire mente disponis in mœchiæ volutabrum; nequaquam sumere præsumas, ne fortè ad iudicium & condemnationem tibi adueniat, quod fidelibus ad remedium præparauit diuina prouidentia. Qui mente captus, obduratus, & excæcatus absque retractatione communionem corporis & sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit, non expauescens illam sententiam, quæ dicit, Horribile est incidere in manus Dei viuentis* (Heb. 10.) *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit* (1. Cor. 11.) *Deinde conuersus idem Præsul ad sequaces & fautores regis, vnicuique communionem obtulit in hæc verba; Si*

Domino, & Regi tuo Lothario in obiecto adulterij crimine fauorem non præstitisti, neque consensum tribuisti, & VValdradæ, & aliis ab hac sede Apostolica excommunicatis non communicasti; corpus & sanguis Domini nostri IESV *Christi prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis se læsum sciens ausu temerario communionem sub tali contestatione porrectam sumere præsumpsit, diuino iudicio percussus ab hac luce subtractus est, antequam subsequentis anni rediret principium: perpauci qui se à communione subtraxerunt, vix mortis periculum euaserunt. Porrò Lotharius Roma egressus morbo corripitur, & Placentiam ciuitatem perueniens diem clausit extremum sexto Idus Augusti. Tanta autem strages in præfati Regis populo facta est, vt non peste periisse, sed hostili gladio corruisse virtus & nobilitas totius regni videretur.* Quam Dei vltionem Dominica die circa horam nonam Lothario accidisse Aimoinus lib. 2. c. 21. memorat, cùm ille *inopinatò exanimis penè effectus, & obmutescens in crastinum hora secunda diei moritur, & à paucis suorum, qui à clade superfuerant, in quodam monasteriolo secus ipsam ciuitatem terræ mandatur.*

CAPVT XXII.

Quoties communicandum?

APud Adalredum in vita S. Margaretæ Reginæ, Scoti tardiores erant, & nec vel paschate communicabant, quia 1. Cor. 11. dicitur: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Peccatores sumus, inquiebant, veremur iudicium. Quibus Margareta subtiliter intulit; Ergo nemo debebit sumere, quia nemo sine labe, non infans cuius vnius diei vita super terram. Cur igitur Ioan. 6. Christus nos aduocat? Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis? alia est Patrum sententia. Non diiudicans corpus Domini, id est, non separans illud, in fide, ab escis corporalibus, vel sine confessione & pœnitentia: parati accedamus, & viuemus. Contrà illi peccabant, & in alteram quasi partem, quos Chrysostomus reprehendit in epist. ad Ephesios: & poterat, quia à se visa culpabat: *Video*, inquit, *corpus Christi participari leuiter, ac temerè, & consuetudine magis ac lege, quàm pura cogitatione & mente, sequentes eos qui participant.* Vtrique temerè faciunt, hi dum se irreuerenter ingerunt, illi dum nimiùm abstinent. Algerus li. 1. de Sacramento c. 22. *Cauendum est enim: ne si nimiùm in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiscretè accipiat, timendum est illud quod ait Apostolus, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

Fusè

Fusè hanc controuersiam examinant Doctores antiqui, vt Algerus lib.1. de Sacramento cap. 22. Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 20. & id quidem ex Patribus, veriti suo iudicio rem tantam definire. Maiores verò his Augustinus ad Ianuarium, & Chrysostomus in epistolas ad Ephesios & Hebræos, Gennadius de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 53. Hieronymus ad Luciniam, diligenter expendunt, nec nisi maturè sententiam dicunt. Nos quid hi, quid alij vel dixerint, vel suaserint audiamus.

Walafridus. Quidam, *vt ex Patrum collationibus discimus, semel in anno communicandum censebant, vt videlicet diuturna præparatione corpus & animam purificantes, tandem ad communionem mensæ cælestis dignè pertingerent. Et quidem horum alij ipsam celebrationem annuam, in die cœnæ Domini faciebant, vt ibi solùm Sacramentorum gratia iteraretur illorum, vbi primitus est ostensa.* Addit Chrysostomus in epistolam ad Hebræos, eremitas sæpe post biennium tantùm S. communionis participes fuisse. Tempore Gennadij dominicis quidam, alij quotidie communicabant. *Quid ergo?* inquit Chrysostomus, *quinam erunt nobis accepti, üne qui semel, an ij qui sæpe, an ij qui raro? Neque ij qui semel, neque qui sæpe, neque ij qui raro, sed ij qui sunt cum munda conscientia, ij qui sunt cum vita in quam non cadit reprehensio. Qui tales sunt, semper accedant; qui non tales, ne semel quidem. Quamobrem? quoniam iudicium sibi sumunt & condemnationem, & supplicium. nec mireris. Vt enim nutrimentum quod suapte natura alit, si inciderit in eum qui cibum fastidit, omnia perdit & corrumpit, & fit occasio morbi; ita etiam spirituali frueris mensa sanctorum Sacramentorum, & rursus os tuum fers in cœnum. Vnguento te vngis, & rursus imples tetro odore. Cùm post annum demum sis particeps communionis, quadraginta dies tibi putas sufficere ad emundanda peccata totius temporis; & cùm rursus septimus dies transierit, te rursum dedis prioribus? Dic mihi, si sanus fueris quadraginta dies conualescens ex longo morbo, rursusq; te dederis cibis, qui morbos procreant, an non & priorem perdidisti laborem, & te magis læsisti? Quadraginta dies tribuis sanitati animæ, fortè autem nec quadraginta quidem, & speras fore vt Deum places? iocaris hæc dicens.* Non oportet ergo metiri tempore. Chrysost. in epist. ad Ephes. *Si aduenerit tempus quadragesimæ & paschatis, qualiscunque fuerit, fit particeps Sacramentorum. Sed non oportet festa obseruare, sed conscientiam mũdare, & tunc sanctam & venerandam carnem sumere.* Quia apud Walafridũ, *aliis cautioribus visum est istos eo indigniores ad annuam suæ obseruationis celebritatem peruenire, quo se putabant longa dilatione defæcatos, quandoq; ad sacrorum perceptionem satis dignos accedere; meliusq; credebant, quãuis animus indignus sit, crebriùs iterari quæ sancta sunt. Quia talis est ista spiritualis medicina,*

vt & ſanos adiuuet ad perſeuerantiam ſanitatis, & vulneratis ſubueniat ad redintegrationem virtutis. Et eo digniùs percipitur, quo percipientes per humilitatis cuſtodiam ſubſtrati, nunquam ſe ad eius perceptionem ſatis dignos arbitrantur. Qui autem tardiùs ſecundùm iudicium ſpiritualium medicorum ipſi admittuntur medelæ, ideo ad tempus abſtinere debent, ne præproperè incongruis ſuis valetudinibus ingerentes medicamina, grauiùs ægrotent, & quod alijs eſt reparatio, illis fiat damnatio. Tamen etiam peccatoribus Euchariſtia frequentanda, ſed cum modo. B. Algerus: *Quamuis peccato quis mordeatur, peccandi de cetero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis & orationibus, & confidens de Dei miſeratione, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed de illo hoc dico quem mortalia peccata non grauant.* Non grauant inquam, quia depoſita per confeſſionem & pœnitentiam. quod clarè infrà idem author: *In Aegypto datus eſt agnus Iſraëlitis, ſed inde ſtatim exituris. dandus eſt item Agnus Dei peccatoribus, vt à vaſtante Angelo protegantur, ſed deinceps peccatis renuntiaturis.*

Tempus deligendum ſibi eſſe, quiſque impeditior ſciat, atque ideo ex conſilio Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis, epiſtola ad compresbyteros, *admonendus eſt populus, vt ad ſacroſanctum Sacramentum corporis & ſanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimiùm abſtineat; ſed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali abſtineat, & vitiis ſe purget, virtutibus exornet, eleëmoſynis & orationibus inſiſtat, & ſic ad Sacramentum accedat. Quia ſicut periculoſum eſt impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ita etiam periculoſum eſt ab hoc prolixo tempore abſtinere; ſalua ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis lubet, ſed certis temporibus communicant, & religioſis quibuſcumque ſanctè viuentibus, qui penè omni die id faciunt.* Excommunicati antequam reſtituantur Eccleſiæ, Sacramento Venerabili initiari non poſſunt, ideo ſolutionem vinculi & cenſuræ expectare debent; Religioſi qui ſæpiùs communicant, probantur viro ſancto, & laudantur, propterea quia idonei ſemper ſunt, perſeuerare in cœpto poſſunt: ſi tamen aliqui forent qui ex humilitate differrent, Auguſtini authoritate nitantur epiſt. 118. *Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam ſanctam Euchariſtiam, alius contrà: faciat vnuſquiſque, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum: neque enim litigauerunt inter ſe Zachæus, & ille centurio, cùm alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum; alter dixit, Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.*

Eccleſiæ Patrumque ſenſus eſt, meliùs omnino nos frequentare Venerabilem Euchariſtiam, quàm abſtinere etiam reuerentiæ prætextu. Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. 4. cap. 17. *Si vitam æternam*

conſequi

consequi volumus, si largitorem immortalitatis in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamusq; ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Gregorius Papa VII. cùm Mathildi pro beneficijs in Ecclesiam collatis, gratiam aliquam referre vellet, instructionem hanc misit epistola 47. & 50. *Inter cetera quæ tibi contra principem mundi arma Deo fauente contuli, quod potissimum est, vt corpus Dominicum frequenter acciperes, indicaui; & vt certæ fiduciæ matris Domini te omnino committeres præcepi.* Petrus Damianus Ostiensis Episcopus Cardinalis ad Blancam Comitissam de institutione monialis, c.3. *Terretur enim aduersarius cùm Christiani labia videt Christi cruore rubentia. agnoscit enim præstò suæ perditionis indicium, & diuinæ victoriæ qua captiuatus est & obtritus, non tolerat instrumentum.* Arma in hostem miserunt, nunc pharmacum in morbos. Gregorius cùm infrà pergit: *Debemus, ô filia, hoc ad singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo carissima beati Petri filia, scribere procuraui, vt fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini maior tibi accrescat. talem quidem thesaurum, taliaq; dona, non aurum, non lapides pretiosos, amore patris tui, cælorum videlicet principis, à me tua requirit anima, licèt ab aliis sacerdotibus longè meliora pro meritis accipere possis.*

Quotidianam communionem non probant Patres, non improbant. Hieronymus apologia contra Iouinianum, Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus, Augustinus epistola 118. *Faciat vnusquisque,* inquit, *quod secundùm fidem suam credit esse faciendum; contemptum non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium.* Walafridus tamen quotidianam suaderi putat à Syluestro, cùm dies hebdomadis ferias vocauit: *Quia venerabilis Papa Syluester tricesimusquartus à Petro, ferias clerum habere docuit, vt sicut apud paganos feriæ tantùm dies aliquibus festis insigniri dicebantur: sic enim per Moysen dicitur (*Leuit. 23.*) Hæ sunt feriæ Domini; ita Christianis, & maximè clericis omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum, vt per singulos dies sacris occupemur officiis. Et quantum mentis & corporis grauiores maculæ obsistunt, panem & sanguinem Dominicum, quibus sine viuere non possumus, iugiter ambiamus, & desiderio illius tuitionis potiùs, quàm præsumptione nostræ puritatis, sumamus, imitantes primitiuæ Ecclesiæ studium salutare. Act.2.*

De Simeone Stylita Antonius cap.2. refert, quòd *quotidie percipiens cibum diuinum* fuit. idem de monachis sub Macario Palladius Helenopolitanus lib.8. cap.31. in *Valente qui excidit.* Et in vita Abbatis Apollo cap. 52. *Oportet, si fieri potest, monachos quotidie communicare Sacramentis: qui enim se ab eis procul amouit, Deus quoque procul ab eo recedit. qui*

autem hoc facit aßiduè, aßiduè suscipit Seruatorem. Est enim vox salutaris, (Ioan. 6.) *Qui comedit carnem meam & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in eo. Hoc confert monachis salutaris paßionis commemorationem continenter facientibus, quotidie etiam se præparare, vt omni ex parte digni sint, qui suscipiant cælestia Sacramenta, quandoquidem sic quoque consequimur remißionem peccatorum.*

Optant tamen frequentationem crebram. Hieronymus ad Lucinium: *Vtinam omni tempore Eucharistiam, absque condemnatione nostri, & pugnante conscientia poßimus accipere, & Psalmistam audire dicentem: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.*

Magno stetit diutiùs distulisse, quia vita Religiosis quibusdam apud Palladium sect. 66. Lausiacæ historiæ. Ammonas enim prope Diolcon vrbem in eremo, *aliquando offerens Deo cultum, vidit Angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiam, & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui.*

Dominicis si quis communicet, videtur nec rarior esse nec frequentior. Gennadius suprà: *Omnibus diebus Dominicis communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Nec rubor inde arceat, vel timor. Tertullianum audi de pœnitentia: *Ego rubori locum non facio, satius illum perire quàm me.*

Probauit Deus illustri miraculo apud Palladium in Hellene Abbate. Fortè monachi quos adierat, dominica non communicarant, quòd sacerdos nullus esset ad manum, & traiiciendus Nilus, qui omnia inundarat. Hellen Deo plenus se dedit in viam, reperitque ingenti vastoque corpore crocodilum, cui insedit; incurrit verò in presbyterum, quem rogauit fratres sacro Christi corpore impertiret. impetrat. Sed cùm cymbæ copia deesset, monet reuehi se à bellua patiatur: inhorruit primùm, sed Hellenis exemplo pellectus, insedit, transuectusque est: & illa, ne hominibus in posterum exitio esset, sancti parens voluntati expirauit.

Christus in regula Saluatoris pro ordine sanctæ Brigittæ ita statuit: *Omnibus diebus festiuis, quorum vigiliæ & profesta ieiunantur in pane & aqua, & in cœna mea, & in die paschæ & ascensionis, pentecostes & natiuitatis omnes communicabunt: aliæ autem moniales, quibus Deus deuotionem maiorem inspirauerit, si feruenti desiderio petunt, cum consilio confessoris sui omni sabbatho possunt communicare.*

CAPVT XXIII.

Quomodo seruari solita Vener. Eucharistia?

PVblicè & priuatim decenter habebatur. publicè in templis, & ad eam rem hierothecæ, columbæ aureæ; apertè id ex Amphilochio discimus in Basilio; quæ imminebant supernè altari, quo situ calices in Gallia pendulos est videre.

Κιβώριον. Paulus Diaconus in Gregorio eius meminit, & Germanus Constantinopolitanus in theoria illius dat etymon: *Cib, idest, arca, orium illuminatio Domini, aut lumen Dei.* Sed latina vox est, sic dicta, quòd panis sacer, qui cibus est animarum, id est corpus Christi, eo in loculamento seruetur. Græci ἀρτοφόρια vocabant.

PYXIS. Acta Martyrum Nicomediensium Indæ & Domnæ apud Metaphrasten 26. Ianuarij. horum supellectilem præfectus inuenit, clauibus eis sublatis, *diuinæ crucis figuram, & librum sacrosanctum, nimirum Apostolorum Deo gratas actiones, & præterea possessionum vacuitatem, eorum quæ in cælis magnum thesaurum recondebant, cuius præclaræ opes erant duæ storeæ in nudo solo stratæ generosorum & beatorum Domnæ & Indes supellex, fictile præterea thuribulum, & lucerna, & lignea arcula, in qua reposuerant sacram oblationem, cuius fiebant participes.* In pyxide verò siue arcula pro sacrificio hostia ponebatur, & in ea consecrabatur. Canon vniuersalis, seu Missa Æthiopum: *Domine Deus noster qui in monte Sinai Moysi seruo & prophetæ tuo præcepisti, vt electa congregaret, cuius vsus erat in ministerio altaris, arcæ, & sanctuarij in tabernaculo tuo: nunc Domine Deus noster omnipotens, præsta, vt manus tuæ sint super hanc arculam, & imple eam virtute, fortitudine & puritate, & gratia Spiritus sancti ad gloriam tuam, vt in ea perficiatur corpus vnici Domini nostri & Saluatoris* IESV *Christi, in hac sancta Ecclesia Apostolica, tibi gloria, & Filio tuo vnico, & Spiritui sancto, nunc & semper,* &c.

TABERNACVLVM. Clemens 2. constitutionum c. 13. *Et post communionem omnium tum virorum, tum mulierum, sumant diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum.*

Secretarium apud Liberatum diaconum in breuiculo, & Humbertum de fermentato & azymo, sacristia erat, quam Sacrarium vocat Euagrius lib. 2. cap. 3. idemque significare ex Laodicensi Concilio videmus: *Non oportet subdiaconos licentiam habere in secretarium, siue sacrarium, quod Græci Diaconium appellant, ingredi, & contingere vasa Domini.* Extatque oratio, quam Grimoldus Abbas libro Sacramentorum cap.

cap.129.refert: *Oratio in sacrario. Omnipotens & misericors Deus, qui sacerdotum ministerio ad tibi seruiendum & supplicandum vti dignaris, quæsumus immensam clementiam tuam, vt quicquid modo visitamus, visites: quicquid benedicimus, benedicas; sitq; ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum,* &c. Hieronymus in 40. Ezechielis, Thalamum indigetat, & Pastophorium. & in Isaiæ 22. dicit, pastophorium seu tabernaculum, seu thalamum significare, vbi templi præpositus habitat: quod confirmatur ex Concilij Niceni can. 64. *Sit in vnaquaque Ecclesia œconomus, & cum eo alij, qui curam habeant prouentuum & redituum Ecclesiæ, ac vasorum auri & argenti, & vestimentorum Ecclesiæ: habeant deinde curam loci in quo S. Eucharistia seruatur.* Saccularius œconomus dicebatur.

Pastophoria bina erant, erantque latera quæ crucem committebant. Clemens 2. constitut. cap. 57. *Sit ædes oblonga ad Orientem versus, naui similis, vtrimque pastophoria ad Orientem.* De his sermo est 1. Paral. 28. ex translatione Septuaginta: *Et dedit Dauid Salomoni filio suo exemplar templi, & domorum eius, & cellariorum eius, & cœnaculorum eius, & cubiculorum eius interiorum, & domus propitiatorij, & exemplar omnium, quæ fuerunt in spiritu cum eo, & atriorum domus Domini, & omnium pastophoriorum, quæ in circuitu, quæ in cellariis domus Domini, & cellariorum sanctorum.* Vbi pro pastophorijs Hieronymus Exedras vertit. Formam descripsit Eusebius lib. 10. cap. 4. *Sanctuario hoc modo absoluto & perfecto, sellisq; quibusdam in altissimo loco ad præsidum Ecclesiæ honorem collocatis, & subsellius præterea vndique ordine dispensatis, decorè eximieq; exornato; denique altari tanquam sancto sanctorum in medio sanctuarij sito, ita rursum vt à plebe & multitudine eò accedi non posset, cancellis ex ligno fabricatis, circundedit.* Celebrari ibi consueuerant sacræ Synodi, vt Concilia Carthaginensia, Romanum sub Martino Papa, &c. Seruabantur ibidem sacra vasa ad ministerium, & codices ad lectionem. Paulinus ad Seuerum epistola 12.

PENVS eidem Paulino.

Hic locus est, veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.

Hanc effregerant Deo inuisi Donatistæ, & flagitio profanauerant, apud Optatum Mileuitanum libro 2. contra Parmenianum.

TVRRIS. Hanc Deo dicatum iuit Felix Bituricensis, & eidem Venantius Fortunatus epigraphen præscripsit:

Quàm bene iuncta decent, sacrati vt corporis agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.

Cedant

Cedant chrysolythis Salomonia templa metallis,
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Christe tibi Felicis munere sic sunt,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.
Et cuius tu corda vides, pietate coæquas
Par viduæ merito quæ dedit æra dno.

Gregorius Turonensis de gloria Martyrum c. 86. turris item meminit. Adulter diaconus præsumpserat turrem, in qua ministerium Dominici corporis, ferre, & quando iam parabat eam altari imponere, elapsa de manu in aëra ferebatur, sicque ad aram accedens, nunquam eam manus diaconi potuit assequi.

Honorato semper loco, eoque reconditiori, qui venerationi omnibus erat. Chrysostomus epistola ad Innocentium Papam, de grassatione agens per Theophilum Alexandrinum facta, cùm in secretarium milites penetrarunt: *Neque hactenus stetêre clades, sed vbi sancta condita seruabantur, ingressi milites, ex quibus, vt postea didicimus, quidam necdum initiati erant; omnia spectabant intus recondita, sanctissimusq́ Christi sanguis in tanto tumultu in militum vestimenta fusus est, omniaq́ non secùs quàm in captiuitate barbarica facinora passim admissa.*

In altari verò si quando locabatur, eximium erat: Concilium Turonense 2. c. 3. *Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* in medio scilicet, & eminenti. Honorem sibi, sacratissimoque suo corpori se velle, non semel diuinitus prodidit. Id manifestum est ex Stephano Identio ad D. Gudilæ canonico de Vener. Sacramento miraculoso in insigni illa æde collegiata Bruxellis historiæ cap. 14. Ioannes textor lanæ quotidie ante opus ibat summo mane ad D. Gudilæ orationis causa; & præ foribus erat ad horam vnam frequenter. Semel Nouembri mense anno 1436. pro sua consuetudine ante Vener. Eucharistiam orans, vidit insolitum splendorem oriri, & consternatus audijt vocem ad se mitti ex loco in quo Vener. Eucharistia seruabatur: Fili, hoc in loco decet me adorari, & inuocari ab omni creatura, tamen ego negligor, abditus hoc loco, sepositus ab hominum oculis ac cordibus. scias interim me liberaturum omnes à tribulatione, qui me cum fide inuocauerint. Et sæpe per diuersos dies hæc lux cum voce se illi offerebat, ille verò præ consternatione nec edere nec dormire poterat, nec audebat interim referre audita visaque, ne pro somniatore esset. macrescebat ergo in dies præ cura. Tandem iterum insonuit oranti hæc vox: Indica Pastori huius loci, quæ tibi concessa sunt audire & videre, alioquin affligam te

morbo nisi pareas, & quidem cum discrimine vitæ. tacebat adhuc atque incidit in morbum. tandem Curionem euocat, pro confessione. Is erat Ioannes Coremans postea D. Gudilæ Decanus, ei pandit audita omnia & visa, morbi causam. Et statim à desperata valetudine optimè valet, restitutus integrè omnibus stupentibus. Hæc vbi constiterunt publicè, statutum est quotannis in supplicatione sacræ hostiæ circumferrentur, quæ triginta annos latuerant. Addebat autem idem Pastor hoc miraculum sibi contigisse, cùm in sacro faciendo esset occupatus, vidisse hostiam sacram conuersam in pulcherrimum puerum, qui dicebat; Expende quid audieris ab isto iuuene, & indica populo, quia verum est, & hoc dicto iteratò rediit ad priores species panis.

IN NAVI. Gregorius 3. dialog. cap. 36. narrat de Maximiano monasterij sui præfecto, postea Syracusano Episcopo: cùm à Pontifice missus esset Constantinopolim, vbi Gregorius in palatio negotijs distinebatur, rebus absolutis Romam repetijt, & in Adriatico mari *nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine, atque inusitato miraculo erga se cunctosq; qui cum eo aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cùm in eorum morte ventorum nimietatibus eleuati fluctus sæuirent, ex naui clauis perditis arbor abscissa est, vela in vndis proiecta, totumq; vas nauis quassatum nimiis fluctibus ab omni fuerat sua compage dissolutum; rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit nauem, ita vt non tam nauis intra vndas, quàm vndæ iam intra nauem esse viderentur. Tunc in eadem naui residentes non iam ex morte vicina, sed ex ipsa eius præsentia, & visione turbati omnes sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, vt eorum animas benignè susciperet, quorum corpora in tam pauenda morte tradiderat. Sed omnipotens Deus qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabiliùs seruauit. Nam diebus octo nauis eadem vsque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatauit. Nono autem die in Cothronensis castri portum deducta est: ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro Maximiano nauigabant. omnibus egressis, nauis sponte subsidit, quasi onerata sanctis hominibus pugnare in vndas fluctusq; commodiùs potuerit, tempestatemq; sustinere.*

IN SEPVLCRO. Antoninus 2. p. t. 15. c. 13. §. 5. ex D. Gregorio l. 2. dialogorum c. 24. pueruli meminit, qui iam monachus parentum amantior sine benedictione S. Benedicti egressus de monasterio ad parentes ierat, & eodem ipso die defunctus, sepultus est; nec potuit corpus terra contineri, eiiciebatur enim foras etsi sæpiùs reponeretur.

Venitur

Venitur ad ſanctum Benedictum, ille corpus Chriſti eis donat, dicens: *Ite, atque hoc Dominicum corpus ſuper pectus eius cum magna reuerentia ponite, ſicq́; ſepulturæ mandate.* paruerunt, & deinceps ſepultum manſit. Vbi Petrus Martyr mendacij monendus venit, cùm Stephano Gardinero obiectione 38. nititur imponere, quem BB. Gregorius & Antoninus puerulum vocant, mulierem fuiſſe, & *Euchariſtiam in os inſeri defunctæ muliercula* iuſſam, cùm ex vtriuſque relatu habeamus ſupra pectus iuſſam poni. Frequens olim videtur fuiſſe conſuetudo ſacram Euchariſtiam conſepeliendi mortuis. Nam Amphilochius Iconij Epiſcopus in vita Baſilij Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopi, cap. 6. meminit beatum præſulem hoſtiam conſecratam eleuatamq́ue diuiſiſſe *in tres portiones, vnam quidem ſuſcepit cum timore multo, aliam verò ſeruauit ad conſepeliendum ſibi, tertiam autem poſitam ſuper columbam auream ſuſpendit ſuper altare.* Deinde quaſi publicè fieret, proſcribunt Concilia Carthaginenſe 3. can. 6. Hipponenſe can. 5. Antiſiodorenſe, Conſtantinopolitanum 3. ſiue Trullanum. & proſcriptionis cauſam dant, quòd Matthæi 26. ſcriptum ſit, *Accipite, & edite, cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere.*

Græci, vt ſemper inſolentes, ſic hîc ſunt impij. nam Humbertus in dialogo eos dicit, ſi quid ſuperfuerit ex Vener. Euchariſtia, ſubterrare, vel terræ infodere, & ex epiſtola Epiſcopi Hieroſolymitani eos dicit incendere. Grauiora ijs obiectat D. Hugo Ætherianus li. 2. hæreſum, quas in Latinos Græci deuoluunt cap. 17. *Venio ad magnos fidei articulos; quæ Synodus offerri fermentatum, lanceaq́; illud percuti conſtituit?* Quæ inſanorum hominum deliria maieſtati auguſtiſſimi Sacramenti plurimùm derogant.

Priuatim ſeruabatur, & ferebatur decenti loculamento, ſumenda in tempore.

In arca. Cypr. ſerm. de lapſis: *Cùm quædam arcam in qua ſanctum Domini fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.*

In ara domeſtica eam Gorgonia Gregorij Nazianzeni ſoror ſuppliciter eſt venerata.

In orario inuolutam habebat S. Satyrus ſancti Ambroſij frater, & cum illa pendente de collo naufragus inſilijt in Oceanum, & enatauit.

In palla. Acta. S. Byrini Epiſcopi apud Surium 3. Decembris. S. Byrinus ab Honorio Papa Epiſcopus creatus in Angliam prædicandi Euangelij cauſa miſſus, *ad littus Britanniæ freti arrepto itinere perueniens,*

niens, adscensurus nauem diuina celebrat mysteria, ac sibi suisq; viaticum parans, salutaris hostiæ pia libamina Deo obtulit. Vrgente verò nauigationis articulo ad nauim festinans introducitur, & insurgente vento dum alta sulcarent pelagi, reminiscitur Byrinus se rem præcipuè caram amisisse, & nautis vrgentibus impeditum, in littore vnde abscesserat, reliquisse. Dederat enim ei Honorius Papa pallam, super quam corpus Christi consecrabat, & in qua corpus Dominicum inuolutum, & ad collum suspensum semper secum ferebat, atque inter sacranda sacrosancta mysteria super sanctum altare ponere consueuit. Fide igitur armatus in mare descendit, Deum authorem habens per mare securus incedit, & recepto quod reliquerat, ad nauem regreditur. offendit autem illam quasi immobilem stantem, cùm paulò antè per vndas maris velociter currentem reliquisset: vt autem in eam ingressus est, nec vna quidem in vestimento eius aquæ gutta deprehensa est. Id nautæ videntes flexis genibus, tanquam Deum eum adorauerunt, & complures ex eis ad fidem Christi, prædicante illo verbum Dei, conuersi sunt.

CAPVT XXIV.

HOC EST CORPVS MEVM. *Tropistæ, & Figuristæ confusi Sacramentariis.*

NVnquam præcisis hydræ capitibus tot alia succreuere, quot hîc errores, ad vnam voculam, ad syllabam, ad sententiam. vniuersim qui rationem inierunt, numerant supra trecentos. ita textus clarissimus hæreticis nostris visus ænigmaticus, & offusus caligine loquendi. Recensebo quos videro eminere.

Et quidem Sacramentarij sunt, qui primi occurrunt Carolstadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Petrus Martyr, qui (EST) significat interpretantur. vt sensus verborum sit, *Hoc est corpus meum*, Hoc significat corpus meum, vel Hoc est signum corporis mei. Quod etsi Bucerus nunquam visus sit probasse, eo tamen proximè facit, cùm apud Alberum sic exponit: *Hoc est protestatio, & memoriale beneficiorum Dei.* Et Franciscus Stancarus, vt refert Federicus Staphylus: *Hoc est arrhabo corporis & sanguinis Domini, quasi inuestitura donati prædij aut domus.*

Hi, vt sciant quibus oriundi sint maioribus, audiant B. Samonam Gazæ Archiepiscopum disputatione cum Achmed Saraceno. vbi recutitus ille quærit: *Hæccine communicatio, & sacrificium corporis & sanguinis Christi quod offertis sacerdotes, verúsne est Christus, corpus & sanguis verus? an exemplar corporis eius, perinde atque sacrificium quod Iudæi offerunt?* Samonas. *Absit quod nos appellemus exemplar corporis Christi sanctam communionem,*

munionem, aut panem nudum, aut figuram, aut imaginem: quinimò corpus ipſum reuera & ſanguinem Chriſti Dei noſtri in Deum conuerſum aſſumimus, qui incarnatus & genitus eſt ex ſancta Dei genitrice MARIA *ſemper virgine; ſic enim credimus, & ita profitemur iuxta vocem ipſius Chriſti, quam ad diſcipulos in cœna illa myſtica, tradens eis panem viuificantem, pronuntiabat, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem eis tradens, inquit, Hic eſt ſanguis meus. non dixit, Hoc eſt exemplar mei corporis & ſanguinis, aut imago.* Eadem eſt Saraceni, & phanaticorum horum ſententia, quam hic ſanctus ex textu clarè reuincit, vt & Damaſcenus lib. 4. de orthodoxa fide, cap. 14. *Panis & vinum non corporis figura ſunt; abſit enim hoc: verùm ipſummet Domini corpus diuinitate affectum. quippe cùm Dominus ipſe dixerit, Hoc eſt, non corporis ſignum, ſed corpus, non ſanguinis ſignum, ſed ſanguis.* Poſſit aliquid fingi lucidiùs? Prodeat tamen Martinus Lutherus, vt ex quinto Euangeliſta ſuo, & primo magiſtro diſcipuli audiant quantum profecerint. cuius etſi doctrina nihilo minùs eſt impia, ratiuncula tamen euincit veritatem, l. defenſione verborum cœnæ to. 7. latinæ editionis Wittenberg. *Age,* inquit, *audiamus, quo pacto verbis Chriſti adimant ſenſum noſtrum, & ſuum intrudant. Aſſerunt verbum, Eſt, idem valere quod Significat, vt Zuinglius ſcribit. Et verbum, Corpus meum, idem eſſe, quod Signum corporis mei, vt Oecolampadius ſcribit. Chriſti ergo verba, & mens ſecundùm Zuinglij textum, ſic ſonat, Accipite, comedite, Hoc ſignificat corpus meum. Et ſecundùm Oecolampadij textum, Accipite & comedite, Hoc eſt mei corporis ſignum. tam autem ſunt certi has eſſe veras ſententias, & tam firmiter in ſuis cordibus in iis perſiſtunt, quàm arundo à ventis huc illuc agitata ſolet,* &c. *Et profectò rem magnam & ſeriam agunt, ſed idem fit, ac ſi cùm paulo antè negaſſem, quòd Deus cælum & terram creauit, & ſententiæ Ariſtotelis, Plinij, & aliorum Ethnicorum de mundi æternitate ſubſcripſiſſem: & mihi quiſquam opponens illud Moyſi proferret, In principio creauit Deus cælum & terram; ego verò nunc aduerſarium refutaturus verba Moyſi ſic exponerem; Deus, id eſt cuculus, creauit, id eſt deuorauit, cælum & terram, id eſt currucam totam & integram, vnà cum oſſibus & plumis, atque ita hanc verborum Moyſi ſententiam effingerem, In principio deuorauit cuculus currucā totam, vnà cum oſſibus & plumis. illam verò abiicere prorſus, In principio Deus creauit cælum & terram. Nunquid non artis hoc eſſe videatur? ſanè quidem hiſtrionibus non indigna, nec ignota. Item ſimile hoc quidem eſſet, ſi negarem Filiū Dei factum eſſe hominem, & mihi illud Ioan. 1. Verbum caro factum eſt, reſponderem; Verbum ſignificat baculum curuum, & caro miluum, & ſententia eſt, Baculus curuus factus eſt miluus. Si verò me conſcientia mea argueret, & clamitaret, Martine, nimis petulanter & tortuosè exponis textū, ſed,* &c. *Ego verò illud,*

Sed, comprimerem vsque dum pudor genas rubore tingeret, & tamen dicerem, Vah proditor perfide, amoue tuum, Sed, obmutesce, ne hominum quisquam persentiscat, aut olfaciat mihi adeò malam conscientiam esse. Deinceps autem me magnificè efferrem, & complosis manibus pleno ore decantarem, Euge, Christiani non habent vllum Scripturæ locum, qui affirmet & probet, Verbum Dei factum esse carnem. Postremò me iterum submitterem, & peterem erudiri & doceri, qua ratione ex Scriptura probarent, quam ego priùs distraxissem, si hoc mihi fas licitumq́ esset. Prô Deum immortalem! quantum in veteri & nouo testamento, tam Iudæis quàm Christianis negotij & turbarum facesserem?

Facem omnibus præluxère, teste Durando siue Theoduino Leodicensi Episcopo ad Henricum Francorum regem, *Bruno Andegauensis Episcopus, & Berengarius Turonensis*, qui *antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, adstruunt corpus Domini non tam corpus esse, quàm vmbram & figuram corporis Domini.* Sed posterior maximè, dignus profectò qui author parensque Sacramentariorum audiat. Primùm docuit Christum in Eucharistia non esse nisi in signo, quod cùm non esset tutando, aliò deinde, vt videbimus, iuit, & Vbiquetis ac Luthero ad impanationem præiuit. Vide Guitmundum Auersanum Episcopum, Lantfrancum Cantuariensem, Adelmannum Brixiensem, Hugonem Lingonensem Episcopos contra Berengarium, Guilielmum Malmesberiensem bibliothecarium li.3. de gestis Anglorum: cui eum mortem in Epiphaniorum die narrat obijsse, & quæ ex Gersone audiemus, dixisse; Wolphelmum epistola ad Meginhardum, & Robertum Gaguinum lib.5. de gestis Francorum. Sed pœnitentia sub mortem spem salutis aliquam reliquit; narrat enim Ioannes Gerson agens in Romantium de rosa, cùm tertiò hæresin deiurasset, graui morbo oppressum, ac iam migraturum de vita summum præ se dolorem tulisse, quòd ita multos in tam fœdum errorem adduxisset, & suspirando dixisse: *Deus meus hodie mihi apparebis, ad meam saluationem, vt spero, propter pœnitentiam meam; aut ad duram damnationem, sicut timeo, propter eos, quos peruersa doctrina decepi, quos nequiui reducere ad veram viam tui Sacramenti.* Guilielmus Malmesberiensis ait, cùm Fulbertum Carnotensem Episcopum virum sanctum, & quem gloriosa Domini mater ægrotum lacte suo visa fuit sanare, *in extremis positum multi visitarent, & diui capacitas vix confluentibus sufficeret, ille inter oppositas cateruas oculo longè rimatus, Berengarium nisu quo valuit, expellendum censuit, protestatus immanem dæmonem prope eum consistere, multosq́ ad eum sequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere. Verùm Berengarius, quamuis ipse sententiam correxerat, omnes quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequit:*

leò

adeò pessimum est alios exemplo vel verbo à bono infirmare, quia fortassis peccatum te grauabit alienum, cùm deletum fuerit tuum.

Hæc de figuristis & signatis, à quibus cauendum sacræ Litteræ monent; quibus adde Tropistas, Energicos, Arrhabonarios, Adessenarios, Neutrales, Iconoclastas, aliosque propè infinitos ex inferni colluuie. Sensus litteræ modò indagandus, quicquid Caluinus in consensione cum Tigurinis obganniat, nosque exsibilet. *Qui*, inquit, *in solemnibus cœnæ verbis, Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, præcisè litteralem, vt loquuntur, sensum vrgent, eos tanquam præposteros interpretes repudiamus. nam extra controuersiam ponimus figuratè accipienda esse, vt esse panis & vinum dicantur id quod significant.* De aperta Scriptura, quæ à nobis facit, monstra hominum desperant, vt & de Patribus, à quibus se iugulari vident. Monet tamen Damascenus lib. 4. cap. 14. *Quòd si nonnulli panem ac vinum corporis & sanguinis Domini figuram, dixerunt; quemadmodum ille diuinitus afflatus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ea consecraretur, hoc vocabulum vsurparunt.* Ita Cabasylas expositione Liturgiæ cap. 27. post consecrationem clarè loquitur: *Panis non ampliùs figura Dominici corporis, neque donum ferens imaginem veri doni.*

Audi Bernardum in Malachia Hiberno cap. 37. vt Deus suam præsentiam in Eucharistia asseruerit, figuram, tropum tantùm exsibilarit: *Quidam fuit clericus in Lesmor probabilis, vt fertur, vitæ, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo Sacramentum, & non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non corporis veritatem. super quo à Malachia secretò & sæpe conuentus, sed incassum, vocatus ad medium est: seorsum tamen à laicis, vt si fieri posset, sanaretur, & non confunderetur. Itaque in conuentu clericorum data facultas homini est pro sua sententia respondendi: cumq; totis ingenij viribus, quo non mediocriter callebat, asserere & defendere conaretur errorem, Malachia contrà disputante & conuincente, iudicio omnium superatus, de conuentu confusus quidem exiit, sed non correctus. Dicebat autem se non ratione victum, sed Episcopi pressum auctoritate. Et tu, inquit, ô Malachia, sine causa me hodie confudisti, aduersus veritatem locutus, & contra tuam ipsius conscientiam. Mœstus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Ecclesiam conuocat, errantem publicè arguit, publicè monet vt resipiscat. Suadentibus hoc ipsum Episcopis, & vniuerso clero, cùm non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum protestantes. Nec sic euigilans, Omnes, inquit, fauetis homini potiùs quàm veritati: ego personam non accipio, vt deseram veritatem. Ad hoc verbum substomachans sanctus, Dominus, inquit, fateri te faciat:*

faciat veritatem, vel ex necessitate. Quo respondente, Amen, soluitur conuentus. Tali ille inustus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non sustinens: & continuò sua extollens, exibat, cùm ecce subita correptus infirmitate, sistit gradum, viribusq; deficiens eodem loco iactat se super solum anhelus & fessus. Forsitan incidens in id loci vagabundus insanus offendit hominem, quidnam ibi agat percontatur: respondit, graui se infirmitate teneri, & neque procedere neque redire valere. Et ille, Infirmitas illa haud alia, inquit, quàm ipsa mors est. hæc autem non dixit à semetipso, sed pulchrè Dominus per insanum corripuit eum, qui sanis acquiescere noluit consiliis sensatorum. Et addit: Reuertere domum, ego te iuuabo, denique ipso duce reuertitur ad ciuitatem, redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas, abiicitur error, confessus reatum absoluitur, petit viaticum, datur reconciliatio, & vno propè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & Scripturæ pariter dicentis, quia vexatio dat intellectum auditui. Lutherus odium Dei atque hominum catholicè locutus, theses has contra Louanienses Theologos apud Laurentium Surium in commentario, anno 1545. thesi 15. protulit: *In Eucharistiæ Sacramento venerabili & adorabili est, & exhibetur, & sumitur verè & reipsa corpus & sanguis Christi tam à dignis quàm indignis.* Et thesi 27. damnat hæreseos, quotquot contrà senserint: *Hæreticos seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant corpus Christi ore carnali sumi in Vener. Eucharistia.*

CAPVT XXV.

Pastillifici, & Impanatores, Vbiquistæ.

ALteram viam init Berengarius apud Guitmundum Auersanum, lib. 2. de veritate Vener. Eucharistiæ, cùm priorem vidit non succedere: *Quis risum,* inquit, *tenere iam valeat, audiens Berengarium ipsa Domini verba de Sacramentis interpretantem? Hoc, inquit, necessariò panis est corpus meum; & hic calix necessariò vinum. O impudentissima stultitia, & nimiùm patens, nec quid dicat, nec quorsum tendat adspiciens! Quæ est enim hîc necessitas vt subaudiatur tam necessariò panis & vinum, cùm possit è contrà congruè dici, hoc, subaudis corpus, iam non panis, est corpus meum. Et hic, subaudiatur potiùs, iam non vinum, est calix sanguinis mei? vel certè sic, hoc, subaudiatur hactenus panis, & hic calix, subaudiatur hactenus vinum, ex hoc iam est sanguis meus, non vinum?* Primùm nugones hi vident, si populo placeant, quas fecerunt, fabulas; vbi auram popularem nacti sunt,

ſunt, audent omnia, & pertinacia obſtinant animum, alioquin tam diu nutant & hallucinantur, dum tandem aliquid ſtatuant.

Initio Lutherus lib. quòd verba Domini firmiter ſtent, ioco ſic ſub annum Domini 1527. eſt interpretatus, quaſi Chriſtus dixerit: *Hoc eſt corpus meum, id eſt, panis eſt corpus à me factum creatumq́;* quod etſi tam ridiculum eſt vt per ſe concidat, & authorem puduerit commenti, propugnatorem tamen habuit Ioannem Campanum, qui vt Luther ipſe teſtatur in breui confeſſione edita anno 1544. mordicus defendit; quod Suencfeldius etiam viſus eſt ſentire apud Guilielmum Damaſi Lindanum dubitantij dialogo 2. cùm ex ſubiecto prædicatum facit. corpus meum eſt hoc, ſcilicet panis.

Succeſſerunt Vbiquitæ, Micronio teſte, reſponſo ad Weſtphalum, qui Chriſtum volebant vbique etiam in inferno eſſe verè præſentem ſecundùm corpus: adeò vt quod Albigenſibus olim excidit, non magis in pane Chriſti corpus ſit quàm alijs in rebus. ita Faber Stabulenſis in cap. 11. 1. ad Corint. quia nempe verbum Dei caro factum eſt, quod cùm vbique ſit, ſequitur carnem vbique eſſe, & in omnibus locis reperiri; atque vt Loſſius in 22. Matth. *Supra, infra, intra, extra cælum & terram eſſe.* Et ſequuntur blaſphemos Brentius, Smichdelinus diſputatione Hebingenſi 34. Ioachimus Weſtphalus contra Alaſſo, Luther ſerm. de Vener. Euchariſtia: nec mirum apud Bezam lib. de omni præſentia carnis Chriſti videtur Bulingero, *Si enim aſſumptus ille homo euectus eſt ſuper omnes creaturas, deſiit vtique creatura eſſe.* Ideo propria hæc Metamorphiſtis locutio eſt, auctore Staphylo: *Corpus Chriſti eſt Deus.* Proinde Suencfeldio l. de duplici ſtatu Chriſti, corpus quidem Chriſti in cælo, & Vener. Euchariſtia reperitur, ſed tale tamen quod iam ſit diuina eſſentia, & Deus ſimpliciter, nec caro humanæ naturæ conſubſtantialis; hancque propoſitionem, Hoc eſt corpus meum, exponit in hunc ſenſum, Hoc eſt Deitas.

Ioannes Boedekerus magis limitat, & ad cœnam, baptiſmum, verbum, omnem denique cœtum in Dei nomine ritè congregatum, ſecundùm diuinitatem & humanitatem reſtringit. quam poſtremam blaſphemiam mendacio catholicis Zuinglius nequiter affingit.

Vt vt ſit, verè portentoſa dogmata ex duabus inferni furijs conflata, Eutychete & Neſtorio cenſuit etiam illorum ſymmyſta Beza, & ignota eruditæ vetuſtati Melanchthon pronuntiauit.

Ratiunculis vtuntur inſulſis, & malè ſanis; Primò Epheſ. 4. *Adſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia,* quaſi dicat, Adſcendit Chriſti humanitas, & voti potita omnia modò implet. Non vident tenebriones

replere Christum omnia verbo virtutis suæ? aliudque Apostolum non dicere, quàm Christum ascendisse, vt Prophetæ, & de ipso vaticinia implerentur? cogitent Act.1. dictum: *Hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet.* Et in Symbolo: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Qui aliquò venit, eò sine motu venire non potest, debetque postmodum esse vbi antè non erat: nequit ergo ad iudicium venire in vallem Iosaphat, si modò ibi est.

Secundò. Verbum vbique est, quia Deus; igitur & Christus homo, cùm ita Verbo vniatur, vt vnam cum eo personam constituat, vbique erit. cui argumento Augustinus epistola 57. respondet prudenti cautione: *Cauendum ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis destruamus: non est autem consequens, vt id quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus; nam & de nobis verissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille vbique sumus, sed aliter ille homo in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus est, & homo est, & vtrumque est vnus Christus* IESVS, *vbique per id quod Deus est, in cælo autem per id quod homo.* Verbum per immensa spatia se porrigit, nihil inde necesse est, corpus humanitatemque per illa ipsa diffundi.

Argumentum profert Lutherus lib. quòd verba cœnæ adhuc firma stent, in Vbiquitas, & soluit.

——— Quòd si
Iudicium subtile videndis artibus, illud
Ad libros, & ad hæc musarum dona vocares,
Bœotum in crasso iurares aëre natum.

Ad haram enim porcorum, suam puta aram, & sterquilinium pro innata sibi potestate sese ipse ablegat. audiamus: *Si corpus Christi est in omnibus locis, agedum deuorabo, & heluabor ipsum in omnibus hospitiis, & in omnibus scutellis, poculis, cantharis,* &c. *Sed audi,* inquit, *tu porce, canis phanatice, aut quisquis fueris insulse asine, etiamsi corpus Christi sit in omnibus locis, non statim tu ipsum deuorabis vel helluaberis.* Quippe ni? maximè in ἀρτοκρεοφαγίᾳ tua, & impanatione. qua tu cum Bucero & Sueuicis pastoribus ceu ferinam ponis in pastillo. Adscriptum enim id olim Valeramo, sed immeritò; Ruperto debuit, quo cum errabant plures Algeri æuo. vt ille lib.1. testatur, cap.6. *Dicunt ita personaliter in pane impanatum Christum, sicut in carne humana personaliter incarnatum Deum.* Quam nouam & absurdam hæresin vocat, quæ nulla sanctorum Patrum authoritate adstruatur, sed ex indifferenti & impropria vsurpatione nominum, vel similitudinum concepta sit. Cùm enim Patres, Augustinus li.

senten-

ſententiarum, Proſper, Cyprianus ſerm. de cœna Domini, Damaſcenus lib. 4. cap. 14. fidei, B. Maximus, ſæpe comparationem inſtituant inter incarnationis & Vener. Euchariſtiæ myſteria; putarunt eos cenſuiſſe, ita panem & corpus Domini vniri in Sacramento, quemadmodum in Chriſto diuinitas & humanitas vniuntur; nouamque vnionem hypoſtaticam inducunt, & de humanæ naturæ dignitate plurimum adimunt, vt & de Dei in nos dilectione: *Si ille, qui naturæ Angelorum contempſit perſonaliter vniri, brutæ panis ſubſtantiæ imperſonatus, panis vellet fieri; ſua enim imperſonatio iam non hominibus eſſet ſingularis, quia iam panibus facta communis.*

Vt autem noris, quid Patres velint, cùm vtrumque myſterium inter ſe conferunt, ſcito, illos tantùm hoc ſimili velle oſtendere: ſicut in Vener. Euchariſtia ſunt ſpecies panis & vini, & vnà item caro Chriſti, & ſanguis, nec confunduntur tamen iſta, nec permiſcentur; ita in incarnatione duæ naturæ inconfuſæ, impermiſtæ coniunctæ ſunt.

Deinde cùm idem corpus aſſerunt panem conſecratum, & corpus ex B. MARIA Virgine natum, non de pane quaſi ille adhuc maneat, ſed de vero Chriſto in quem panis iſte mutatus ſit, loquuntur: ac ſi dicant; Idem Chriſti corpus eſt ſub ſpeciebus panis & vini, quod Deipara Virgo edidit. Conſule Algerum lib. 1. cap. 6. & 8.

CAPVT XXVI.

CORPVS MEVM. *Quod corpus, cuius?*

HIeronymus in Marci 14. myſticè Chriſto vnienti ſe Eccleſiæ accommodat, quæ de Vener. Euchariſtia dixit Chriſtus: *Accepit* IESVS *panem, & benedicens fregit, transfigurans corpus ſuum in panem, quod eſt Eccleſia præſens, quæ accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in paſſionibus, datur in exemplis, ſumitur in doctrinis, formans ſanguinem ſuum in calicem vino & aqua mixtum, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis. Sanguine namque agni, ſeruatur domus à percuſſione Angeli, & aqua maris rubri extinguuntur inimici, quæ ſunt myſteria Eccleſiæ Chriſti.* Vbi myſtico ſenſu non panem in Chriſti corpus, ſed corpus contrà in panem, quem Eccleſiam intelligit, dicit mutari.

Verùm ad tertiò delirantem Berengarium Æſculapium mittamus, cum hellebori non modio, ſed horreo. Ex verbis Domini Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis,* &c. *ortæ ſunt duæ hæreſes antiquis temporibus; & in hoc quidem conſenſerunt, quòd panis & vinum in veram filij hominis*

minis carnem, verumq; eius sanguinem conuerterentur, sed quis esset iste filius hominis, non omnes eandem sententiam tenuerunt. Quidam arbitrati sunt non hunc oportere intelligi quemlibet hominem, siue iustum, siue peccatorem, in cuius carnem & sanguinem conuersa substantia sumeretur in remissionem peccatorum. alij arbitrati sunt, non hunc esse de turba quemlibet, sed virum iustum sanctificatum, à communi hominum vita per suæ vitæ celsitudinem segregatum, qui templum Dei esset, qui diuinam in se habitationem verißimè poßideret, in cuius carnem ac sanguinem commutari posse panem vinumq; altaris hæretica pertinacia delirabant. Hæc Lanfrancus Berengario lib. de Eucharistiæ Sacramento adscribit, quibus B. Algerus in prologo addit docuisse, hominis quidem esse, sed non Christi; quianam sufficerat errare, & non collimare recta. *Factum est autem hoc* (pergit Lanfrancus) *paucis annis post obitum B. Augustini, tempore Cælestini Papæ, & Cyrilli Alexandrini Episcopi, quibus præcipientibus atque annitentibus, indicta atque celebrata est Synodus Ephesina, vna de quatuor, quas B. Gregorius in epistola ad Patriarchas fatetur se ita suscipere, complecti ac venerari, quemadmodum quatuor sancta Euangelia Domini nostri* IESV *Christi. In qua Synodo damnatæ sunt vtræque superiùs comprehensæ lethales pestes, roborata est fides, qua credimus panem conuerti in eam carnem quæ in cruce pependit, vinumq; in eum sanguinem, qui de pendentis in cruce latere emanauit. Denique* 200. *qui eidem Concilio interfuerunt Episcopi, inter cetera de hoc Sacramento sic scripserunt, & Nestorio Episcopo quasi hæreticorum capiti transmiserunt.* Doctrina verò hæc orthodoxa Cyrilli est, & in Actis Concilij sic se habet, tom. 1. edit. Peltanæ cap. 14. *Quin illud quoque non possumus hoc loco non adiicere, nempe dum vnigeniti Filij Dei, id est* IESV *Christi, mortem, & ex mortuis resurrectionem annuntiamus, eiusdemq; in cælum assumptionem profitemur; incruentum in Ecclesia Dei cultum nos obire, mysticasq; benedictiones adiri; eaq; ratione sanctificari; vtpote sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrûm Saluatoris participes effecti. Neque enim illam vt carnem communem suscipimus: absit hoc. neque rursus tanquam viri cuiuspiam sanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo consociati, aut diuinam habitationem sortiti, sed tanquam verè viuificam, ipsiusq; Verbi propriam. Nam cùm vita sit, & Deus secundùm naturam, simul atque vnum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, mox viuificam illi dignitatem contulit. Quamuis ad nos ergo dicat, Amen, amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,* &c. *neutiquam tamen illam communem, id est, hominis cuiuspiam nostræ conditionis carnem esse existimare debemus. quomodo enim hominis caro, secundùm suam ipsius naturam viuifica esse queat? sed verè illius propriam, qui nostri causa filius hominis & factus & appellatus est.* Deinde sub finem

Concilij

Concilij anathemate feriuntur, qui tam prophanè sentiunt. Humbertus Cardinalis syluæ candidæ Theopaschitis tribuit, quòd corpus Patris, & Filij, & Spiritus sancti dicant in Ven. Eucharistia esse, & Græcis, quòd fermentatum suum particeps item S. Trinitatis velint. Deinde catholicè verba interpretatur, Hoc est corpus meum, *Meum, inquam, quod Spiritus sancti septemplici gratia subnixum ipsa sapientia Dei Patris æterni, ædificaui mihi templum 46. diebus in vtero, quodq; pro vobis & pro multis, per passionem crucis in mortem resoluendum omnipotens Trinitas suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionem.* Ita sentit Romana Ecclesia sacris Literis, & Apostolorum maiorumque traditione instructa.

Aduerte interim non quadraginta sex diebus formatum in vtero virgineo, sed in instanti ex purissimo sanguine immaculatæ Virginis, obumbrante Spiritu sancto, factum fuisse.

CAPVT XXVII.

Transsubstantiatio.

CLarè admodum mutationem quæ in Ven. Eucharistia fit, Concilium Tridentinum sess. 3. c. 4. fatetur; creditumque semper Catholicis transsubstantiatione fieri docet: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia fuit, idq; nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri; & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis eius. quæ conuersio conuenienter & propriè à sancta catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata.* Deinde can. 1. & 2. anathema contrà sentientibus dicit.

Renituntur aduersarij Lutherus, Caluinus, Petrus Martyr, Chemnitius, & quasi nuperum inuentum reiiciunt, & à D. Thoma, vel certè Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio commentum. negant enim ante Concilium à quoquam vsurpatam eam vocem. Sed falluntur homines bardi, qui grammaticam & nominum etymologias superare non possunt. Ante Concilium annis aliquot tanquam vulgari tritaque voce Transsubstantiatione est vsus Petrus Blesensis Cantuariæ in Anglia quondam Cancellarius, & eam sæpiùs repetit sermone 38. In Synodo de Sacerdotibus loquitur, qui *corpus Domini conficiunt, sumunt, sumendum aliis tribuunt, eorum ministerio panis & vinum in carnem Christi transsubstantiatur.* Epistola verò 140. ad Petrum Clericum vnà doctrinam de Vener. Eucharistia compendio tradit: *Magna in Sacramentis est eminentia & intelligentia, quorum fide potiùs expedienda*

est, quàm adinuentione humana. &, vt gratia exempli in vno Sacramentorum videas abyssum profundissimam, & humano sensui imperceptibilem; pane & vino transsubstantiatis virtute verborum cælestium in corpus & sanguinem Christi, accidentia quæ priùs ibi fuerant, sine subiecto remanent & apparent. Cumq; corpus Christi caro sit, & non spiritus, spiritum tamen & non corpus reficit, spiritualiter pascens atque viuificans. Corpus idem apud nos est in diuersis locis, quia in diuersis altaribus contra naturam corporis; idem tamen corpus eodem tempore est in cælis: licet enim ex natura corporali & circumscriptibili sit vno duntaxat in loco, tamen in pluribus locis est virtuali potentia, & spirituali modo. Tanta enim est vnio diuinitatis & carnis, quæ tota diuina & gloriosa facta est, vt ex plenitudine diuinitatis, quæ, teste Apostolo, corporaliter ibi habitat, illud corpus, licèt in vno loco corporaliter & naturaliter, in pluribus tamen sit diuina & spirituali virtute. Et sicut ipse Deus, quamuis in pluribus, imò in omnibus locis sit virtualiter & essentialiter, tamen secundùm aliquem modum existendi, id est personaliter, est in vno loco, id est, in ipso homine assumpto per gratiam: ita quod diuinitatis est retribuit ineffabiliter corpori suo, vt ex vnionis virtute, & in vno homine sit Verbum, & in pluribus locis sit illius corporis & sanguinis incomprehensibile Sacramentum. Gregorius in homilia paschali: *Eodem momento & in cælum rapitur ministerio Angelorum consecratum corpus Christi, & ante oculos sacerdotis in altari videtur. Sicut autem diuinitas Verbi totum implet mundum, ita corpus illud in pluribus consecratur, nec sunt multa corpora, sed vnum corpus, & vnus sanguis: ideoq; siue plus siue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter Christi corpus integerrimè sumunt.*

Verùm quis stupor in ratiocinando est negare rem quampiam esse, vel fuisse, quòd anonyma sit? easdem nugas ageret, qui Americam crederet ante Americum Vesputium; vel Virgati insulam ante vapulantem militem non extitisse, quia nomine caruerint ea loca: & in sacris, qui sanctam Trinitatem & ὁμοούσιον blasphemè reiiceret, quòd in sacris Literis, & ante Nicenum Concilium eo nomine non indigitaretur. Res erat: id satis esse debuit triconibus istis. Transsubstantiatio non erat, quia vox non erat? erat pepo, erat: omni æuo Ecclesia sancta catholica id credidit, nec hilo dissidet ab illa fide. Euangelistæ tres conspirant; accedit quartus Ioannes cap. 6. Deinde Apostolus 1. Corint. 11. clarè distinctè panem Christi corpus, vinum sanguinem enuntiat, vtque nihil dubij supersit, magistrorum mentem explanant; Ignatius epistola 15. ad Romanos: *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ, panem Dei volo, panem cælestem, qui est caro Christi Filij Dei, qui factus est posterioribus temporibus ex semine Dauid & Abrahæ; & po-*

tum

tum volo ſanguinem illius, qui eſt charitas incorruptibilis, & vita æterna. Iuſtinus Martyr apologia 2. pro Chriſtianis: *Poſteaquam & is qui præeſt, gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adſunt percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos qui abſunt, perferunt. Atque cibus hic apud nos Euchariſtia nominatur, quem nemini alij participare licet, niſi ei qui & vera eſſe credit quæ nos dicimus, & expiatus eſt lauacro, quod in remiſſionem peccatorum regenerationemq́ datur, & ita viuit, vt Chriſtus tradidit. Neque enim hæc vt communem vſitatumq́ panem, vſitatamq́ potionem capimus: ſed vt per Dei verbum* IESVS *Chriſtus conſeruator noſter, & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, ſic etiam cibum, qui per preces ſermonis quem ab eo accepimus conſecratus eſt, & quo ſanguis carneſq́ noſtræ aluntur, communione* IESV *Chriſti eius qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinem eſſe accepimus. Apoſtoli enim in commentariis quæ Euangelia dicuntur, ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt, eum accepto pane, cùm gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in memoriam mei, Hoc eſt corpus meum; dixiſſe etiam accepto poculo, cùm egiſſet gratias, Hic eſt ſanguis meus, illiſq́ ſolis dediſſe.* Irenæus lib. 4. cap. 32. *Suis diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creaturis panis eſt, accepit & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtâmenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat primitias ſuorum munerum in nouo teſtamento,* &c.

Inſequens ætas conſpirat. In Africa Tertullianus lib. 5. carminum in Marcionem:

Ante diem quàm cùm pateretur, paſcha celebrans,
Diſcipuliſq́ ſuis tradens memorabile factum,
Acceptum panem pariter vitiſq́ liquorem:
Corpus, ait, ſanguiſq́ meus, qui funditur, hic eſt
Pro vobis, fieri ſemper quod poſtea iuſſit.
Quaúe creatura panem, vinúmve putatis,
Eſſe ſuum corpus cum ſanguine? quaúe fatenda?
Non ſe factorem mundi per facta probauit,
Et portare ſimul de carne, & ſanguine corpus?

Cyprianus ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus.* Effectus poſtea enumerat Auguſtinus l. 2. contra litteras Petiliani, cap. 37. *Aliud eſt paſcha quod Iudæi de oue celebrant, aliud quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus.*

In

In Europa.

Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Didicisti quòd ex pane fiat corpus Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis. Sed fortè dicis, Speciem sanguinis non video, sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis, vt nullus horror cruoris, & pretium tamen operetur redemptionis; didicisti, ergo quod accipis corpus est Christi.* Eligius Nouiomensis Episcopus homilia 15. de vtriusque agni paschalis esu: *Scitote veraciter, ac credite firmiter, fratres dilectissimi, quòd sicut caro Christi quam assumpsit in vtero Virginis, verum corpus eius est, & pro nostra salute occisum, ita panis quem tradidit discipulis suis, & quem quotidie consecrant sacerdotes in Ecclesia, verum corpus est Christi.* Blesensis serm. 13. *Panis qui de cælo descendit, formatus in vtero Virginis, decoctus in clibano crucis, dispensatur per eos,* (scilicet sacerdotes) *super mensam altaris.* Stephanus Eduensis cap. 13. de Sacramento altaris: *Oramus, vt cibus hominum, fiat cibus Angelorum, scilicet, vt oblatio panis & vini transsubstantietur in corpus & sanguinem* IESV *Christi.* Damascenus 4. fidei cap. 14. *Nec verò panis & vinum corporis Christi figura sunt. absit enim hoc: verùm ipsummet Domini corpus diuinitate affectum, quippe cùm Deus ipse dixerit, Hoc est non corporis signum, sed corpus; nec sanguinis signum, sed sanguis.* Lanfrancus Cantuariensis de Eucharistiæ Sacramento contra Berengarium: *Credimus terrenas substantias quæ in mensa Dominica per sacerdotale ministerium diuinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia, conuerti in essentiam Dominici corporis; reseruatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam aliis qualitatibus: ne percipientes cruda & cruenta horrerent, & vt credentes fidei præmia ampliora perciperent; ipso tamen Dominico corpore existente in cælestibus ad dexteram Patris immortali, inuiolato, integro, intaminato, illæso, vt verè dici possit, & ipsum corpus quod de Virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum; ipsum quidem, quantum ad essentiam, veræq; naturæ proprietatem atque virtutem; non ipsum autem, si spectes panis viniq; speciem, ceteraq; superiùs comprehensa. Hanc fidem tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur.*

In Asia.

Chrysostomus hom. 83. in Matth. *Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dedêre, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit.* Et post pauca transmutationem pro transsubstantiatione vsurpat. *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit; ipse nunc quoque*

que operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus; qui verè hæc sanctificat, & transmutat, ipse est. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, vt sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis,* χριστοφόροι γινόμεθα, *cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus.* Nicolaus Cabasilas expositione Liturgiæ cap.27. *Panis non ampliùs figura Dominici corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam descriptionem ipsius Seruatoris passionum, tanquam in tabula; sed ipsum verum donum, ipsum sanctissimum corpus Domini, quod omnia illa verè suscepit probra, contumelias, vibices, quod crucifixum, quod interfectum, quod sub Pontio Pilato pulchrum testimonium confessum est, quod colaphis appetitum, contumeliis affectum, sputa passum est, & fel gustauit. Similiter & vinum ipse sanguis, qui exiliit occiso corpore: hoc corpus & sanguis qui ex Spiritu sancto constitutus est, natus ex* MARIA *Virgine, qui sepultus est, qui resurrexit tertio die, qui ascendit in cælos, & sedet ad dexteram Patris.* Isidorus Dorotheo Comiti epist.122. apud Anastasium Sinaitam: *Munda sindon quæ explicatur in diuino ministerio, est ministerium Iosephi ab Arimathia: vt enim ille Domini corpus inuolutum sindone in sepulchrum transmisit, sic nos in sindone propositionis panem sanctificantem, citra vllam dubitationem, Christi corpus inuenimus.* Nicetas in catechesi Saracenorum, dicit inter reliqua, illos sic post anathematismos profiteri: *Credo etiam corpus & sanguinem* IESV *Christi, reuera esse, quæ diuina illius virtute intellectualiter & inuisibiliter supra omnem intellectualem cognitionem, vtq; solus ille nouit, transmutata sint; eaq; ita etiam ego me percepturum polliceor, vt quæ reuéra sint caro & sanguis ipsius, in sanctificationem animæ & corporis, & vitam æternam, denique regni cælorum hæreditatem, transmutata iis, qui perfecta in fide communicant.* Omnes conspirant. Plures qui volet, à Bellarmino petat digestos ordine ætatum; à Garetio redactos in centurias; ab alijs confertim, veritati certissimæ adstruendæ, in aciem productos.

CAPVT XXVIII.

Sub speciebus occulitur, quæ illis apud Patres nomina.

FVgit panis, & pignori accidentia relinquit, quasi vestem. Sub ijs Christi corpus latet; vocarunt antiqui *Species.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica quarta, de mysterio communionis: *Num hoc corporeo prolato, vt istud diiudicetis vobis præcipitur? nequaquam, sed potiùs fide certa, & omnis dubitationis experti; gustantes enim, non panem & vinum, vt gustent, iubentur, sed quod sub specie est, videlicet panis & vini,*

corpus & ſanguinem Chriſti. Lanfrancus cap.8. *Quid ſecretius, quàm panis viniq́ ſpeciem conſpicere, ſaporem guſtare, tactum ſentire, & tamen mirabiliter operante Deo, veram carnem verumq́ ſanguinem credere, comedere, bibere?* Indeque *myſterium* Auguſtinus dici vult, libro de catechizandis rudibus, quòd myſterium & ſecretum idem ſint.

APPARENTEM PANEM. Macarius Ægyptius hom. 27. οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου, τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσιν, id eſt, *ſumentes ex apparenti pane, corpus Chriſti comedunt.* & Cyrillus catech. 4. ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. *apparens panis, non eſt panis, ſed corpus Chriſti.* Qui ibi loci *typos* etiam vocat, ac paulò pòſt ita ſe explicat: *Sciens & certiſſimò habens panem hunc qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti; & vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.*

Ἀντίτυπα. quæ Plotino contra Gnoſticos cap. 6. εἰκόνες τῶν ὄντων, ἀλλὰ μὴ τὰ ὄντα, *rerum imagines, non res eæ ipſæ*: nec enim ſpecies, panis vel vinum ſunt, ſed earum notæ & argumenta. Clemens 3. conſtitutionum c. 13. *Cùm autem tradidiſſet nobis antitypa myſteria.* Dionyſius Areopagita cap. de communione, Hilarius can. 30. in Matth. aliter antitypa ſumunt, nempe, vt typis opponuntur veteris legis, ἀντὶ τύπων, typorum loco, quia non nudi typi ſunt, rem enim quam referunt, conferunt. Species ergo panis vim panis ſignant, id eſt, ſuſtentationem & nutritionem; vini autem, hilaritatem ſpiritus, &c. Epiphanius homilia de reſurrectione: τὰ μὴ παλαιούμενα τοῦ νέου πάσχα ἀντὶ παλαιοῦ μυστήρια ἀντίτυπα, id eſt, *Non veteraſcentia noui paſchæ pro veteri myſteria antitypa.*

Τύπους. Nazianz. orat. 42. *Iam verò paſchatis participes erimus. Nunc quidem adhuc typicè, tametſi apertiùs quàm in lege veteri. Legale ſiquidem paſcha, nec enim dicere verebor, figuræ figura erat obſcurior, aliquanto pòſt autem perfectius & purius, tum videlicet cùm Verbum nouum illud nobiſcum in regno Patris bibet, patefaciens ac docens, quæ nunc omnino plenè demonſtrauit.* Quem Nicetas in commentario ſic explicat: *Paſcha noſtrum futuri paſchæ figura dici poteſt, quia quamdiu in hoc mundo verſamur, craſſiùs adhuc Chriſti participes ſumus, nempe per ſanctam ipſius carnem, illic autem veriùs ac perfectiùs,* &c. *Explanatiùs fortaſſe figuram dixerimus noſtrum paſcha, quia per ſpeculum adhuc videmus & in ænigmate, cùm ſub ſpeciebus Chriſtum ipſum habemus, habituri abſque velamine in cælis, figuram verò figuræ paſcha vetus, noui ſcilicet ſymbolum & prophetiam.*

EFFIGIEM. Iudocus Clichtoueus in lib. 4. cap. 14. Damaſceni de fide orthodoxa.

FIGVRAS.

FIGVRAS. Damaſcenus 4. fidei cap. 14. *Figuræ rerum futurarum dicuntur idcirco, non quòd non verè corpus & ſanguis Chriſti ſint, ſed quòd nunc quidem diuinitatis Chriſti participes per ea efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per ſolum aſpectum.*

SIMILITVDINEM. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis c. 4. *Fortè dicis, Speciem ſanguinis non video, ſed habet ſimilitudinem. Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, vt nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis.*

VELAMEN. Martinus V. contra errores Ioannis Wiclefi: *Si quis ſuſpectus fuerit ſuper præmiſsis articulis, iuxta hunc modum interrogetur; Vtrùm credat, quòd poſt conſecrationem ſacerdotis in Sacramento altaris ſub velamine panis & vini, non ſit panis materialis, & vinum materiale, ſed idem per omnia Chriſtus, qui fuit in cruce paſſus, & ſedet ad dexteram Patris?* &c.

Σύμβολα. Maximus de Eccleſiaſtica myſtagogia: καὶ τὰ παραδειχθέντα διὰ ἐνταῦθα αἰσθητῶν συμβόλων ἡμῖν ἀρχέτυπα χαρίζεται. *& largitur nobis archetypa myſteria, quæ nobis hìc per ſymbola ſub ſenſum cadentia oſtenſa ſunt.* Andreas Hieroſolymitanus Epiſcopus Cretenſis, homilia in Dominicam Palmarum: θύεται γὰρ ἐν ἀντιτύποις συμβόλοις ἱεροθετούμενος. *immolatur in ſymbolis antitypis conſecratus.*

SENSIBILIA. Odo Cameraci Epiſcopus expoſitione canonis: *Eſt myſterium fidei, quia quod creditur, ſenſibilibus quibuſdam obtegitur: nam verus ſanguis creditur, quod vinum viſu ſentitur & guſtu; eſt fidei myſterium, quia quod fides credit, intus eſt occultum. Intus eſt verus ſanguis, vera fide; exteriùs eſt falſum vinum, vera ſpecie. Sentitur vinum, & non eſt; non apparet ſanguis, & eſt. Senſus decipitur qualitate, certa tenetur fides rei veritate. Ideoq́; ſanguis dicitur fidei myſterium, quia ſanguinem fides credit intus occultum; apertum eſt quod ſentitur, occultum eſt quod creditur.*

QVALITATES. Hugo Epiſcopus Lingonenſis, qui ſub annum Chriſti Redemptoris 1050. floruit inſigni doctrina, epiſtola ad Berengarium: *Sicut Verbum Dei in carne inuiſibile fuit, manſit tamen quod erat: ſic iſta ipſa caro, quia iam in Verbo conſiſtit, quodammodo inuiſibilis facta, quodam iterum immutabili pioq́; conſilio, panis & vini quibuſdam qualitatibus occultatur, ſed ſpiritualibus oculis ipſa carnis veritas non negatur. Alioquin fides tanti myſterij deperiſſet, ſi cruor in calice fieret manifeſtus. Et ſi, vt in macello, Chriſti ruberet caro, rarus in terris eſſet, qui hoc non abhorreret.*

CAPVT XXIX.

Quomodo transſubſtantiatio fiat? Anne benedictione?

QVia Apoſtolus 1. Corinth. 10. ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Christi eſt; & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* Et quia Patres in eum fere modum loquuntur; Cyprianus de cœna Domini: *Panis ſubſtantialis, & calix ſolemni benedictione conſecratus.* Ambroſius lib. de ijs qui initiantur: *Probemus, non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq́; vim eſſe benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.* quidam putarunt conſecrationem benedictione à Christo factam. ita Innocentius Papa de myſterijs Miſſæ: *Sanè dici poteſt, quòd Chriſtus virtute diuina confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent: ipſe namque virtute propria per ſe benedixit, nos autem ex illa virtute quam indidit verbis.* Et D. Thomas eum locum explicans: *Cui benedicimus, id eſt, nos ſacerdotes conſecramus.* Odo Epiſcopus Cameraci expoſitione canonis: *Benedixit, ſuum corpus fecit, qui priùs erat panis, benedictione factus eſt caro; modò caro, iam non panis.* Deinde pergit: *Patet quòd panis accepta benedictione factus ſit corpus Chriſti. non enim poſt benedictionem dixiſſet, Hoc eſt corpus meum, niſi in benedictione fieret corpus ſuum.* Albertus Magnus de officio Miſſæ plures in illa opinione refert, qui dicerent: *Quòd virtute deitatis ſuæ ſine verbo & ſigno tranſſubſtantiauit, quia corporalibus verbis & ſignis Chriſtus vti non opus habuit, ſicut qui habuit poteſtatem excellentiæ, & non ſicut miniſter claue vtebatur. Sed quia nullus iſtorum probatur aliqua authoritate, & prima expoſitio dubium non habuit, ideò ſecundum plus placet inter iſta.* Id autem erat, *quòd ſigno quodam manus benedixit.* Deinde ſecundum, *Quòd verbo occulto, quo etiam panem in corpus ſuum tranſſubſtantiauit.* Ratiunculas quaſdam profert Stephanus Eduenſis de Sacramento altaris cap. 14. Prima: *Niſi in benedictione ſua corpus ſuum fieret, nihil aliud quàm panem communem frangeret, & diſcipulis ſuis daret.* Secunda: *Si benedictione ſua panem in corpus ſuum conuertit in verbis iſtis, Hoc eſt corpus meum, non reliquit nobis virtutem Sacramenti: quia priuſquam hæc verba diceret, benedixit, fregit, & dans diſcipulis, prædicta verba protulit, eis dans virtutem Sacramenti; quaſi dicat, Panem quem accepi, in corpus meum tranſſubſtantiaui; & illud do vobis. Propterea dicimus, & credimus, quòd cùm benedixit corpus ſuum fecit; & in his verbis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei,* &c. *data eſt virtus Sacramenti: dixit enim & facta ſunt. Vnde intelligendum eſt verba à Domino prolata, priùs*

dicta, & iterum repetita. Sic enim legendum est, Benedixit dicens, Hoc est corpus meum. Deinde fregit & dedit discipulis suis, iterum dicens, Hoc est corpus meum. Vel potest esse quòd benedictione facta tradens corpus suum discipulis prædicta verba protulit, eis dans virtutem Sacramenti. Eò tandem progressum, vt putarint quidam signum crucis Christum expressisse, & traditionem apostolicam censuerint. Sed respondeo, ex Alberto sine auctore & pondere hæc dici, adeoque gratis. admittoque signum crucis adhiberi meritò, non tamen manifesto Christi exemplo. Amalarius Fortunatus lib. 3. de officijs Ecclesiasticis cap. 24. *Si Dominus quando benedixit panem, fecisset crucis signaculum, ipsi norunt qui præsentes fuerunt, præsertim cùm nondum erectum vexillum sanctæ crucis; at modò necessaria est, dicente Augustino in expositione Euangelij Ioannis homilia 64.* Augustinus serm. de temp. 181. *Hoc signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri, & ceteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæ sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis, cum inuocatione nominis Christi, consecrantur.* Videretur profecto benedictioni signo crucis expressè consecrationem addicere, nisi seipse serm. 19. de Sanctis explicaret: *Cùm eiusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur, & in vniuersum omnia Ecclesiæ Sacramenta in huius virtute perficiuntur.* quasi dicat, crucis quidem signum adhiberi, sed interpositis verbis confici Sacramentum. Planiùs tractatu 118. in Ioan. *Quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Aduerte B. Augustinum dicere, *Nihil eorum ritè perficitur*; atque ideo consecrare quidem qui verbis sine benedictione vteretur, sed quia præteriret benedictionem, non ritè facere, sed peccare. Planissimè Chrysostomus homil. 55. in Matth. *Veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circumferamus. Omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cùm regeneramur, crux Domini adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis adsistit,* &c. Adsistit, concurritque ac sine crucis signo ritè in sacris nihil fit. Eisdem cum Augustino verbis vsus est Beda in cap. 19. Ioannis. Superiùs verò Amalarius probarat in consecratione obseruanda ea omnia quæ Christus circa eam gessit, idque ex Cypriano, cuius verba ad Cæcilium de Sacramento Dominici corporis sic citat: *Inuenimus non obseruari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus.* Mandauit autem expresse Christus, Hoc facite in meam commemorationem, scilicet quod ipse faciebat illi fa-

cerent; ſi igitur conſecrauit benedictione, non verbis, ſacerdos eadem conſecrabit. Argumentis Stephani duplici ratione fieri ſatis poteſt; Primò, ſi dixerimus verba conſecrationis à Christo poſt benedictionem dicta non fuiſſe, ſed Euangeliſtas potiùs ſignificare concomitantiam verborum Chriſti cum rebus geſtis, ſic tamen vt τεχνικῶς priùs facta verbis referant; nec verò determinent ſignatè, ecquando, & ad quam actionem verba enuntiarit: *Accepit, benedixit, fregit, dedit dicens,* &c. *Atque hoc pacto benedictio, & gratiarum actio per verba, conſecratio eſſe potuit. conſecratio enim efficax oratio eſt, & benedictio myſtica.* Ita colligere eſt ex authore ſerm. de cardinalibus operibus Chriſti, ſerm. de cœna Domini, vbi verba ſolemnia benedictionem ſolemnem vocat. *Secundò tamen prolata verba à Chriſto nihil nos cogit aſſerere, vt Stephanus voluit, quia facere poſſumus ſic feciſſe, Benedixit dicens; Hoc eſt corpus meum.* Deinde: *fregit, deditq́; diſcipulis ſuis.*

Secundò, Benedictionem præiuiſſe conſecrationi; ex textu græco, nam Matth. & Marcus εὐλογήσας ἔκλασε, Lucas & Paulus εὐχαριστήσας, *cùm benedixiſſet, cùm gratias egiſſet.* quod Iuſtinus Apologia ſecunda *gratiis actis* eſt interpretatus. Et Tridentinum ſeſſione 13. cap. 1. *Poſt benedictionem teſtatus eſt ſe dare corpus ſuum.* Innuit idem Eccleſiæ vſus in canone, vbi ad verbum *Benedixit* formatur crux, quæ Chriſti benedictionem repræſentat. Liturgia græca habet, Chriſtum, cùm gratias egit, & in cælum ſuſpexit, ſumpſiſſe vnà panem, eleuaſſe, ideo Patri oſtendiſſe, vt Dei nomen ac Spiritus ſancti virtutem ſuper eum inuocaret, benedictionemque adhibuiſſe, poſtulans propoſita dona commutari, &c. Confirmat Chriſti mos, ſemper enim in rebus maioris momenti ad Patrem conuertebatur, oculos ſuſtollebat in cælum, agebat gratias, &c.

CAPVT XXXI.

Quibus verbis fiat conſecratio?

VOtum Deſiderio Eraſmo fuit præfatione ad Paraphraſin epiſtolæ prioris ad Corinthios: *Vtinam illud ſaltem aperuiſſet Paulus, à quibus, quo tempore, quo cultu, quo actu, quibus verbis conſecrari ſoleat panis ille myſticus, & ſacroſancti Dominici ſanguinis potus.* Rationem dubij Lutherus ponit, vt oſtendat ſe nunquam niſi bardè ſtultum, & vt Marcionem Tertullianus appellat, *peponem*, libello de abroganda Miſſa priuata, formulam qua modò vtimur ab Eccleſia confictam, non vſurpatam à Chriſto. Feliciùs non inuenta reperta eſt Ioanni Bockeldo ſartori

tori Regi Iſraël Monaſterienſium Anabaptiſtarum anteſignano, qui his verbis vtebatur, teſte Lindano Dubitantij dialogo 2. *Accipe, ede, memento Domini.* Tum Waldenſibus, qui faciebant apud Guidonem Carmelitam lib. de hæreſibus Waldenſium cap. 9. dicendo *ſeptem Pater noſter.* Bruno quidem de officio Miſſæ, dicit per orationem Dominicam, & immiſſionem corporis Domini vinum conſecrari, vt populus poſſit plenè communicare. Auguſtin. ad Quodvultdeum hæreſi 17. Ophitæ: *Colubrum qui decepit Adam & Euam, Chriſtum arbitrantur, ſed habent etiam verum colubrum quem nutriunt & venerantur; qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens ſe circa eas regreditur ad ſpeluncam; & ita confingunt oblationes in Euchariſtiam, quaſi à ſerpente Chriſto, vt illi putant, ſanctificatas.* Confirmat Tertullianus de præſcriptionibus cap. 47.

Concilium Florentinum definiuit, & Eccleſiæ Catholicæ mentem protulit: *Forma huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit Sacramentum, ſacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum.* vbi duo docet, Chriſtum ſacerdotemque, qui Chriſti vice conſecrat, iiſdem verbis facere.

Gregorius Nyſſenus in oratione catechetica apud Euthym. in panoplia tit. 21. *Panis ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt dictum eſt à Verbo, Hoc eſt corpus meum.* ita & Chryſoſtom. hom. de proditione Iudæ, & hom. 2. in epiſtolam ad Timoth. 2. *Vt verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ ſacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt.* Ambroſius 4. de Sacramentis cap. 4. & cap. 5. Euſebius Emiſſenus ſermone de paſchate, Innocentius III. lib. 4. de ſacro myſterio altaris, Damaſcenus lib. 4. fidei c. 14. *Dixit antiquitus, Producat terra herbam virentem, atque ea etiamnum orto imbre fœtus ſuos producit, diuino præcepto impulſa, ac roborata. dixit Deus, Hoc eſt corpus meum, & hic ſanguis meus; & Hoc facite in meam commemorationem, atque omnipotenti ipſius præcepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur. His enim vſus eſt verbis donec veniat, & pluuia huic nouæ ſegeti per conſecrationem exiſtit ſancti Spiritus vis inumbrans.* Author ſerm. de cardinalibus operibus Chriſti, ſerm. de cœna Domini: *Manducauerant & biberant de eodem pane ſecundùm formam viſibilem, ſed ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ temporalis ſubſidium miniſtrabat: ſed ex quo à Domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus; quotieſcunque his verbis, & hac fide actum eſt; panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus ad totius hominis ſalutem proficit.*

A La

A Latinis Græci recentiores diſſident, quòd hi ad verba quæ Chriſtus protulit, precationes quaſdam adiiciant, quibus ſacerdos orat dona ſanctificari, ſine quibus nihil fieri cenſent. Catholicam Latinorum ſententiam hoc argumento probat Nicolaus Cabaſilas ab authoritate Chryſoſtomi, quod etiam conatur fruſtrà infringere: *Quemadmodum opifex ſermo,* (hic ſcilicet) *Creſcite & multiplicamini, ſemel quidem à Deo dictus eſt, ſemper autem operatur, ita etiam hoc verbum ſemel à Seruatore dictum perpetuò operatur: qui ergo ſuæ orationi magis confidunt, quàm verbo Domini, primùm quidem eam accuſant imbecillitatis; deinde ſibi ipſis magis videntur confidere, & tertiò rem tantam, nempe Sacramentum à re dubia, nempe humana ratione, volunt pendere, & quod oportet pleniſſimè credere, efficiunt plenum dubitatione. Non enim neceſſe eſt eum qui orat exaudiri, etiamſi ſit virtute Paulus.* Reſpondet comparatione inſtituta inter vtramque Dei ſententiam, *Creſcite & multiplicamini;* &c, *Hoc eſt corpus meum.* Vt enim priori ea vis impreſſa non eſt, vt quauis opera generationi impenſa ilico liberi ſequantur, ſed interdum effectu ſuſpenſo preces impendendæ, quibus prolem parentes impetrent: omitto alia naturæ munera, quæ concurrere debent, vt coitionem, nutritionem, & occulta quædam arcana: *ita credimus ipſum eſſe quod operatur myſterium, Domini ſcilicet verbum, ſed ſic per ſacerdotem, per eius interpellationem & orationem, non enim per omnia operatur ſimpliciter, neque quomodocunque, ſed multa ſunt quæ requiruntur, ſine quibus non faciet quæ ſua ſunt.* Verùm vt nos item aliquid reponamus, hoc dicimus, ea ipſa ſententia *Creſcite & multiplicamini;* nihil per ſe productum, ſed fertilitatem naturæ inditam, qua cauſis poſitis, nulloque impedimento interueniente, effectus, id eſt, ſperata proles ſuccedat. ijs verò Sacramenti verbis, Chriſtus ſacrum ſuum corpus pani fecit ſuccedere, voluitque, quemadmodum illi, ſacerdoti eadem ſuper apta materia iteranti nulla neceſſaria prece natura pareret, cederetque panis venienti Creatori. Per ſe igitur hæc verba producunt effectum, quod alia, niſi medijs à Deo conſtitutis, facere non poſſunt. Ea mens Concilij Florentini, in quo cum Latinis Græci conſpirarunt. Accedit ratio. Si enim ijs verbis tranſſubſtantiatio non fiat, ſed poſtea precibus fuſis ad Deum, falſus cum Chriſto ſacerdos erit, cùm dicet: *Hoc eſt corpus meum.* Quia adhuc tum panis erit, ſed per preces fiet Chriſti corpus.

Diſcrimen inter vtroſque eſt, quòd Græci abſolutè preces requirant conſecrandis corpori & ſanguini, Latini tantùm orent ſibi fieri, id eſt, vim ſpiritualem efficaciamque, ac fructum Sacramenti, ne quod venenum animæ in iudicium ſumant & condemnationem.

Ambro-

Ambrosius lib.4.de Sacramentis: *Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & quibus sermonibus? Domini* IESV. *Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur,* &c. Quod dicit consecratione, id est, IESV verbis transsubstantiatio fit, reliqua ceu parerga adiiciuntur.

CAPVT XXXII.

Vnde ea vis verbis sistendi Christum in Venerabili Eucharistia?

A Christo & Spiritu sancto. Chrysostomus homilia de proditione Iudæ: *Adest nunc quoque Christus qui illam mensam facit, ille ipse nunc etiam ornat: non enim est homo qui hæc munera facit corpus & sanguinem Christi, sed qui crucifixus est pro nobis Christus: figuram quidem adimplens adstat sacerdos illa verba pronuntians, potestas verò & gratia tota Christi est: Hoc est corpus meum, ait, hoc verbum res propositas transmutat.* Deinde: *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia.* Præclarè Cæsarius Arelatensis hom. 7. *Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbi sui secreta potestate conuertit.*

A Spiritu sancto. Augustinus lib.3.de Trinitate cap.4. *Non sanctificatur vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei.* Quare sanctum Spiritum demitti orant SS. Iacobus & Clemens in Liturgijs, & per preces has, ait Proclus tractatu de traditione diuinæ Liturgiæ, *Spiritus sancti aduentum exspectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificio panem & vinum aquæ permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Seruatoris nostri* IESV *Christi efficiat.* Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14. *Omnia quæcunque fecit Deus sancto Spiritu cooperante fecit, sic & nunc sancti Spiritus operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. Quomodo fiet istud, dicit sacra Virgo, quoniam virum non cognosco? respondit Gabriel Archangelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego; Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam. panis autem & vinum transsumuntur.* Basilius in anaphora, Spiritus sancti operationem graphicè exprimit, diaconi sacerdotisque munera referens: *Diaconus: Quàm veneranda est ista hora, & hoc tempus, dilectissimi: cùm Spiritus sanctus viuus è supremis cælorum sedibus descendit,*

atque incubat, manetq́ super hanc Eucharistiam propositam, eamq́ consecrat; tacitè igitur, & reuerenter orate. Sacerdos deinde inclinatus orat; tum sublata voce: *Domine exaudi me. Populus, Kyrie eleison. Sacerdos; Et efficiat panem istum corpus gloriosum Domini Dei nostri* IESV *Christi,* &c. *& calicem hunc sanguinem Domini Dei regnantis super omnia* IESV *Christi.* S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in theoria rerum Ecclesiasticarum: *Obsecrat* (scilicet sacerdos) *vt conficiatur mysterium filij eius, & fiat, siue transmutetur ipse panis & vinum, in corpus & sanguinem Christi & Dei, & impleatur hoc, Ego hodie genui te. Vnde & Spiritus sanctus beneplacito Patris, & voluntate Filij, inuisibiliter præsens submonstrat diuinam confectionem, & manu sacerdotis obsignat, & transmutat, Et conficit proposita, id est dona, in corpus & sanguinem Domini nostri* IESV *Christi.* Apud Sophronium Patriarcham in Prato spirituali cap. 150. visibilem se Spiritus sanctus dedit memorabili facto.

Expressum hoc in vita B. Vdalrici apud Bernonem Angiensem cap. 8. *Nam in ipsa solemni die S. Paschæ, multa fratrum caterua adstante, dum sanctus Sacerdos diuina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera diuina sanctificauit Sacramenta.* Quod sæpiùs deinde eidem accidit cùm ad aram fuit.

CAPVT XXXIII.

Forma integrè seruanda.

VItiare formam sine scelere non licet, vt blasphemè apud Iren. lib. 1. contra Valentinum cap. 18. hæretici faciunt in baptismo: *In nomine ignoti Patris omnium, & in nomine descendentis* IESV *ad vnctionem & redemptionem, & communionem virtutum. Alij autem & hebraica nomina superfantur, vt stupori sint, & perterreant eos, qui sacrantur, sic: Basama, Eacasama, Eanaa, Eranrista, Diarbada, Caeotaba, Fobor, Camelanti. Horum autem interpretatio est talis: Hoc quod est super omnem virtutem inuoco, quod vocatur lumen, & spiritus, & vita, quoniam in corpore renasci. Alij autem rursus redemptionem profantur, sic, Nomen quod absconditum est ab vniuersa deitate, & dominatione, & veritate, quod induit* IESVS *Nazarenus in zonis luminis, Christus Dominus, viuens per Spiritum sanctum in redemptionem Angelicam. Nomen quod est restaurationis Messiam, fac magno in Seenchaldia Mosomeda, Eaacha, Faronpseha,* IESV *Nazarene. & horum interpretatio est talis: Christi non diuido spiritum, cor, & supercælestem virtutem misericordem, fruor nomine tuo Saluator veritatis. Et hæc quidem profantur isti, qui sacrant. Qui sacratur autem respondet: Confirmatus sum, & redemptus sum,* &

& redimo animam meam, ab æone hoc, & omnibus quæ ſunt ab eo in nomine Iao, qui redemit animam eius in redemptionem in Chriſto viuente.

Regulam ſeruandam Algerus lib. 3. de Sacramento c. 13. præſcribit: *Si in ſolemnibus verbis vel reticendo, vel admiſcendo hæreſim inducunt, Sacramentum eorum vel veritate, vel vtilitate mutilatur, teſte Ambroſio in lib. de initiandis rudibus.* Deinde: *Si autem vel incuria vel negligentia, vel ignorantia aliqua erroris verba inſeruntur, non ideo Sacramentum minùs fieri credendum eſt, quia vt ſuprà dictum eſt, Deus interrogat veræ fidei radicem, non locutionis florem.* Niſi tamen ſenſus formæ vitietur.

CAPVT XXXIV.

Quæ inducere hominem ad credendum tranſſubſtantiationem poßint.

ALtius myſterium eſt quàm quod à nobis penetrari poſſit, fides tamen eò ducet. Guitmundus Auerſanus l. 1. de veritate Euchariſtiæ: *Non præcepit tibi Chriſtus, Intellige, ſed crede, quòd quidquid omnino fieri vult, fiat. Non enim prius intelligendum, vt poſtmodum credas, ſed priùs credendum, vt poſtmodum intelligas, nec Propheta Iſaias dixit,* Iſa. 7. *Niſi intellexeritis, non credetis, ſed niſi credideritis, non intelligetis.* Similia tamen manuducunt, quæ hîc dabimus, vt intellectus videat ſupra naturam id eſſe, non verò contra illam.

Generatio hominis. B. Samonas Gazæus Achmed Saraceno, clauum clauo, interrogatione interrogationem ſoluit. Dubitabat ille quo pacto verbis ſolemnibus in Chriſti corpus panis, vinumque in ſanguinem mutaretur: *Contrà,* inquit Beatus, *interrogabimus, cùm ratio carnalis generationis omnibus ſit perſpicua, quî humidum illud quod infunditur in procreationem animalis, in hominem conuertitur. Atqui nulla eſt ratio in hac re, quæ ratiocinatione aliquid probabile excogitare poßit. Quidnam enim commune definitio hominis collata cum illa qualitate quæ cernitur, habet? Nam homo eſt quiddam rationis particeps, viq́; intelligendi præditum, illud autem in humida quadam qualitate cernitur, nihilq́; amplius quã id quod ſenſu cernitur, comprehendit intelligentia; ſed virtute diuina illud conuertitur in hominem, qua ſublata perſtat immotum & inefficax. Si igitur illic nõ id quod ſublatum eſt hominem efficit, ſed virtus diuina transfert id quod apparet in naturã hominis, extremæ eſt inſcitiæ illic tantã tamq́; immenſam Dei potentiã atteſtantes, exiſtimare hîc Deum impotentẽ eſſe, vt adimpleat ſuam voluntatem.* Sed vrget Achmed: *Quid pani commune cum carne? Dic mihi,* inquit Samonas, *quæſo, quid commune humori cum imagine Dei? Verùm quemadmodum nihil eſt illic nouum*

uum & inauditum, si volente Deo humidum transeat in animal nobilissimum, ita etiam hîc pariter credendum est, non esse mirum, si virtutis diuinæ accessu ad immortalitatem panis transeat, & in Christi corpus conuertatur.

RERVM OMNIVM PRODVCTIO. D. Gaudentius Brixiensis serm. 2. ad Neophytos: *Ipse naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest & promisit, efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, & de vino fecit sanguinum suum.*

MIRA IMPOSTORVM ARTE EDITA. Anastasius Nicenus quæst. 23. in Script. stupenda rerum euenta & mutationes commemorat, quæ transsubstantiationem minùs incredibilem reddunt, maximè cùm Deus plus dæmone possit; & ex ijs plurima transsubstantiationis similitudinem præ se ferant. *Iannes & Mambres Moysis tempore virgas suas in serpentes, & aquam in sanguinem mutantes, ranarum multitudinem ex aquis produxerunt, adeò vt iis repleretur Aegyptus,* &c. *Rursus autem Simon qui fuit Magus tempore Apostolorum, quàm multa phantastica fecit signa? statuas faciebat ambulare, & in igne volutatus non vrebatur, in äere volabat, & ex lapidibus faciebat panes, serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur, duas habebat facies, in aurum conuertebatur, fores clausas aperiebat, in conuiuiis exhibebat spectra formarum omnis generis, vasa quæ erant in ædibus faciebat videri tanquam quæ sua sponte mouerentur ad ministerium, iis qui portabant, non visis; efficiebat, vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas mortuorum; multos autem tentantes eum dicere præstigiatorem cùm eos esset allocutus, & deinde conuiuij prætextu bouem sacrificasset, & eos conuiuio excepisset, variis morbis & dæmonibus subiecit. Et à Cæsare aliquando quæsitus & territus, aufugit, sua forma alij imposita.* Pergit de Iuliano, Apollonio Tyaneo, Apuleio, præstigiatoribus sub Domitiano dicere, quæ illi præter naturæ ordinem gesserint dæmonis adminiculo.

Miracula suggerit plurima B. Ambrosius libro de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. *Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens, rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ. Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subitò de fontium venis sanguis cœpit erumpere: non erat potus in fluuiis. Rursus ad Prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit. Circumclusus vndique erat populus Hebræorum, hinc Aegyptiis vallatus, inde mari clausus, virgam leuauit Moyses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit,* &c. *Sitiebat populus, parum tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura?* &c. Quàm transsubstantiationis

non

non vmbra, ſed propriè ea ipſa? De vxore Lot, quæ Domini præceptum præterierat Geneſis 14. *Reſpicienſq; vxor eius poſt ſe verſa eſt in ſtatuam ſalis.* S.Bononius Locedenſis Abbas ea abſtinentia erat, vt etiam in paſchate vinum reijceret, miniſtro autem duobus poculis, vno aquam, vinum altero ferente, ex priore viro ſancto fundit, ſigno crucis præmiſſo: bibit Bononius, viditque vinum eſſe. Mandat ergo vinum effundi, & infundi aquam: ita fit, ſed illam conſignat, & Deus tranſmutat in vinum. quod ille aduertens ſuccenſet miniſtro, aquam ſe non vinum popoſciſſe, dictitans. Famulus perſiſtit aquam fuſam fuiſſe. Tertiò idem agitur, & Sanctus gratias Deo refert pro incredibili in ſe amore & beneficentia,&c. Ex manuſcripto antiquo codice.

Fortunatus ad Germanum Epiſcopum Pariſienſem de vita Marcelli Epiſcopi Pariſienſis: *Cùm ſubdiaconi miniſterio fungeretur,* (ſcilicet beatus Marcellus) *in die Epiphaniorum hauriens aquam de fluuio Sequanæ, dum B.Prudentio Epiſcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis vini ſapor inuentus eſt. Quo viſo obſtupeſcens Pontifex iuſſit ex ipſo vrceo in calicem ſacrum infundi, vnde vniuerſus populus Miſſa celebrata, ad communionem accepit, & ipſum vas cùm ad plebis multitudinem ſuffeciſſet, ac ſi non tactum & integrum, ſic plenum permanſit: cuius vini myſtico beneficio poſtea multi infirmi ſanati ſunt.* Simile ſubiungit de aqua conuerſa in balſami liquorem: *Cùm vir ſanctiſſimus quadam vice ex ſui officij ſeruitute, aquam manibus venerabili Epiſcopo porrexiſſet, mox inde balſama cœperunt fragrare, & dum vnda curreret, viſa ſunt chriſmata reſpirare, vt penè Pontifex crederet ſuas manus magis vngere, quàm lauare, & alteras aquas quæreret, vnde priores vndas ablueret.* De aqua in vinum mutata, exempla quamplurima ſuppetunt, vt eſt illud quod Canonici Cremonenſes referunt in vita S.Homoboni ſui ciuis, & Diui tutelaris: *Cùm prædiolum ceteris diuenditis, & in egenos erogatis, ſibi ac pauperibus ſeruaſſet, eoq; foſſoribus vinum aliquando ferret, occurrere ei mendici aliquot ab eo petentes: quibus vir ſanctus ſumma cum animi hilaritate, & frontis lætitia porrexit. Sed cùm exhauſti fere forent canthari, nec propter vxoris acerbitatem auderet domum reuerti, eos aqua repleuit, ac benedixit. Vinitores autem ſeſe nihil vnquam ſuauius guſtaſſe aſſerentes, quærebant vnde tam bonum vinum habuiſſet. Vir Dei, qui optimè ſciret quod feciſſet, arbitratus ſe derideri, bibit & ipſe incomparabilis bonitatis vinum, gratiaſq; Deo cuius eſſet illud opus, maximas egit, nec tamen, vitandæ inanis gloriæ cauſa, quæ imprudentium hominum omnem rectè factorum mercedem furtim prædatur, quod factum fuerat cuiquam dicebat, nec exire, nec in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant, dum aquam in vaſa infunderet, cùm & ipſi vinum guſtaſſent, hoc miraculum ceteris prædicauerunt.*

Hucbaldus Elnonensis eo die quo beata Feldegundis beatorum Amandi,& Auberti Episcoporum consilio sua omnia in ecclesiam & pauperes distribuisset, sub noctem *dum ipsa iubente ministri sibi deferrent ad potandum aquam de fonte, qui nuptiarum celebratoribus in Cana Galilææ vinum ex aqua largitus est, ipse fontis aquam sponsæ suæ refocillandæ mutauit in mirabilis vini saporem. Quod factum cùm omnibus ancillis Dei in monasterio innotuisset, tantus amor Domini Christi mentes earum inflammauit, vt intuitu dilectionis illius, nulla deinceps aliquid terrenum possidere curaret.*

Nec profuit quod tegere vellent fastus vitandi ergo, Deus qui videt in abscondito reuelauit, vt Anonymus in Radbodo Vltraiectensi Episcopo testatur: quando laicus quidam Episcopo familiaris, *crebrò eum inuisens, experiri volebat eius abstinentiam: Aliquando enim ad mensam assidens, & more vsitato cum eo colloquens, tandem petit sibi copiam fieri bibendi ex poculo, quod erat pro consuetudine illi appositum; quod quidem erat ex onyche factum, congruenterq́, ornatum auro, sed aqua plenum. Vbi quid tum miri effecerit Deus per seruum suum, mirabilis in Sanctis suis, res ipsa sileri non patitur. Non sinit Episcopus, vt ille ex poculo bibat. nolebat enim in aliorum notitiam deduci, quid in illo esset: sed tamen oblata quadam oportunitate, alter clàm arripit poculum. Episcopus verò id aduertit, sed cùm prohibere non posset iam quin biberet: suspirat ad Deum, & ingemiscit. & ecce, antiquo renouato miraculo, aqua mutatur in vinum optimum. Id sentiens explorator ille, ad pedes sancti Antistitis aduoluitur, petit veniam, spondet deinceps nihil tale attentaturum.*

Nec vinum ex aqua tantùm benedictione, sed ex marmoreo vase vitreum fecit S. Maclouius Aletanus Episcopus, teste Sigeberto ad Tietmarum Gemblacensem Abbatem, pluribus miraculis vnà coniunctis. *Vigiliam paschæ,* inquit, *Christianus populus celebrabat, & in celebrandis Missæ mysteriis sacerdos erat intentus, & ecce tristes defuncti exhibentur exequiæ, & animos audientium ad compatiendum monent plangentium lacrymæ: plus cunctis mouetur & ipse sacerdos, qui totus erat in misericordia, & præstolari iubet dum finiatur Missa. Circumstante frequentia populi monet omnes appellare clementiam Domini, vt qui dominatur morti & vitæ, dignaretur per membra rigentia vitalem animæ calorem refundere. Nec longum fuit, & qui dixit, Omnia possibilia sunt credenti, deuotioni fidelium adfuit; resurgit mortuus, & horrorem incutit omnibus, & palam fecit omnino Deum fauere fideliter petentibus. vt viuus adstitit, poculum vini sibi porrigi petit. Quid sanctus vir faceret? vinum quod sitienti porrigeret, non habebat; aquæ poculum quod porrigebat, tangere sitiens nolebat. Iterum confortatus in fide recurrit ad fontem misericordiæ, petens, vt qui orationi fidelium impenderat maius, dignaretur*

gnaretur impendere & id quod erat minus. Mox habens ad manum vas marmoreum, leuata manu illud benedicens, vertit in vas vitreum, & infundens vasi aquam, per virtutem sanctæ benedictionis mutauit & illam in vini naturam: sicq; in vase vitreo porrigens homini rediuiuo noui vini poculum, non minimum diuinæ pietatis ostendit omnibus miraculum.

Alia sunt, quæ probabilem fidem faciant: vt quod Gregorius Turonensis lib. 5. historiæ Francorum cap. 33. refert contigisse: *Apud terminum Carnotensem, verus de effracto pane sanguis effluxit.* Et Paulus Orosius libr. 5. historiarum ad Aurelium Augustinum cap. 18. *Apud Aretinos, cùm panes per conuiuia frangerentur, cruor è mediis panibus, quasi è vulneribus corporis fluxit.* Ioannes Brugmannus Franciscanus 2. p. cap. 8. quæst. 10. prodidit B. Liduuinam virginem iacentem super paleas, intentamque diuinis exercitijs visitatam à Domino; Angelos videbat, vnum quidem qui se tangeret, & ilico sensit se sanam; alios crucem, lanceam, clauos, cæteraque insignia passionis ferentes, & alios adsistentes lectulo, Dei autem parentem Virginem, ipsum adeò Christum, forma pueri speciosissimi: reposuit se ille in lectulo, & virginem blandulus intuebatur. Mox in virum mutatus, sanguine totus rubebat, spinea coronatus, & colore affectus quo solent mortui. illum intuens, gaudio ac mœrore afficiebatur, mente eius in eius lucem absorpta, lumen & ardorem Christus diffundens, impressit ei sancta vulnera. Illa quidem læta, sollicita tamen ne quid in eam inde gloriæ deriuaretur, orauit, *Maneat obsecro Domine, hoc dignationis tuæ sacramentum inter te & me, sufficit enim mihi gratia tua.* Texit noua cutis vulnera, sed dolor perpetuus fuit. Beatam matrem deinde vidit arma passionis excipere ab Angelis, & sibi præbere osculanda. Ad lectuli pedes crucem vidit, & ex ea Christum cum profluente sanguine, qui abitum simularet. Hoc illa indoluit, ô Domine, inquit, da vestigium præsentiæ tuæ, antequam abeas. Tum in speciem formosissimæ hostiæ mutatus, supra illam se vertit, ac tandem constitit in munda mappula. Pater qui misceri hæc verba inter Christum & virginem audierat, cubiculum ingressus, resedit ad filiæ lectulum, rogauit nunquid fieri vellet, & quis ei adfuisset. Tum filia, rogo pater, surge ocyùs, habeo enim apud me crucifixum Dominum. territus ille actutum surrexit, viditque hostiam pulcherrimam, inclamat viciniam; omnes aduolant, vident hostiam, sed non omnes vno modo, quæ nec tam parua erat, vt quæ in laica communione distribuuntur; nec tam magna, quàm sacrificantes vtuntur. *Radij eius extremam oram orbiculatim*

biculatim ambiebant, intus habebat Crucifixi imaginem cum cruentis vulneribus; in latere vno ſpeciatim hærebat supernè gutta vna piſi dimidij magnitudine. Paſtor aduocatus adeſt, ſed iratior. Quid, ait, id noctis me vis? Vide mi pater, inquit. Video, ait ille, commentum dæmonis. Non ita, ait, mi pater; Deus eſt qui te meque creauit. Omnibus digreſſis Parochus quærit quid de hoſtia fieri velit. illa inquit, diuino monitu, Vt eam mihi porrigas. Satanæ commentum vt porrigam? Non ſatanam, ait, ſed Dominum meum. Tandem diſſuaſit quidem ſumere, quòd illuſionem diceret, dedit tamen, & illa miro perfuſa gaudio permanſit. Et teſtata res eſt per magiſtratum Schiedamenſem, viros nobiliores vrbis, & Matthiam Epiſcopum, qui nocte illa crebrò monebatur, Schiedamum proficiſceretur. Illuſtriſſimus Bellarminus lib. 3. de Vener. Euchariſtia cap. 24. allatum anno 1585. dicit fragmentum ligni conuerſum in lapidem manentibus ligni accidentibus, figura, aſperitate, colore: quod quidem ita verum lignum videbatur iudicio oculorum, vt ſanè qui rem non nouiſſet, iuraturus fuiſſet, non lapidem, quod erat, ſed lignum quod non erat, fuiſſe.

Simile, ſed multò illuſtrius, prodit ſanctus Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum cap. 108. adeò certum teſtatumque, vt ſe vidiſſe, ac manibus tractaſſe adſerat: *Quidam*, inquit, *pauper & ſenex venit ad littus maris: & accedens ad portum petere eleëmoſynam à nautis cœpit, atque illi, qui primus carinæ erat, importunior adſiſtebat, dicens: Da mihi aliquid. Tunc ille commotus, ait, Abſiſte, quæſo, decrepite, & noli à nobis quærere quicquam: nihil enim hîc præter lapides habemus. At ille ait: Si lapides dicis eſſe quæ ex tuis ditionibus nauis hæc continet, omnia vertantur in lapides, & ſtatim cunctum nauis onus, quod mandi potuit, in ſaxum conuerſum eſt. Ego enim ex his & dactylos vidi, & oliuas adſpexi marmore duriores; nam cùm in lapidis duritiam fuiſſent conuerſa, nunquam tamen colorem, quem habuerunt, perdiderunt, niſi eadem forma eademq; ſpecies erat. Dominus autem nauis pœnitentia ductus, inquiſitum ſenem nunquam potuit reperire: & ſicut ferunt, per multas ciuitates, de iis quæ in ſaxum mutata fuerant, ad videndum direxit, vt ſcilicet exemplum eſſet omnibus, ne ſimilia perpetrarent.*

Multa conglobat Helvvicus lib. 7. de ſimilitudinibus rerum, cap. 9. & confert Vener. Euchariſtiam libro, quem D. Ioannes vidit ſignatum ſigillis ſeptem ob miranda ſeptem, quæ ibi eſt inuenire: *Primum eſt, quòd ſit de pane non mutatum, ſed manẽs idem*; & *ponitur*, inquit, *à quibuſdam exemplum; ſicut cognitio mea mediante voce, ſit tua manens mea. Secundum eſt, quòd tanta magnitudo ſub tam parua ſpecie tota latet: & ponunt quidam exemplum, ſicut in parua pupilla oculi totus mons magnus recipitur, vel videtur.*

videtur. Tertium est, quòd totum corpus per os hominis intrat non diminutum, eadem potentia, vt quidam dicunt, qua clauso vtero de Virgine exiuit, & etiam de sepulchro. Quartum est, quòd comeditur non consumptum, & non diuisum: & ponunt aliqui exemplum in sensu visus: sicut viror herbæ ab oculo videntis, quasi quidam eius cibus suscipitur, nec tamen ipsa herba minuitur, vel diuiditur. Quintum est, quòd ab immundis tangitur, sine contagione sui, sicut lumen solis recipitur in re fœda, nec tamen fœdatur. Sextum est, quòd à pluribus sumitur, & in pluribus locis conficitur, nec tamen augetur, vel minuitur; sicut si multæ candelæ ab vna accendantur, illa vna propter hoc nec minuitur, nec augetur. Septimum est, quòd est ibi quantitas sine quanto, cuius exemplum propriè non est in natura dare, vel alicubi reperire.

CAPVT XXXV.

An ergo plures Christi?

QVæstionem hanc B. Samonæ Achmed ante annos propè mille proposuit, & hæc ratio dubij erat. Cùm Christus in omnibus hostijs sit, & singulæ diuidi adhuc possint, & ipse sub minimo frustulo maneat, difficillimum intellectu videtur, vbique eundem esse; & crudele, diuidi membra, quæ certo nullo modo tot hostijs partibusque respondere possint.

Si quæris modum, inquit Lanfrancus Cantuariensis lib. de Eucharistia, *quo id fieri possit, breuiter ad præsens respondeo; Credi salubriter potest, vestigari vtiliter non potest.* Similia lucem dant, quæ pulchra habet S. Samonas. *Quispiam habens speculum allisit terræ, & in multa fragmenta comminuit, in singulis tamen fragmentis vmbram sui saluam quis videre possit: sic intelligat oportet ex hac vmbra, carnem Christi esse saluam, atque integram in vnoquoque frusto, quocumque tempore, quoties, & vbicumque frangitur.* alterum: *Omne verbū quod homo proferendo emittit, & qui loquitur ipsum audit, atque intelligit, & qui circumstant: etsi multi sunt qui audiant, non tamen diuisum, sed integrum audiunt. Eodem modo ponendum est, & affirmandum in corpore Christi: illud Christi sacrosanctum corpus asidens Patri, apud eum manet, quin etiam panis consecratus per sacerdotem, in verum Christi corpus transformatus potentia diuina per accessum sacrosancti Spiritus, licet diuidatur, tamen integrum & saluum in vnoquoque frusto seruatur, vt etiam oratio eius qui loquitur, omnibus qui audiunt integra, nec diuisa auditur. In iis exemplis quæ sub aspectum & sensum cadunt, peruicaces, nimiumq; curiosos ad intelligenda Dei mysteria, quæ supra naturam, rationem, intelligentiam, & supra nos sunt, adducimus. Cùm igitur panis sanctificatus in partes diuiditur, qui sacro-*

ſanctum Chriſti corpus eſt, ne exiſtimes quòd particulatim diducatur, aut auellatur, aut more membrorum à ſe auulſorum diuidatur incontaminatum illud corpus: nam immortale eſt, & incorruptibile, quodq́ nunquam exhauriri & conſumi poterit; ſed quòd partitio ea eſt accidentium quæ ſub ſenſum cadunt, dumtaxat poſt ſanctificationem, ad fidei robur & exhibitionem ſigni viſibilis rerum quæ permanent, ſimul & in arrhabonem, & viaticum parandæ nobis vitæ æternæ. Eadem de Verbo habet Innocentius l. 4. de myſterio altaris cap. 27. *Vnus & idem, & tunc & nunc, & hic & alibi ſacrificatur ab omnibus, totus in cælo, & totus in altari ſimul, & ſedet ad dexteram Patris, & manet ſub ſpecie Sacramenti. Miraris quòd Verbum Dei iuxta Sacramenti virtutem totum ſimul in diuerſis locis exiſtit, & non miraris, quòd verbum hominis iuxta vocis naturam, totum eſt ſimul in auribus diuerſorum. Quid quæris naturam in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe natus de Virgine? ſic ergo Chriſtus in diuerſis locis eſt vnus, ſicut in ſingulis partibus eſt totus.*

Accedunt exempla hominum qui diuerſis in locis ſimul eodem in tempore viſi. B. Seuerus Sulpitius, epiſtola ad Baſſulam ſocrum ſuam cap. 28. & Gregorius Turonenſis lib. 1. miraculorum S. Martini cap. 5. *Eo tempore* (quo ſcilicet è vita D. Martinus exceſſit) *B. Ambroſius, cuius hodie flores eloquij per totam Eccleſiam redolent, Mediolanenſi ciuitati præerat Epiſcopus; cui celebranti feſta Dominicæ diei, iſta erat conſuetudo, vt veniens lector cum libro, non antea legere præſumeret, quàm nutu Sanctus præcepiſſit. Factum eſt autem vt illa die Dominica prophetica lectione iam lecta, ante altare ſtante qui lectionem B. Pauli proferret, beatiſſimus antiſtes Ambroſius ſuper altare obdormiret. Quod videntes multi, cùm nullus eum excitare præſumeret, tranſactis fere duarum aut trium horarum ſpatijs, excitarunt eum, dicentes; Iam hora præteriit, iubeat Dominus Epiſcopus lectori lectionem legere, exſpectat enim populus valdè iam laſſus. Reſpondens autem B. Ambroſius, Nolite, inquit, turbari, multum mihi valet ſic obdormiſſe, quia miraculum magnum Dominus mihi oſtendere dignatus eſt. nam noueritis fratrem meum Martinum ſacerdotem de corpore egreſſum fuiſſe; me autem eius funeri obſequium præbuiſſe, peractoq́ ex more ſeruitio capitellum tantùm vobis excitantibus non expleui. Tum illi obſtupefacti pariter, & admirantes, diem & tempus notant; qui ſolicitè requirentes, ipſam diem tempuſq́ reperiunt, quo beatus Confeſſor dixerat, ſe eius exequijs deſeruiſſe.*

Apud Laurentium Surium 1. Februarij S. Seuerus ex textore Epiſcopus Rauennas inter celebrandum ad epiſtolam, ſomno graui corripitur. Et quòd moram longiuſculam faceret, impatientes miniſtri ſacras veſtes leuiter concutiunt. Quid habes, inquiunt, pater? populus hîc te frequens præſtolatur, dormis? ille verò ad ſe reuerſus, Quid

facitis,

facitis, inquit, fratres? quid turbatis? Ego etsi vobiscum hîc corpore fui, at spiritu alibi versabar, ignoscat vobis Deus. Eram in sancta Mutinensi Ecclesia, & animam coëpiscopi mei Geminiani Domino commendabam, mansique illic dum humatum esset corpus illius. Rauennates extemplò mittunt, qui quærant de valetudine Episcopi; audiunt sepultum: & addebant Mutinenses, *Certè Dominus Seuerus Archiepiscopus vester, & noster, præsens hîc adfuit; eiusq; animam Deo ritu pontificio commendauit, nec abscessit donec sepulturæ corpus datum est.* Hinc colligunt eo ipso tempore cùm ad aram dormitasset, Mutinæ sepulturæ viri Dei interfuisse.

Petrus Gregorius syntaxis artis mirabilis t.4.l.8.c.19. refert S. Frontonem vnum ex 70. discipulis Petragoræ in episcopali Ecclesia cùm sacrum faceret, eodem ipso tempore Tarascone exequijs S. Marthæ hospitæ Christi interfuisse, & huius rei testes chirothecas reliquisse, quas etiamnum ibi in prouincia Prouinciæ religiosè seruant.

Antonio Patauino familiare fuit hîc & alibi esse, vt auctor anonymus in vita: *Eo tempore, quo apud Montem pessulanum vir sanctus prælegebat, quodam solemni die concionabatur omni & clero & populo auscultante. Sermone inchoato occurrit animo se officium quoddam sibi iniunctum alteri non demandasse. Moris illic erat, vt in præcipuis Dei solemnitatibus duo insignes fratres sub summo sacrificio alleluia canerent, quod officium tum incumbebat viro Dei. Itaque magno quodam mærore affectus, in pulpitum caput cucullo operiens sese reclinabat, & coram omni illa auditorum frequentia sic aliquamdiu permansit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodum olim S. Ambrosius legitur B. Martini funus, licet procul corpore abesset, curasse; & S. Franciscus, vt suprà annotauimus, fratribus suis in Arelatensi conuentu siue capitulo apparuisse. Eo autem munere diligēter perfunctus, ad se rediit vir Dei, & sermonem inchoatum est egregiè prosecutus.* Et cap.21. *Eiusmodi quippiam etiam apud Lemouicenses illi contigisse ferunt; vbi cùm in nocte natiuitatis Christi in summa æde ei concionandum esset, & eodem tempore in nocturno officio lectio apud fratres in suo monasterio recitanda: cùm vtrumque simul præstare non posset, rogauit Dominum, vt is sua virtute impleret, quod humana ope fieri nequiret: & ita eodem tempore, & lectionem illam in fratrum choro visus est legere, & in primario templo sermonem habuit.* De BB. Ambrosio, Antonio, Francisco, confirmat D. Bonauentura in vita D. Francisci c.4.l.1. *Capitulis verò prouincialibus quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per solitam curam regiminis, instantiam precis, & efficaciam benedictionis spiritu præsens erat: quamuis aliquando mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret. Dū enim egregius prædicator, qui & nunc Christi præclarus Cōfessor,*

Antonius, de titulo crucis, IESVS *Nazarenus rex Iudæorum, in Arelatensi capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis, Monaldus nomine, ad ostium capituli, diuina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis B. Franciscum in aëra subleuatum, extensis, velut in cruce manibus benedicentem fratres. Tanta verò, & tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, vt de vera sancti Patris præsentia, certum eis intra se spiritus testimonium præberet: licet postmodum id non solùm per euidentia signa, verùm etiam per eiusdem sancti Patris verba, exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sanè, quòd omnipotentis Dei virtus quæ Ambrosium pium & sacrum Antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, vt pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam seruum suum Franciscum prædicationi præsentauit veracis sui præconis Antonij, vt approbaret veritatis eloquia, præcipuè crucis Christi, cuius erat baiulus & minister.* De Laurentio Iustiniano Bernardus illi homonymus factum commemorat, *genere præclarum, magnitudine rarum, & fama nobilissimum. Sacra quædam virgo erat magnæ sanctitatis. Hæc per multos annos, abstinentia, vigiliis, orationibus steterat ante Dominum. Accidit autem vt solemnitate corporis Christi, neque sorores aliæ, neque ipsa communicare diuinis mysteriis posset: & cùm ægrè ferrent, & illa in primis sanctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia prope monasterium esset, vt si gratiam communicandi eo die habere non posset, ipse saltem dignaretur dum celebraret, pro ancillis suis orare. Promittit Laurentius. Cùm autem celebraret ad populum, post eleuatum Sacramentum factus extra seipsum est; detulitq́ue eum spiritus ad illam mulierem in cella clausam, & contemplationi vacantem, quæ fortè tunc miro quodam desiderio communicandi teneretur, & sacra illi mysteria communicauit, siue in corpore, siue extra corpus, Deus scit. Ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad seipsum reuersus ab illo pietatis officio reliquum Missæ peregit. Quum autem virgo illa quod acciderat, sacerdoti nuntiasset, sacerdos patriarchæ, iussit, vt gratias omnipotenti Deo ageret, non sibi: & vt nunquam donec viueret manifestaret.* Deinde confirmat illud exemplo Ambrosij, qui B. Martini; & Seueri Rauennatis Episcopi, qui Mutinæ Geminiani exequijs interfuère.

B. Franciscus Xauerius, vt refert Horatius Tursellinus l. 5. cap. 2. de vita B. Xauerij, cùm Sinas peteret, naui vehebatur Bungi regis legati, ad quam scapha adligata erat. tempestate oborta, scapha abruptis retinaculis momento temporis omnium oculos conspectumque effugit; & nauis ipsa penè obruta non semel omnes in desperationem vocauit. Vnus erat B. Xauerius qui animos adderet, & spem in Deo reponendam hortaretur. post preces cum feruore & lachrymis fusas læto vultu spondet, & præsenti periculo defungendos, & scapham redu-

reducendam Deiparæ interuentu, cui tria sacra deuouerat: ter malum adscendit nescio quis è nautis, nec scapham erat dispicere. tandem tamen comparet, & recta ad onerariam tendit, in salo ac fluctibus tam diu stetit quoad religaretur ad nauim. reduces in onerariam recepti: cùm *vellet nauta scapham inanem ac iam religatam submouere: clamarunt, priùs B. Xauerio manum porrigeret, qui adhuc in scapha resideret. respondenti nautæ Xauerium in naui esse, ac fuisse ante ipsorum reditum, certatim illi adfirmarunt, nimirum quamdiu ipsos in scapha tempestas agitasset infesto vagantes mari, Franciscum adfuisse, cunctosq; solantem, & ad spem salutis excitantem scaphæ cursum ad onerariam direxisse.*

CAPVT XXXVI.

Quale corpus Christus in Venerabili Eucharistia exhibuerit?

QVæstionem hanc plurimi Patrum mouerunt. Innocentius III. lib. 4. de mysterio altaris, cap. 12. Algerus lib. 1. cap. 9. & hic quidem his verbis: *Quæritur autem, cùm Dominus ante passionem Discipulis Sacramentum corporis sui dederit, quando erat naturæ passionibus obnoxium, si ita incorruptibile & immortale dederit illud in Sacramento sicut datur nobis modo, maximè cùm dixerit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur.* & quæstioni propositæ respondet: *Non est mirum, si ille qui ante passionem se transfigurauit in tale corpus, quale post resurrectionem habiturus erat, & post resurrectionem ostendit corpus suum vulneratum, & palpabile, quale ante passionem habuerat; ita immortale dederit corpus suum in Sacramento, quod erat moriturum, sicut post resurrectionem suam idem corpus suum quod erat inuulnerabile, ostendit vulneratum: sicut hoc, sic & illud diuinæ potentiæ adscribatur.* Vult ergo, quod apud Innocentium quidam dixerunt, *quòd Christus mortalis vtique fuit, sed voluntate, non necessitate.* quod vt ostenderet, *quando voluit, mortalitatem deposuit, & immortalitatem recepit. Legitur enim in Euangelio, cùm Iudæi duxissent* IESVM, Luc. 4. *vsque ad supercilium montis, vt eum præcipitarent, ipse transiens per medium illorum ibat. Cùm esset ducendus, teneri se, sicut passibilem tolerabat; sed cùm esset præcipitandus, sicut impassibilis, per medium illorum ibat.* Sumebat, ponebatque iterum dotes gloriosi corporis cùm vellet: *Subtilitatem, cùm nasceretur ex Virgine: claritatem, cùm transfiguraretur in monte: agilitatem, cùm incederet supra mare: impassibilitatem, cùm manducaretur in cœna.*

Alij aliter apud eundem censent, nempe diuersa ratione & munerarium, & munus eundem fuisse, sed modo planè dispari. Etenim *sicut ipse veraciter erat qui dabat, & qui dabatur; ita in eo quod dabat, erat passibilis & mortalis, & in eo quod dabatur, erat immortalis & impassibilis. Corruptibile Christi corpus erat, sed quod ad mensam sederet; incorruptibile quod dabatur.* Hi profectò concedunt, posito quòd pars aliqua Sacramenti per triduum mortis Christi reseruata fuisset, idem corpus simul & iacebat mortuum in sepulchro, & manebat viuum sub Sacramento: in ara crucis patiebatur, & sub forma panis non lædebatur. Quod etsi ipse minùs probat, quia eadem natura simul mortalis, & immortalis videretur, nihil tamen obstat. Idem siquidem Antonius Patauinus cantabat, & ad populum verba faciebat; idem Ambrosius sacris operabatur, & D. Martini funus prosequebatur, &c.

Tertiò, suam quoque mentem depromit, sed modestè admodum: *Potest*, inquit, *salua fide concedi, quòd tale dedit, quale tunc habuit, mortale videlicet, passibile.* Valebat Christus quod volebat, quid verò voluerit, quis dicat? Hoc satis constat, modò habere nos Christum in Eucharistia nescium pati, immortalem, beatum. quare Dionysius Alexandrinus apud Franciscum Turrianum lib. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 10. & 11. Paulum Samosatenum eo in errore versantem dignè refutat, & Iudæis Christum in crucem figentibus comparat. delirij ansam verba hæc insano homini dederant: *Accipite & diuidite inter vos.* Diuidi siquidem corpus non nisi mortale poterat. Verùm refellentem Dionysium audiamus: *Hæc cùm dicit Paulus Samosatenus, ignorat quod Apostolus dicit in epistola ad Hebræos cap. 10. Quanto magis deteriora putatis mereri supplicia qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Conculcauit eum Iudas, & nunc Paulus Samosatenus, vt placeret Satanæ, qui eum delegit, in sanguinem viuificum, & in Spiritum sanctum insurrexit, eum conculcans. Etenim si sanguis Christi est corruptibilis, quia diuiditur & funditur, reperietur quoque Spiritus sanctus corruptibilis, vt sanguis vitæ. Siquidem scribit Lucas in Act. Apostolorum cap. 2. Cùm complerentur dies Pentecostes,* &c. *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Deinde inferiùs: *Spiritus sanctus effusus super omnem carnem manet plenus, & sanguis Dei sanctus, ac viuificus ex profundo diuini lateris effusus manet plenus, & Christus idem qui se exinaniuit, & sanguinem suum incorruptibilem, & viuum ac viuificum nobis effudit.*

CAPVT XXXVII.

Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.

QVæres cum Nicolao Cabaſila in expoſitione liturgiæ, cap. 9. *Quánam de cauſa hæc iuſſit, aliquò reſpiciens hanc recordationem à nobis exegit?* Reſpondebit ille: *Ne ingrati & immemores eſſemus. Eſt enim benefactoribus ab iis, qui beneficio affecti ſunt, quædam relatio, eorum meminiſſe, & eorum per quæ beneficio affecti ſunt. Huius autem conſeruandæ memoriæ homines multas rationes excogitarunt; ſepulchra, ſtatuas, columnas, dies feſtos & celebres, certamina: quorum omnium vnum eſt inſtitutum. Non ſiuere vt viri præclari & præſtanti virtute, obliuioni mandentur, tale etiam eſt id quod dicit Seruator: Alij quidem alia obliuionis quærunt remedia, vt recordentur eorum, qui ipſos beneficio affecerunt; vos autem in meam recordationem hoc facite: &, vt ciuitates fortium virorum, per quos victoriam aſſecutæ ſunt, vel qui eis ſalutem attulerunt, aut res earum rectè geſſerunt, nomina columnis inſcribunt; ita etiam his donis nos mortem Domini adſcribimus, in qua vniuerſa ſita fuit aduerſus malignum victoria.*

Florus Magiſter in exegeſi Miſſæ: *Panis & calicis oblatio mortis Chriſti eſt commemoratio & annuntiatio: mortis autem Chriſti commemoratio eſt caritatis eius commendatio, qui tantum dilexit nos, vt moreretur propter nos.* Ideoque Cæſarius Arelatenſis ait hom. 7. de paſchate: *Qui corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis & ſanguinis conſecraret, vt celebretur iugiter per myſterium quod ſemel offerebatur in pretium; vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua etiam eſſet redemptionis oblatio, & perennis victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia, verè vnica & perfecta hoſtia fide æſtimanda, non ſpecie, non exteriori cenſenda viſu, ſed interiori adſpectu.*

Stephanus Eduenſis de Sacramento Altaris cap. 16. *Quoties hæc Sacramenta conficimus, paſſionem Domini memoriter tenere debemus & mortem; corde & opere Chriſto gratias agentes, qui per guſtum aſſumptæ humanitatis nos inuitat ad guſtum, ſcilicet ad amorem & cognitionem ſuæ diuinitatis.*

Quæres ſecundò, cum Paſchaſio lib. de corpore & ſanguine Domini cap. 4. Si commemoratio, myſterium, figura Sacramentum hoc dicitur, quî veritas ſimul dici poſſit?

Reſpondet.

Reſpondet. *Figura eſt dum frangitur, dum in ſpecie viſibili aliud intelligitur, quàm quod viſu carnis & guſtu ſentitur, dumq́; ſanguis in calice ſimul cum aqua miſcetur. Porrò illud fidei Sacramentum, iure veritas appellatur. Veritas ergo, dum corpus Chriſti & ſanguis virtute ſpiritus in verbo ipſius ex panis viniq́; ſubſtantia efficitur: figura verò, dum ſacerdos quaſi aliud exterius gerens ob recordationem ſacræ paſſionis ad aram venit, & quod geſtum ſemel eſt, quotidie immolat agnum.*

CAPVT XXXVIII.

Accipiens calicem, &c. De materia, forma calicis. De apparatu denique cœnico menſæ Chriſti.

QVem calicem Euangeliſtæ, Coſmas Hieroſolymita hymno 6. craterem vocat, eſtque metaphoricè intelligendus, vt notat Odo Cameracenſis ad Odonem monachum Affligenienſem, nempe id quod continet, pro eo quod continetur; id eſt, vas pro liquore vini & aquæ, quem calix continebat. Cui claritas attribuitur, *non præ fulgore, ſed pro dignitate Sacramenti*, ait Stephanus Eduenſis, de Sacramento Altaris, cap. 16. illique conuenit illud pſal. 22. *Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt!*

Materiam ac formam illius videamus. Tenuem eum aliqui comminiſcuntur. In his eminẽt hæretici, qui cum ratiunculis Patrum quædam loca conglobant, quæ ipſi malè capiunt, vel in quibus hi etiam hæſitarunt. Chriſtus ergo his vili apparatu cœnauit; amans enim paupertatis, luxum faſtumque omnem execratur. Probant ex Clemente Alexandrino l. 2. pædagog. c. 3. ὁ κύριος τρυβλίῳ ἐπώψατο εὐτελεῖ, καὶ κατέκλινεν τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τῆς πόας χαμαὶ, &c *Chriſtus*, inquit, *in vili catino cibum ſumpſit, & fecit diſcipulos ſuos ſuper herbam accumbere, & pedes eorum lauit, præcinctus linteo: Deus* ἄτυφος *faſtum deteſtatus omnium Dominus, numquid argenteum lauacrum è cælo detulit*? Quos feriunt hæc iſta? Euangelium, quod atrium grande ſtratum locum fuiſſe vult cœnæ Chriſti, non viridarium aliquod ſub dio. Mens Clementi fuit docere, Chriſtum verè demiſſo animo fuiſſe, idque vel cùm pleno in campo, non aulæis ſtrato cubiculo ſequaces ſuos excepit, vel cùm in cœna vltima Apoſtolis ad pedes accidit, &c.

Secundò, Chryſoſtomus hom. 60. ad pop. *Non erat illa menſa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo ſanguinem proprium Chriſtus ſuis dedit diſcipulis, pretioſa tamen erant illa omnia, & tremenda; quoniam erant Spiritu plena*, &c.

Hæc

Hæc eò isti producunt, quia vellent Ecclesijs ereptas gazas, suas facere; & Chrysostomum cum Ambrosio, Hieronymo, Bernardo, alijsque longa serie, quando egentes leuandos potiùs inopia, quàm intempestiuis opibus ac muneribus ditanda templa, & animis potiùs gaudere Deum, quàm apparatu exteriori, prolixè docent. Chrysostomus ergo se ipse liberet, loco quem antea citaui. *Non putemus satis ad salutem, si viduis & pupillis expilatis aureum calicem & gemmatum offeramus. Vis honorare sacrificium? Offer animam propter quam immolatũ est, hanc fac auream: si autem plumbo maneat & testa deterior, vas autem sit aureum, quid vtilitatis? Itaque nec hoc consideremus, vt aurea vasa dumtaxat offeramus, sed etiam vt iustis laboribus. Hæc enim sunt & aureis pretiosiora, quæ auaritia carent: nec enim aurificina est, aut argentaria officina Ecclesia, sed Angelorum concio, ideo nobis aureis opus est animis.* Et inferiùs: *Discamus philosophari, & Christum, vt ipse vult, honorare. Honorato iucundissimus honor, quem ipse vult, non quem nos putamus. Nam & Petrus se eum honorare putabat, cùm sibi pedes eum lauare prohibebat. Sed non erat honor, quod agebat, sed contrarium. Sic ergo & tu fac, vt vult ipse, diuitias expendens in pauperes. Nec enim aureis vasis Deus eget, sed aureis animabus.* Sed Nota sequentia. *Et hæc dico non prohibens eiusmodi oblationes fieri; suadeo autem cum his, & ante has eleëmosynas exhiberi; hæc enim suscipit, sed illam multò gratiùs,* &c.

Opinationem suam de calice Stephanus Eduensis profert, lib. de Sacramento Altaris, nempe simile vero videri luteum, vel ligneum.

Gabriel Biel lect. 52. in canonem Missæ, nihil certi statuit, tantùm vult talem fuisse, qui deceret Christi paupertatem. *Sacerdos*, inquit, *calicem factum de auro & argento, vel vbi paupertas Ecclesiæ cogit, de stanno; Christus autem, qui Apostolis suis possessionem auri interdixit, non creditur fuisse vsus calice aureo, vel argenteo, sed fortè nec stanneo, qui paupertatem suam nobis declarans, ait, Vulpes foueas habent,* &c.

Sed contrà alij faciunt, qui calicem & apparatum reliquum eximium ac pretiosum iudicarunt. Beda de locis sanctis c.2. *In platea, quæ martyrium & Golgotha continuat, exedra est, in qua calix Domini scriniolo reconditus, per operculi foramen tangi solet & osculari; qui argenteus calix hinc inde duas habens ansulas, sextarij gallici mensuram capit; in quo illa est spongia Domini potus ministra.* διώτη fuerit, & ἀμφικύπελλον ex Aristarchi mente in Etymologico, διὰ τ̃ ὤτων ἑκατέρωθεν περιφέρειαν.

Formam, materiam, mensuram expresse habes publicè multos annos propositam, vt diffiteri non debeas. Barradius to. 4. lib. 2. cap. 11. calicem credi ait Valentiæ esse, & seruari adhuc modò. addit Andreas Victorellus in aphorismos Emmanuelis Sa verb. Calix *ex lapide agatha*

esse. Singulatim discutienda supellex, de qua quidem constet.

Lagenam siue amphoram aquæ testaceam dicit Chrysostomus enarr. 26. in Matth.

Pelluuium ex ære fuit. ita me monuit Nobil. & Clarissimus vir Caius Hopperus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protonotarius, ex M. Ioan. de Fercourt Hannone libro quem de peregrinatione Hierosolymitana vernacula lingua scripsit. Verba latinè sic reddo: *Ad vicesimum septimum Septembris vnà cum sociis Cyrenas in Cypro delato variæ reliquiæ monstratæ sunt: inter cæteras ænea quædam crux, quæ, rudi licet minerua sit, miracula tamen edit quotidie quàm plurima. Constat etiam vulgò eam non ex alia materia, quàm ex pelui fuisse, in qua Dominus* IESVS *pedes Discipulis lauit, initium ducens à Petro.* Quo loco author ostendit Vener. hanc crucem suo sæculo, id est, ad annum Domini 1439. quo peregrinationem suam absoluit, adseruatam in Cypro fuisse summa cum religione. Sed inde Rhodum translatam vult Bartholomæus à Saligniaco Protonotarius Apostolicus, I. V. Professor, in itinerario Terræ sanctæ: *In ciuitate Rhodiorum in præcipuo templo sancti Ioannis Baptistæ crux ænea visitur, quam conflatam ferunt ex materia peluis, qua Dominus in nocte cœnæ lauit pedes Discipulorum suorum.* quod sub annum 1522. contigisse debuit, quo ipse finem peregrinationi suæ imposuit.

De linteo monuit idem Vir CL. nempe id circa annum Domini 1376. in templo S. Andreæ Constantinopoli seruatum. Sed quia authorem nullum laudat, credemus piè fieri id potuisse, non asseremus certò contigisse.

Lego apud Leonem in chronico Casinensi lib. 2. cap. 34. *His diebus,* (anno videlicet 1013.) *Monachi quidam ab Hierosolymis venientes particulam lintei cum quo pedes Dominus Discipulorum extersit, secum detulerunt, & ob reuerentiam sancti huius loci hîc deuotissimè obtulerunt, sexto Idus Decembris. Verùm cùm plurimi fidem denegarent, illi fide præditi particulam ipsam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est: amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter rediјt. Cumq; cogitarent quomodo vel vbi pignora tanta locarent; dispositione Dei contigit, vt eodem die mitteretur huc loculus ille mirificus, vbi nunc condita est lintei ipsius particula, argento & auro gemmisq; opere Anglico, subtiliter ac pulcherrimè decoratus. Ibi ergo amoto crystallo cum omni veneratione locata est, morisq; est annis singulis ipso die cœnæ Dominicæ ad Mandatum Fratrum à mansionariis eam deferri, & in medium poni, duoq; ante illam accendi candelabra, & iugiter,*

donec

donec impleatur Mandatum, ab Acolytho incensari. Demum iuxta finem Mandati à singulis per ordinem Fratribus flexis genibus deuotißimè adorari, & reuerenter exosculari.

Catinum eundem cum paropside fuisse, & quidem quadrangulum fictilem putat Diuus Thomas in 26. Matth. ex Rabano Mauro. *Paropsis est vas escarum quadrangulatum à paribus aßibus. id est, æquis lateribus dictum. Catinum verò vas fictile, aptum ad immittendum liquorem, & potuit fieri, vt in mensa vas fictile quadrangulatum contineretur.* Sic ferè Zacharias Episcopus Chrysopolitanus lib. 4. in vnum ex quatuor cap. 1. *Quod verò Matthæus paropsidem, Marcus catinum dicit, vnus quadraturam vasis, alter quia esset fictile designat.* Sed parum felix est beatus Thomas in originationibus. Primus Cabilonensis smaragdinum facit, in reliquiarum locis: *Genuæ seruatur catinum smaragdinum, in quo Dominus cum Apostolis cœnauit.* Idemque in topographia confirmat. Addit verò Erasmus Stella hoc catino gemmam nullam certare, & ex Herodis cimelijs fuisse, qui ex Galilæa Hierosolymam cogitarat visere, vt pascha celebraret, vt suprà monitum. Apud Barradium quidam censent vel smaragdum fuisse, vel saltem in smaragdum commutatum.

Mappam seruat Societas Iesv Olysippone in D. Rochi, inter sacra lipsana. Credunt piè beatæ Mariæ manu elaboratam. Nam libello hispanico de Reliquiarum solemnitatibus sacræ illius ædis, carmine ad mappam,

Hac Deus in mappa posuit sua fercula, & artis
Pro pretio, Mariæ sat mihi nosse manum.

Fuisse acu pictam insertis lilijs:

Admirans aliquis textum admirabile, dixit,
Te Mariæ eximia texuit arte manus.
Quàm bellè depingit acu, quæ lilia nectit
In Christi vestes ingeniosa manus?

Culter ad D. Maximini est prope Treuiros.

Panis azymus, mundus, triticeus, integer, vt suprà singulari disceptatione vidimus, sed & rotundus fuit, vt Epiphanius in anchor. opinatur.

Vinum rubrum fortasse, si Eudoxia Imperatrix in ὁμηροκέντροις, de Christo. §. de fractione panis, non obsecuta magis Homerico carmini, quàm rei ipsi:

Atque poculum pulchrum, quod ipsi palmæ congruebat
Ambrosia implens miscuit nectar rubrum.

Et Petrus Pontanus consideratione 16.

Sacrum rubro de fonte liquorem
Efficit, & puro sumendum rumine præbet.

Hæc vt poëta forsitan poëticè tantùm confinxit.

Hæc ego sic statuo, vt nihil asseram. profero tamen quæ reperi; addat, corrigat qui repererit certiora.

CAPVT XXXIX.

Qui calices olim in vsu?

HInc statuunt Ecclesiastica & sacramentalia munia non tam ampliter & magnificè obiri debere, obiiciuntque præter paupertatis studium à Christo in cœna, vt ipsi quidem suo more nugantur, vsurpatum, etiam idem priscis temporibus in vsu fuisse. Nam apud Walafridum Strabonem lib. de rebus Eccles. cap. 24. & Radulphum Decanum Tungrensem de canonum obseruantia, propositione 23. *Ecclesiæ martyr & Episcopus Bonifacius, interrogatus si liceret in vasis ligneis Sacramenta conficere, respondit; Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc è contrà lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Quod apophthegma item eruunt ex Triburiensi Concilio canon. 18. Quibus cum Walafrido respondeo: in hoc sicut & in reliquis cultibus magis & magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiæ. Nascente siquidem primùm Ecclesia lignei in vsu calices erant, sed quia bibuli imbuebantur sacro sanguine, à Zepherino Papa lib. de Pontificibus Rom. in Zepherino, in vitreos mutati. Exemplum habemus apud Hieronymum ad Rusticum: *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini vimineo canistro, & sanguinem portat in vitro.* Et ad vitreum alludit Tertull. de pudicit. cap. 10. *Ego eius Pastoris sculpturam haurio, quæ non potest frangi.* alludens ad fragile vitrum in quo Pastor pictus. Durarunt ex vitro ad Gregorij Turonensis ætatem, de gloria Mart. c. 16. factum hoc narrat. Festo scilicet quodam Mediolani in basilica S. Laurentij Diacono deferenti ad altare, calix crystallinus excidit, quem coniunctum colligit, ac frusta imponit aræ, eumque post vigilias lachrymasque ac preces reperit integrum. Sed tandem ex vitro exclusi, quòd fragiles, Remensi Concilio.

Ex metallo sapor displicuit, eo tamen vsi Gallus & Columbanus. Ita enim Gallus cùm Ducis Gunzonis filiam dæmone liberasset, & dona largiter oblata in pauperes distribuisset, Magnoaldo dicenti, Pater, habeo vas argenteum, pretiosum, cælaturis insigne; si vis reser-

uabo

uabo illud, vt ſacri vaſa miniſterij ex eo faciamus; ille reſpondit, Fili, memor ſententiæ B. Petri Apoſtoli, quam paralytico ſperanti pecuniam protulit; Argentum, inquiens, & aurum non eſt mihi, ne contrarius exemplo inueniaris ſalubri, vas quod poſſides pauperibus conferre curato: nam præceptor meus beatiſſimus Columbanus in vaſis æneis Domino ſolet ſacrificium offerre ſalutis. quia fertur & Saluator noſter clauis æreis cruci affixus.

Marmorei calicis meminit Georgius presbyter in Theodoro archimandrita Siceorum, cuius in cœnobio nondum ſupellex argentea vlla erat. Archidiaconum ergo B. Theodorus Conſtantinopolim ablegat, calicis argentei emendi cauſa. redit, refertque vas ſingulare qua materiam, qua formam ſpectes. Cùm autem adhibendum eſſet ſacrificio, quaſi ſordidum & inutile Sanctus illud reiecit; laudat Archidiaconus ab arte, à pretio. Ita eſt, inquit Sanctus, pretioſum eſt, ſed vſus infecit; demus nos in preces, & videbis vnà mecum ſordidum, quod modò non vides. & eccum, ſordidum videbatur, vt eſſe argentum ſolet cùm è camino educitur; recepitque illud Archidiaconus in manus, & reſtitutum eſt nitori. Reuertit Conſtantinopolim, reddit opifici cum cauſa; ſtatim ille commeminit ex argentea meretricis ſitula conflatum, & vas purius dedit.

Ex ſtanno, argento, auro adhuc obtinet. Et de aureis quidem & argenteis nimis conſtat habitos in Eccleſia, & ſacrificio adhibitos. Nam apud Prudentium ijs Tyrannus inuidet,

Libent vt auro Antiſtites,
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroq́; nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

Quin ante Diocletiani tempora apud Auguſtinum lib. 3. contra Creſconium Gramm. cap. 29. *Calices duo aurei, item calices ſex argentei*, in Cirtenſi Eccleſia reperti à Paulo Epiſcopo traditi ſunt. Id habet ex Actis proconſularibus ſub Zenophilo conſulari. Confirmat acta ſub Minutio Felice, vbi reperimus *duos calices aureos, argenteos ſex, vrceola ſex argentea, cucumellum argenteum, lucernas argenteas ſeptem.* Inhiabant his iſtis Donatiſtæ, & rem ſuam inde faciebant, ſacrilega prophanatione. Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Donatiſt. *Fregiſtis etiam calices Chriſti ſanguinis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis: paſſi etiam eſtis comburi manus veſtras, quibus ante nos*

eosdem calices tractabatis, eam rem tamen paßim vendi iußistis. Emere forsitan in vsus suos sordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vasa in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium! ô facinus inauditum! auferre Deo quod idolis præstes, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

Nec sumptui parcebant, pingebant, cælabant. Tertullianus de pudicit. cap. 7. *A parabolis licebit incipias vbi est ouis perdita, à Domino requisita, & humeris reuecta; procedant istæ picturæ calicum vestrorum, si in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrúmne Christiano aut ethnico peccatori de restitutione colliniet?* Nota, eo in errore Tertullianum fuisse, vt putaret ethnicum tantùm, non item Christianum lapsam ouem quæsitam, repertamque esse, & cap. 10. *Patrocinabitur Pastor quem in calicem depingitis.* Meminit & B. Remigius imaginati calicis in testamento.

Addebant pondus. Author vitæ Pontificum cap. 45. de Sixto III. *Calices ministeriales duos obtulit pensantes singulos libras tres.* & ornatum ex gemmis. Anastas. in Gregorio II. *Hic fecit calicem aureum præcipuum diuersis ornatum lapidibus pretiosis, pensantem libras triginta, similiter & patenam auream pensantem libras octo & semis.* Epiphanius Episcopus Constantinopolitanus Hormisdæ Papæ, extat inter epistolas Hormisdæ tom. 1. epistolarum Roman. Pontif. *Indicia autem nostræ secundùm* IESVM *Christum Dominum nostrum caritatis per viros reuerentißimos destinamus ad administrationem diuinæ culturæ & sanctæ Apostolicæ vestræ Ecclesiæ, calicem aureum gemmis circumdatum, patenam auream, & alium calicem argenteum, vela serica duo, quæ suscipere vestram beatitudinem supplicamus cum illa caritate quam vos habere in Deum non dubitamus.* Cæsarius lib. 1. cap. 9. de sancto Engelberto Coloniensi Archiepiscopo narrat, quòd *calicem aureum ex gemmis pretiosis, à diuersis regibus illi mißis, valoris, vt aiunt, plus quàm quingentarum marcarum, ad honorem domus Dei fieri curauit, quem deuotus super altare B. Petri Apostolorum principis obtulisset, si non priùs de passionis calice bibisset.*

Rarum est de beato Saluio qui à pretio & æstimatione martyrium venabatur. Nam apud Antoninum 2. par. tt. 14. cap. 5. *Habebat S. Saluius ministerium ecclesiasticum aureum, vestimenta ex auro & gemmis ornata, cingulum aureum gemmis & margaritis intextum, quæ omnia vbique ferebat secum coram omnibus scienter, vt ita perueniret ad palmam martyrij: & videtur hoc intelligendum de vestibus sacris in quibus celebrabat. Hæc autem concupiscens VVinegardus filius Gerardi homo leuis & proteruus omnia fecit ei auferri, & de calice & patena fecit sibi fieri sellam auream, & virum Dei misit in carcerem; qui seruum suum mittens, eum interfici fecit, & discipulum eius.*

eius. Seruus autem non est hoc ausus, donec ei Sanctus præcepit.

Hanc Seruator regulam supellectilis Ecclesiæ in regula Saluatoris pro Ordine S. Brigittæ cap. 21. præscribit: *Sciendum etiam est quia tredecim erunt altaria, & quodlibet altare vno contentabitur calice: summum verò altare duos calices habeat cum duobus paribus ampullarum, & duobus paribus candelabrorum, vnam quoque crucem, & tria thuribula, quorum vnum habendum est singulis diebus, duo verò in festiuitatibus, & vnam pyxidem pro corpore meo. Insuper omnino caueatur, ne plura de argento, vel de auro in possessione habeantur monasterij. Quoniam nec aurum, nec argentum, siue gemmas, sed gratiam meam continuis studiis, deuotis orationibus, & diuinis laudibus sibi coaceruabunt pro thesauro. Licebit etiam reliquias Sanctorum auro vel argento seu gemmis, secundùm ipsarum mensuram, sine omni superfluitate operiri.* Vbi vides Christum religiosæ paupertati prospicere, cùm non vult prophanam supellectilem sumptuosam esse, vult tamen sacram auream, argenteam, gemmeam esse.

CAPVT XL.

Quot calices in cœna Christus habuit?

PAschasius Corbeiensis lib. de corpore & sanguine Domini ex Luca inducit duos: *Vnum priùs post agni comestionem, antequam panem acciperet; alium verò postquam benedixit ipsum panem, ac fregit & dedit Discipulis suis.* vt ex textu videtur liquidò constare v. 17. & v. 20. Rationes sunt symbolicæ.

Primò, quasi Christus *in eorum vno, id est primo, passionem suam voluerit exprimere: in alio verò fidelium suorum passionem præfigurare.*

Secundò, quasi voluerit *in vtroque calice illud ostendere quod in veteri testamento præceptum est, vt qui pascha non primo mense agnum comedendo egerat, in secundo mense in hœdi comestione perageret, ac propterea duos calices Discipulis Dominum tradidisse.* Vtrumque testamentum calix vterque designat, cùm ille ad agnum, hic ad mysterium corporis pertineat.

Sed ratiunculæ sunt à numeris nullo pondere, quia plures etiam mysticæ contrà faciunt. Ad Lucam ex Paschasio repono. *Quia anticipauerat de eo dicere, rursus recapitulando bis eum commemorat.* Videbit ex vero hoc dici qui litteram consuluerit, præsertim accedente Ecclesiæ sanctione edita à Gregorio secundo ad Bonifacium Germanorum Apostolum, cùm Dennal Presbyterum

Romam

Romam ad Apoſtolicam ſedem cum quæſitis deſtinaſſet: *In Miſſarum ſolemniis obſeruandum eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctis ſuis tribuit Diſcipulis, accepit namque calicem dicens, Hic eſt calix,* &c. *Marci* 14. & *Luc.* 22. *Vnde congruum non eſt duos vel tres calices in altario ponere cùm Miſſarum ſolemnia celebrantur.*

CAPVT XLI.

An vino puro puto, impermiſto vtendum?

NImis quàm turpiter hîc hallucinatus Tatianus fallax vulpes, & ſacrorum rituum fœdior ſimia, qui apud Epiphan. hæreſi 46. *Myſteriis ſimiliter vſus eſt ad imitationem ſanctæ Eccleſiæ, verùm aqua ſolùm in iiſdem vtebatur.* Alibi accedebat, vt ſimplicioribus imponeret, hîc vt ſit nouus, ſolus ſolam, ſed auius viam ambulat. Illum cum aquarijs omnibus Philaſtrius hæreſi 30. perſtringit.

Alij timore olim vino abſtinebant, qui manè antelucano tempore ad Synaxin conueniebant; ne verò tam matutino odore Chriſtiani deprehenderentur, non vino ſed aqua vtebantur. Hos grauiſſimè Cyprianus erroris monet epiſtola 63. ad Cæcilium: *Cæterùm omnis religionis & veritatis diſciplina ſubuertitur, niſi id quod ſpiritualiter præcipitur, fideliter reſeruetur, niſi in ſacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per ſaporem vini redoleat ſanguinem Chriſti. Sic ergo incipit & à paſſione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus diſcit de ſanguine eius & cruore confundi. Porro autem Dominus in Euangelio dicit; Qui confuſus me fuerit, confundet eum filius hominis. & Apoſtolus loquitur, dicens, Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Quomodo autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere?*

Vtriſque reuincendis ſufficit Chryſoſtomi duplex ratio, hom. 83. in Matth. Prior, quia apud priores tres Euangeliſtas genimen vitis legimus: *quæ vinum non aquam producit.* & altera quam per interrogationem inſtituit; *Cur non aquam, ſed vinum poſt reſurrectionem bibit? Pernicioſam quandam hæreſin radicitus euellere voluit, eorum qui aqua in myſteriis vtuntur; ita, vt oſtenderet, quia cùm hoc myſterium tradidit, vinum tradidit, etiam poſt reſurrectionem ſine myſterijs in ſimplici menſa vino eſt vſus.* Eccur vinum? Theophilus Patriarcha Alexandr. lib. 3. Allegoriar. in Euangelium: *Per genimen vitis populum ſignificat Iudæorum, quem negat ſe aſſumpturum, niſi in regno Patris ſui, id eſt, niſi in fide ipſius crediderint.*

Aliò adhuc iuit inſania. in lacte conſecrarunt, de quibus Conc. Bracarenſe

carense 3. prooemio: *Quidam in sacrificiis Domini relati sunt lac pro vino offerre; Eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam.*

Alij mel & salem addiderunt apud Paschasium exposito ad Fradegardum: *Ad vltimum quæso, ne sequaris ineptias de tripartito Christi corpore, non salem & mel in eo admisceas quod quidam voluerunt, nec aliud adiicias, nec subtrahas; sed totum vt Christus instituit, ita esse credas, & intelligas, quatenus ille per hoc in nobis concorporatus maneat, sicut & nos in illo per hominem Deum, quem assumpsit; cui iurauit Deus Pater, Tu es sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, & non secundùm deliramenta quorundam. Idcirco Apostolorum sequenda est traditio, ne vnusquisque nostrûm suam præsumat cœnam ad manducandum; eorum itaque fides, eorum instituta seruanda.* Concilium Antisiodorense canon. 8. *Non licet in altario in sacrificio diuino mellitum, quod mulsum appellatur, nec vllum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum offerre, quia ad grandem reatum & peccatum pertinet presbytero illi, quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione sanguinis Christi offerre præsumpserit.* Canon Apostolicus 3. *Si quis Episcopus aut presbyter præter ordinationem Domini quam de sacrificio instituit, alia quædam, puta aut mel aut lac, aut pro vino siceram super altare obtulerit, vt qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor.*

Mitto Gnosticos, homines blasphemè impios, de quibus Epiphanium hæresi 26. & 27. consuli malim, ne vel mihi calamus vel Lectori aures pestilenti scripto fœdentur.

Ad Oenopotas me conuertam, in quos B. Nicon de Armenorum religione, *Qui in pane mystico non vtuntur azymis, & in sacrum calicem aquam non immittunt.* Peccant non tantùm in Ecclesiæ præceptum apud Micrologum de Ecclesiasticis obseruationibus, cap. 10. quo *S. Alexander Papa V. à B. Petro constituit, vt panis tantùm & vinum aqua mistum in sacrificio Domini offeratur.* Sic Alexander ipse epistola ad orthodoxos, *Non decet in calice Domini aut vinum solum* (contra Armenos) *aut aquam solam* (contra Hydroparastatas, & Aquarios) *sed vtrumque permistum offerri.* Denique Concilium Triburiense 26. Episcoporum in Germania pro tuenda episcopali authoritate constitutum anno 895. licet Sigebertus in chronico ad annum 899. reiiciat, cap. 19. sic habet: *Ne vllus sine commistione vini & aquæ mysteria sacra conficiat, sed vt duæ partes sint vini, quia maior est maiestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi: tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.* Sed etiam in traditionem Apostolicam. Florus Magister, qui Caroli Calui tempore floruit, in exegesi: *Sciendum verò quòd eundem calicem Dominici*

 sanguinis

ſanguinis iuxta obſeruantiam Eccleſiæ Catholicæ ab Apoſtolis traditam, niſi mixtum aqua offerre non licet.

Standum etiam inſtitutioni, extra quam qui abit, errat. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium: *Si* IESVS *Chriſtus Dominus, & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſeipſum obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit; vtique ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Deinde gratiam ſimplicitati & ignorantiæ facit: *Si quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter, non hoc obſeruauit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi; nobis verò non poterit ignoſci qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus, vt calicem Dominicum vino miſtum ſecundùm quòd Dominus obtulit, offeramus.* Ideò ſanciuit Carthaginenſe III. cap. 14. nihil offerendum niſi quod ipſe Dominus tradidit, id eſt panis & vinum aqua miſtum, nec amplius offeratur quàm de vuis & frumentis. Chriſtum autem tribus his ſubſtantijs vſum, ſecundùm Eccleſiæ vſum Liturgici docent. Nicolaus Methonenſis de corpore & ſanguine Chriſti: *Similiter & calicem ex vino & aqua temperatum ſanctificauit, deditq́, nobis, dicens, Bibite ex eo omnes.* D. Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in Anaphora: *Similiter autem & calicem vini nati è vite poſtquam cœnarunt accepit, miſcuitq́, aquis, gratias egit, benedixit, ſanctificauit, ac guſtauit, & diuiſit Diſcipulis ſuis, & Apoſtolis ſanctis,* &c. S. Marcus Euangeliſta in Liturgia: *Similiter & calicem poſtquam cœnauit accipiens, factaq́, vini & aquæ commiſtione,* &c. B. Iacobus frater Domini in Miſſa diuina: *Similiter poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aqua, & adſpiciens in cælum, ac oſtendens tibi Deo & Patri, gratias agens,* &c.

His conſpirant Patres. Hieronymus in Marci 14. *Formans ſanguinem ſuum in calicem vino & aqua miſtum,* &c. Theodoretus dialogo 1. Deus *in myſteriorum traditione corpus panem appellauit, & ſanguinem id quod in calicem infuſum eſt & commixtum.* Ita & Ioannes Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. & fusè Eucherius Lugdunenſis hom. 5. de paſcha, Rabanus Maurus lib. 1. inſtitutionis cleri cap. 31.

CA-

CAPVT XLII.
Cur vino Christus aquulam miscuit?

A Mixto vtroque liquore, rectè Irenæus, calicem, temperamentum nuncupauit. Sed quid necesse, inquies, vt temperet? Quia, ait Hieronymus de quæstionibus hebraicis, *Vinum quod Deo in sacrificium offerebatur, aqua mixtum erat.* Debuit igitur figura eum referre, cuius erat: accommodat verò idem Doctor in Prouerbiorum cap. 9. cùm scriberet vnà cum Glossa, & Lyrano in Isaiæ 55. & D. Cypriano epistola ad Antonianum: *Bibite vinum quod miscui vobis.* quasi à Christo hæc prædicantur, qui in vna persona deitatem cum humanitate copulauit.

Rabbi Samuel ad Rabbi Isaac apud Antoninum 2. p. in fine, huic sacrificio accommodat illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis; Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Vbi sic quærit: *Quid est, Domine mi, mensa parata Sapientiæ Altissimi, nisi altare? quid panis & vinum mistum, nisi sacrificium de pane, vino & aqua, quod fit in altari? Qui sunt insipientes vocati per seruos Sapientiæ, nisi gentes, quæ ignorabant Deum vocatæ per Apostolos? & notabiliter dicit panem suum, per quod innuit hoc sacrificium esse gratum; & ad istud conuiuium tam subtile, tam spirituale non vocauit patres nostros, qui erant occupati in sacrificio legis carnalis: quod etiam carnale sacrificium non dimisit nobis, sed priuauit nos illo, iam sunt mille anni completi, quod nobis accidit, propter illum iustum in quē peccauimus.*

Altera ratio est, quia de Christi demortui perfosso latere sanguis & aqua profluxerunt. ita Cyprianus, Germanus Constantinopolitanus in theoria, Florus magister in exegesi, Stephanus Eduensis de Sacramento alt. c. 12. Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus c. 10. Amalarius l. 4. Officiorum Ecclesiasticorum c. 47. Cyrill. catechesi 13. Nicetas Pectoratus monachus Studij lib. contra Latinos, etsi hic cum Græcis viuo adhuc & spiranti Christo dicat accidisse. Algerus lib. 1. de Sacramentis corporis & sanguinis Domini cap. 19. & l. 3. cap. 8. Humbertus Cardinalis Syluæ candidæ responsione ad Nicetam. Alexander Papa epistola ad orthodoxos.

In interpretatione variant & errant Græci, vt infrà docebitur. Amalarius: *Vinum & aqua in calice monstrant Sacramenta, quæ de*

latere Domini in cruce effluxerunt, id est, sanguinem & aquam, quibus nos potat Dominus noster. Ad potum Florus lauacrum coniungit: *De latere eius aqua cum sanguine egressa, vinum de carnis eius vite cum aqua expressum ostendit: hæc sunt enim Sacramenta Ecclesiæ, sine quibus ad vitam, quæ verè vita est, non intratur; ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lauacrum præstat & potum.* Cyprianus vult vnionem innui: *In calice Dominico aqua sine vino deesse non debet, ne populus, qui per aquam iuxta Apocalypsin significatur, à Christo separatus esse videatur.* D. Algerus disertiùs paulo & fusiùs: *Iulius Papa in decretis Episcopis per Aegyptum missis: calix Dominicus iuxta canonum præceptum, vino & aqua permistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Ergo cùm in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur & iungitur: quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt mistio illa non possit separari. Nam si vinum quis tantummodo offerat, Christi sanguis incipit esse sine nobis; si verò aquam solam, plebs incipit esse sine Christo. Sciendum tamen, quia licet priùs mysticè vinum & aqua misceatur, post consecrationem tamen nonnisi sanguis bibitur, quia priùs per aquam baptismatis renati, postmodum non solùm concorporales, sed & consanguinei Christo spiritualiter efficimur. Ad signandum autem Christum, vinum; & ad signandum populum, aqua miscetur, quia etiamsi vinum de aqua, dignius tamen per vitem, & Christus de carne nostra per* MARIAM *generatur, & potentius ad reficiendum & inebriandum quàm aqua inuenitur. Quia calix Domini inebrians, quàm præclarus est? dum sui amoris feruore mens ebriata, omnium terrenorum obliuiscitur.* Et Stephanus Eduensis vnionem vnit cum lauacro: *Aqua vino miscetur, vt vnda regenerans ita sanguini Christi adiuncta intelligatur, quia per alterum sine altero, nemo salutem consequitur. per hoc etiam vnio Christi, & Ecclesiæ designatur.*

Adspirauit aliquando Deus miraculo, ostenditque placere sibi, & omnino velle calicem mistum esse. Astregisilus enim Archiepiscopus Bituricensis, cùm in semiruta ecclesia territorij Gebennensis in loco deserto orandi causa esset, *neque custodem vllum, neque clericum vigilantem illic reperisset, patentibus ostiis, sed sacrario obserato; Missam in ecclesia celebrare voluit. deerat autem aqua, qua manus ablueret, & quam sacrificio misceret. dixit igitur amico suo Marculpho, id temporis lectori, nunc autem Abbati eius basilicæ, vbi corpus eius humatum est; Perquirite pauxillum aquæ, vt hic Missas celebremus: quæsierunt illi, sed nihil inuenerunt. reuersi autem ad eum in ecclesiam, viderunt ostia sacrarij aperta, quæ antè clausa conspexerant; cumque ingressi essent, inuenerunt ipsum virum Dei stantem, &*

coram

coram se habentem duos crateras, alterum vino, alterum aqua plenum: quæ res non mediocri eos admiratione & pauore affecit.

CAPVT XLIII.

Calidam an Græci rectè in calicem infundant?

NIcolaus Cabasilas expositione Liturgiæ cap. 37. Græcos ait vti calida post consecrationem, quam iniiciunt in calicem priusquam communicent. modum ritumque tradit S. Germanus Constantinopolitanus in theoria, additque rationes facti: *Adfertur aqua calidissima ex exiguo lebete, ac ex ea temperat, quæ diuinæ mensæ proposita sunt, siue crateres, siue pocula sint, vt veluti ex viuente procedant diuino latere vtraque calore referta: ita sanè & aqua calidissima tempore communionis iniecta, absolutum typum mysterij explet percipientium mammam poculi, quasi ipso vitam porrigente latere contrectato. Hæc etiam ianua quædam est ad Trinitatis fidem, & cognitionem percipiendam, idq. magnus ille Ioannes, ac theologus repræsentat* 1. Ioan. 5. *tribus his testibus salutaris fidei & virtutis sermonem confirmans: Tres, inquit, sunt testificantes, spiritus, aqua, & sanguis, & tres in vnum coëunt.* Vbi labitur cum Oriente vir sanctus: nec enim Christo viuo latus apertum, sed iam mortuo; vt Nicetam Pectoratum Humbertus Cardinalis infrà docebit. Ratiunculæ piæ sunt, sed tortæ; eas audiemus, & veniam dabimus B. Germano, sed Cabasilæ, Theodoro Balsamoni, & Nicetæ Pectorato non dabimus. Pergit B. Germanus: *Vinum declarat sanguinem ex latere Christi fluxum. Est autem & mysticum vinum, quod dedit Discipulis in cœna; aqua autem demonstrat eam, quæ fluxit ex latere Christi, & per calorem significat feruorem sancti Spiritus, per albedinem verò sinceram fidem. Vinum simul & aqua, sunt egressa ex latere eius sanguis & aqua, vt ait Propheta, Panis ei dabitur ad cibum, & aqua ei ad potum potabilem.* Astruit, idque clariùs Cabasilas cap. 37. Spiritus sanctus *signatur aqua calida in mysteria infusa, hæc enim cùm & aqua sit, & ignis sit particeps, significat sanctum Spiritum, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis apparuit in Christi discipulos illapsus. Hoc autem tempus illud significat; tunc enim descendit postquam omnia quæ ad Christum spectabant facta sunt, nunc autem perfectis & consummatis donis hæc aqua immittitur.*

Pectoratus ab effectu concionatur. Supponit enim tantùm, quæ probanda ei erant, libro contra Latinos: *Sanguinem calidissimum eius bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa eius, mundamur ab omni delicto, ferventi replemur spiritu. Calicem enim, vt videtis, velut ex latere Domini calidum*

lidum bibimus, quia ex viua carne & calido spiritu, Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanauit. Qui error Petri Ioannis Biranensis item est apud Gabrielem Prateolum in elencho, comminiscentis Christo viuenti vulnus lateris inflictum, vt dolores Christi patientis augeret. Sed non eget ille mendacio nostro contra manifestam Scripturam Ioan. 19. Rectè damnatur in Concilio Viennensi, cuius hæc definitio in Clementinis tit. de summa Trinitate & fide catholica: *Nos igitur ad tam præclarum Euangelistæ testimonium, ac sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam, apostolicæ considerationis, ad quam dumtaxat declarare pertinet, aciem conuertentes, sacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apostolum & Euangelistam Ioannem, rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando, quia Christo iam mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit.*

Sed Humbertum audiamus sic fusiùs argumentantem, & Nicetam prosternentem. Primò, Si cùm lancea latus Christi apertum fuit, aqua calida exiuit, sanctus & viuificus spiritus, vt volunt Græci, in deificata carne remansit: ergo Christus phantasticè tantùm mortuus est, & ex consequenti non resurrexit, quare nec nos resurgemus, estque inanis fides nostra, 1. Corinth. 15.

Secundò, Euangelistæ conspirant Christum hora nona mortuum, serò à Ioseph postulatum, depositum de ligno, & sepultum. Christo expirante velum templi, & petræ scissæ sunt, corpora Sanctorum resurrexerunt: in illa perturbatione & naufragio mundi, totiusque creaturæ, non tantùm non fuit latus Christi apertum lancea, sed qui priùs insultauerãt, viso terræ motu, & his quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur, ipse adeò Centurio fatebatur filiũ Dei esse. At vbi conquieuit tumultus, & aliqua securitas redijt, cùm serò esset rogarunt Pharisæi Pilatum, propter solemnem diem sabbathi frangerentur crucifixorum crura. Tunc etiam Ioseph rogauit tollere corpus IESV. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset, & accersito Centurione, vbi cognouit Iesum iam mortuum, donauit corpus Ioseph. Porrò milites fregerunt crura vtriusque latronis, Christo, vt viderunt mortuum, non fregerunt crura; sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua, è quibus formaretur Ecclesia, vt ex costa Adæ formata est Eua. Hora nona obijt, serò de cruce deponendo latus aperitur, non potuit sanguis inde calidus emanare, corpore præmortuo & frigido: vel si miraculum intercessit; quare rem silent tantã? & vos Græci vnde discreuistis calidum fuisse? Peto an aqua tantùm, vel sanguis tantùm, vel vtrumque simul calebant? si sanguis tantùm,

tantùm,quare aquam calefacitis? ſi aqua tantùm,quare ex ea calefacitis ſanguinem Chriſti? ſi vtrumque ſimul, quare non ſimul calefacitis?

Tertiò ſi aqua lateris Chriſti caluit,quare aqua baptiſmatis non caleſit? cùm præcipuè ipſa baptiſmum præfigurarit ſicut ſanguis redemptionem? Dicam ergo cum Antiphane in Omphale:

Ἐν χύτρᾳ δέ μοι
Ὅπως ὕδωρ ἐχθρὸν ὄψομαι,
Οὐ γὰρ κακὸν ἔχω, μηδ' ἔχοιμ' ἐαν δὲ ἀρά.

In olla mihi aquam coctam non contingat cernere, nec enim malè mecum agitur, nec vt agatur, precor. Interim Theodorus Balſamon Alexandrinus dum Marci Antiocheni quæſtionibus facere nititur ſatis, quaſi de poſt cortinam audaculus pronunciat: οἱ γ' οὖν μὴ διὰ ζέοντος ὕδατος τελειοῦντες τὸ θεῖον ποτήριον, ὡς αἱρεσιῶται τῆς μερίδος τῶν ὀρθοδόξων ἐκκηρυχθήσονται. *Qui diuinum poculum aqua feruente non conſecrant, vt hæreſiotæ è ſorte orthodoxorum expellentur.* Ridiculè. audiamus nos hac lege hæretici, &,Deo bono, audiemus boni.

CAPVT XLIV.

Bibite ex eo omnes.

NIhil hîc præcepti Chriſtus tulit de calice laicis communicando, vt hæretici pertinaciter nituntur extorquere; ſed cùm ipſe ſacrum ſuum ſanguinem bibiſſet,alteri,Ioanni,vt ſit vero ſimilius,tradidit,voluitque tum in ambitum ire inter manus, *Bibite*,inquit, *ex eo omnes*.quaſi dicat, voluit Chriſtus ſingulos accumbentes bibere, illi paruerunt & biberunt.

Priſcis tamen temporibus,etiam oriente Eccleſia, vtraque ſpecies communis populo erat; & vſurpata in Miſſa diuina Iacobi fratris Domini, ac Marci Euangeliſtæ Liturgia.

Deinceps etiam adhuc ſeruatum, vt Cypriani æuo: nam ſic ille de lapſis: *Præſente,ac teſte meipſo accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes dum trepidi minùs ſibi conſulunt,ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt:relictam nutrix detulit ad magiſtratus.illi ei apud idolum quò populus cōfluebat,quòd carnem necdum poſſet edere per ætatē, panem mero mixtum,quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt.Recepit filiam poſtmodum mater.Sed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare nō potuit,quàm nec intelligere priùs potuit,nec arcere.Ignoratione igitur obreptum eſt,vt ſacrificantibus nobis eam ſecū mater inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis,precis noſtræ & orationis impatiens,nunc ploratu cōcuti,nūc mentis æſtu*

cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indicijs, conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinæ Maiestatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus enim Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta maiestas. Refert etiam Ioannes Moschus Euiratus in Prato spirituali cap. 27. mulierem quandam nobilem, & cap. 28. Principem Palæstinæ cùm sacrum sepulchrum adoraturi templum tentarent ingredi, illam à Dei gloriosa parente MARIA, hunc verò ab ariete coniscente repulsam passos, dum catholicæ Ecclesiæ reconciliati nuntium Seuero remisissent, & de calice Domini communicassent. Deinde æuo posteriore Eleusius de rebus gestis S. Theodori Siceotæ narrat Georgium Cappadocem virum nobilem ac strenuum maiestatis accusatum ad Phocam Imperatorem ductum, vinctum, collo, manibus pedibusque iniectis catenis in itinere ad B. Theodorum deflexisse, vnà cum militibus in custodiam appositis: post exhortationem ad concipiendos animos ex sacris Litteris, *Georgius iam confirmatus, vt diuinorum mysteriorum particeps fieret, petijt. Tunc B. Theodorus ad custodes: Vereamini, inquit, filij mysterium Domini, & soluite hunc dum illud accipit: neque enim est, vt quisquam vinculis constrictus illum accipiat, qui pro nobis passus est, vt nos ab inferni vinculis liberaret. cùm autem illi excusarent se, dicerentq́ id sibi non licere; Georgium enim esse virum nobilem ac strenuum, qui si solutus esset, & vellet ingratus esse & aufugere, nullo modo comprehendi posset: B. Theodorus sumpto diuinæ communionis poculo, vt illi impertiret, suspirans, ad Deum suspexit, & illico vincula humi cum strepitu conciderunt. Quamobrem cùm milites tumultuarentur, & ad fores claudendas currerent, ne Georgius fugeret, Nihil inquit S. Theodorus, timeatis, ego gratum & sincerum huius viri animum noui. Cùm igitur diuina ei mysteria tribuisset, voluit etiam vt simul cum custodibus apud se cibum caperet, pòst autem vinculis iterum iniectis recesserunt.* Prosper Aquitanicus de promissione & prædicatione Dei dimid. temp. cap. 6. puellam ait Arabem quandam in balneo fuisse, quæ simulacrum Veneris impudicè respiciebat, cùm ecce dæmon ei fauces gutturque occupat, vt septuaginta diebus noctibusque nihil cibi sumere potuerit. tandem parentes rem totam pandunt sacerdoti, & puella hoc tantùm fatebatur, auem quandam conticinio noctis apparere, quæ ori nescio quid

infun-

infunderet. Sacerdos vt puellam ieiunio nihil macrescere vidit, in monasterio virginum ad reliquias S. Stephani Præposito commendat. ibi prima tantùm die ei auis adfuit. quindecim dies ieiunam Dominico die sacrificij tempore puellam Præpositus ad altare duxit, omnibus orantibus, vt Deus puellæ benefaceret. Post sacrificium particulam corporis Domini sacerdos ori eius imponit, quam semihora mandens traijcere non potuit. suggestum à Diacono vt calicem gutturi applicaret Pontifex, statimque vt id factum est, deglutiuit, & post 82. dies, quibus in dæmonis potestate fuit, liberata est.

Communi vsu vulgò sub vtraque specie communicabatur. Gregorius homil. 22. in Euangel. *Quid sit sanguis Agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis.* His seruiebant ministeriales calices, quòd ijs Christi sanguis populo ministraretur. Author vitæ Pontificum in Sixto tertio: *Calices ministeriales duos obtulit, pensantes singulos libras tres.* Et suo quem Ecclesiæ dicauit beatus Remigius apud Amalarium, hos versus inscripsit:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro
Iniecto, æternus quem fudit vulnere Christus,
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Et ministri qui populo impertiebant. De B. Laurentio S. Leo sermone de eo ipso: *Qui non solùm ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ eminebat.* Et Ambrosius lib. 1. officiorum c. 41. *Quò progrederis sine filio pater, quo sacerdos sancte sine diacono properas? tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras, quid in me ergo displicuit pater? Num degenerem probasti? experire certè vtrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem: cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?*

Canna, siue fistula, & calamus. Beatus Rhenanus, si fidem meretur, scholijs in Tertullianum: *Non possum celare studiosos antiquitatis Christianæ, laicos olim canna solitos haurire Dominicum sanguinem è calice: quod pridem mihi indicauit Paulus Volius Abbas Hugoniani cœnobij, erutum ex libro signorum, qui frequens extat apud Benedictinos. Idem nuper reperit in primis Carthusianorum constitutionibus Conradus Pellicanus: vbi prohibetur ne quidquam pretiosum possideant, præter calicem argenteum, & fistulam, qua laici Dominicum exorbeant sanguinem. Præterea libellus de veteribus thesauris Ecclesiæ Maguntiacensis, abhinc annos 400. & eo ampliùs conscriptus, qui nunc non est ad manum; inter aureos calices ingentis ponderis ansatos cruces aureas, grues argenteas, odorem impositorum in cauo ventre thymiamatum per rostra ac collum mira arte exhalantes iuxta aram maximam, vestes sacras intexto auro*

 rigentes,

rigentes, gemmas incomparabiles, & reliqua donaria Archiepiscopalis templi. Fistulas quoque recenset argenteas, ni fallor, sex in hunc hauriendi sacrosancti sanguinis vsum deputatas, quibus arbitror Archiepiscopum olim vti solitum. Siquidem etiamnum Romanus Pontifex, quoties publicè sacrificat, aureo calamo sugit sanguinem Dominicum è calice cum diacono & subdiacono.

Eò verò res hæc processit, vt hæresim malè feriati quidam censuerint, altera specie abstinere. Iuuant se antiquitate, & Ecclesiæ prisco vsu. Secundò, authoritate, nominatim Concilij Turonensis apud Iuonem Carnotensem: *Sacra oblatio, quæ ad viaticum recedentibus de sæculo reseruatur, intincta debet esse in sanguine Christi, vt veraciter presbyter dicere possit; Corpus & sanguis Iesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum, & in vitam æternam.* Augustini apud Algerum l. 2. de Sacramentis c. 8. Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne, iure communicatur. Item Gelasij ad Maioricum & Ioannem Episcopos. *Comperimus, quòd quidam sumpta tantùm corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant, qui proculdubio, aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

Respondeo ex Leone ser. 4. de quadrag. ob Manichæos id fieri, de quibus dicit: *Cumq; ad tegendam infidelitatem suā audeant interesse mysterijs, ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdū tutiùs lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem verò redemptionis omnino haurire declinant: quod ideo vestram scire volumus sanctitatē, vt nobis huiuscemodi homines ex his manifestentur indicijs, & quorum deprehēsa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Leonis ergo vestigijs Gelasius institit, qui hoc indicio prodēdos Manichæos sciuit, qui calice abstinebant, quòd eum haustū horrerent: plurimi hoc argumento deprehensi sunt, vt docet Anastasius Bibliothecarius, & postea in exilium fuere deportati Gelasio Papa. Innocentius III. non de cōmunione, sed sacrificio ait, *Grauiter offendit, qui negligenter aut ignorāter alterutrā speciē prætermittit, grauiùs qui scienter, aut sponte, maximè si formā intēdit mutare, aut hæresim introducere.* in sacrificādo scilicet.

Leonem interpretatur Æneas Syluius ex Senensi Episcopo Pontifex Maximus Pius II. nomine, dialogo contra Thaboritas hæreticos, postquam Sacramentum à sacrificio distinxisset: *Duobus modis hoc diuinissimum Sacramentum consideramus, vt Sacramentum solum, vt sacrificium & Sacramentum. In sacrificio vtraque species exigitur, quia imago est illius sacrificij, in quo Christus adsistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis, seipsum pro nobis sacrificium obtulit Deo Patri in ara crucis. Ideoq; non solùm repræ-*

sentari dicitur Christus passus, sed etiam quoque passio Christi, in qua sanguis fuit à corpore separatus. In puro autem Sacramento, quod ad sanctificationem nostram requirimus, vt inuisibilis gratia sub visibili specie nobis tradatur, sufficit repræsentatio Christi passi, quem panis species abundè refert: quia & Dominus grano tritici se comparauit. Quod autem de Leonis decreto commemorasti, nihil impedit nostri propositi cursum: namque cùm Manichæi, Leone sedente, Christum non vero corpore, sed phantastico, & sine sanguine vestitum prædicarent, neque resurrectionem eius crederent, neque diem Dominicum sanctificarent, sumentesq́ Christi corpus sub specie panis, vt suum palliarent errorem, potum calicis renuerunt. Obuiaturus tantæ nequitiæ summus Pontifex, statuit, vt qui sub vna communicasset, ab altera non abstineret.

Hæresis alia Nestorij fuit apud Gennadium & Socratem, l. 7. c. 32. qui B. Mariam Virginem χριστοτόκον, non etiam θεοτόκον volebant, quòd Christum ex ea purum hominem prodijsse blasphemaret. Deinde vita innocenti & sancta promeritum, vt se illi diuinitas coniungeret, ideoque duas, vt in eo naturas, sic & personas volebat, quas non æquè in Vener. Eucharistia sub vna ac sub vtraque specie participemus. Sed hunc antiqui Patres Cyrillus Alexandrinus, Atticus Constantinopolitanus, Ioannes Antiochenus, Vincentius Lirinensis, Theodorus Ancyranus, alijque confecerunt, & imprimis Deus, vt Sozomenus testatur, qui impij linguam post mortem vermibus scatere fecit.

Lutherus peruicaci ingenio se prodit, & spiritu inobedientiæ plenum, quem à diabolo hauserat, lib. de formula Missæ: *Si Concilium*, inquit, *statueret, sub vtraque specie communicandum, tum contrà, aut sub vna specie deberent laici communicare, aut etiam vtramque reiicere.* Hinc Neutralium exorta pestis Sacramentariorum, qui neutram speciem necessariam volebant. Sed vt illum, & ipsos missos faciamus.

Altera species antiquitus frequentabatur, vt cùm fideles erant perseuerãtes in fractione panis. Act. 2. Aduerte id clariùs ex Damaso in põtificali sub Syluestro, vbi feruntur patinæ seu patenæ ad 30. libras ponderasse, scyphi ad 10. calices ad vnã: vnde facies, plures vno, quã vtroque typis visos. Prudẽter id sanè, quia vt Fischatius in 4. d. 11. *Citiùs labetur gutta quã hostia.* Et Rudolphus Abbas S. Trudonis ante annos prope 440.

Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi:
Nam fundi posset leuiter, simplexq́ putaret
Quòd non sub specie sit IESVS *totus vtraque.*

Subducere liquidam speciem, cùm oboritur tumultus, vt inter hæreticos fit, adeò facilè non est: deinde cùm cadit imbibitur, quod de pa-

ne perinde non fit. Refert Ado Treuirensis in Martyrologio exemplum, ex quo incommoda hæc discimus. Cùm B. Donatus Episcopus, qui D. Pigmenio presbytero cum Iuliano apostata litteris operam dedit, & diaconus creatus est; *die quadam Missam celebrasset populo, & de corpore Christi, & sanguine ipsius populus venerabiliter recrearetur; diaconus quidam, nomine Antimus, tradebat sacrum sanguinem Christi, qui subitò paganorum impulsu cecidit, & sacrum calicem comminuit: vnde valdè tristis tam ipse quàm populus efficitur. cuius tristitiam Dominus per B. Donatum ilico releuauit: nam collecta sunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata: quæ flens ille suscipiens, oratione facta, vas in pristinam formam restaurauit. Quo signo perculsi pagani, simul cum Christianis deitatem Christi confessi sunt, ac circiter septuaginta nouem animæ in Christum credentes, per baptismum saluatæ sunt.* Cùm viderunt laici effusionis periculum esse, abstinuerunt sensim: probarunt reuerentiam Præsides, Ecclesiæ conniuentia primùm, deinde lata lege. Hinc vt cautè fieret, initio Zozimus Papa tom. 1. Concil. ad annum circiter 418. *præcepit, vt nullis poculum in publico proponeretur, nisi tantùm in cellis fidelium, & maximè clericorum.* Ricardus Notinghamius in 1. ad Corinthios, ante annos quinquaginta supra ducentos ad rationem superiorem duas alias adiungit. Prima, propter erroris remotionem: facilè enim idiotis subreperet cogitatio blasphema, in Venerabili Eucharistia sub altera specie totum Christum non contineri, sed sub pane corpus, & sub vino sanguinem. Secunda: *Propter mysticam significationem Iudæ suo proditori intinctam buccellam porrexit. Ne igitur fideles videantur similes esse Iudæ proditori, consuetudo Ecclesiæ habet vt fideles Christiani intinctum non recipiant.*

Concessum quidem publicè quibusdam, vt Bohemis in Concilio Basileensi sess. 30. ea tamen lege, vt sub panis specie integrum Christum agnoscerent; sed priuilegio exciderunt, cùm regni primores vtramque speciem necessariam prædicarunt. Consulendi hac de re Æneas Siluius de origine Bohemorum cap. 35. Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia. Fertur Galliæ rex Clementis VI. indulto quoties libuerit sub vtraque communicare; etsi alij ad binas vices restringant, nempe dum vngitur, & in articulo mortis. Eandem gratiam Imperatori factam, vult Augustinus Patritius de aduentu Frederici III. sub Paulo II. Feruntur & Monachi D. Bernardi tinxisse hostiam sanguine, antequam sumerent, vt nos particulam miscemus, de quo D. Thomas 3. p. q. 83. a. 5. ad 8. Summus quoque Pontifex cùm solemniter facit, sumpto corpore Christi sedet, & Diaconus Cardinalis defert ei calicem degustandum, & inde alijs eum Cardinalibus ministrat. Imò populo

pulo Romæ Martinus quintus manu propria impertijt ſacrum calicem, vt Henricus Raltiſenus Archiepiſcopus Nidroſienſis oratione contra Bohemos in Concilio Baſileenſi habita teſtatur: & per Orientem & Aquilonem apud Moſchum, vicinoſque Barbaros, Græcos, Armenos licitè, & ſine culpa, ait Lindanus ſuprà, vtraque ſpecies eſt in vſu.

CAPVT XLV.

Matth. Marc. *Hic eſt enim ſanguis meus.* Lucas: *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo.*

THeophyl. in Matth. 26. *Sicut vetus teſtamentum immolationem habebat, ita & nouum teſtamentum ſanguinem habet, ac immolationem.* ſed præſtantiori modo. Leo ſerm. 7. de Paſſione: *Vt enim vmbræ cederent corpori, & imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo tollitur Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.*

Vmbræ erant vituli, placuêre tamen Deo, vt Geneſ. 8. patet: *Aedificauit enim Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare, odoratuſq; eſt Dominus odorem ſuauitatis.* quando Geneſ. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Deſipuêre tandem, & reiecit: *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, & de gregibus tuis hircos.* Id aduertit Pſalmographus pſal. 50. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtiquè, holocauſtis non delectaberis.* Res ſiquidem iam erat, & cum ea ſignum, id eſt, Ieſu Chriſti Verbi æterni ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguis, hoſtia beneplacens, ſacrificium ſempiternum. Huius deſiderio ſuccenſus Deus reiecit cætera: Malac. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Variè id antiquitas indigetat magna ſignificatione honoris.

Primò, Miſſa dicitur ex inſcriptione Iacobi fratris Domini, cum addito, diuina. Vnde ijs accedo, qui hebræam vocem faciunt. vide Concilium Colonienſe, Senonenſe, Democratem lib. 2. c. 1. l. 4. c. 32. etſi in latinum Eccleſia rectè tranſtulerit: confert enim vnà ſecum,

vim roburque significationis. Ambrof. tom. 4. oratione 1. præparante ad Missam: *Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie, & semper Missarum solemnia puro corde & pura mente celebrare.* Concilium Carthaginense secundum cap. 3. *Reconciliare quenquam in publica Missa presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Augustinus serm. 251. de tempore: *In die verò nullus se à sacra Missarum celebratione separet,* &c. *Adhuc quoque quod detestabilius est, ad ecclesiam aliqui venientes, non intrant, non insistunt precibus, non exspectant cum silentio sanctarum Missarum celebrationem.*

Adeò maiestatis plena, vt ethnicis, imò catechumenis interesse non licuerit. Missa Æthiopum: *Sacerdos alta voce legat Euangelium. Diaconus finito Euangelio dicit, Exite foras, qui non vultis accipere Sacramentum, siue Eucharistiam, ite catechumeni.* Athanasius epistola ad Solitarios: *Ingressus es in ecclesiam, ô homo, ne exeas, nî dimittare.* Florus magister in Exegesi Missæ, & D. Remigius Antisiodorensis, qui sub Carolo Caluo cum Floro vixit; in fine lib. de celebratione Missæ, ijsdem verbis vterque: *Missa nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronuntiat finitam, cùm populus à solemni obseruatione dimittitur. Vnde & Missam catechumenorum canones dicunt, quando post Euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria: quibus nullum nisi baptismi fonte regeneratum interesse licet. Tunc enim clamante diacono catechumeni mittebantur; id est, dimittebantur foras. Missa ergo catechumenorum fiebat ante actionem Sacramentorum. Missa fidelium post consecrationem & participationem eorundem Sacramentorum.*

Aliud etymon suggerit beatus idem Remigius initio expositionis: *Missa dicitur, quasi transmissa, vel quasi transmissio, eò quòd fidelis populus, de suis meritis non præsumens, preces & oblationes quasdam Deo omnipotenti offerre desiderat, vt per ministerium & orationem sacerdotis ad Deum transmittat, quem mediatorem inter se & illum cognoscit; confidens per eius orationem atque intercessionem à malis omnibus liberari, atque Creatori suo reconciliari, & in omnibus corroborari.* Ambrof. lib. 5. epistola 33. *Mansi in munere, Missam facere cœpi,* &c. August. serm. 91. de tempore: *In lectione, quæ nobis ad Missas legenda est,* &c.

Secundò, Collecta, Collectio, Dominicum, sacrificium Missæ. Acta proconsularia SS. Martyrum sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus: *Cùm igitur ab officio proconsuli offerrentur, suggerereturq́ue, quòd à magistratibus Alutinensium transmissi essent Christiani, qui contra edictum Imperatorum & Cæsarum, collectam dominicam celebrassent; primùm proconsul Datiuum interrogat, cuius esset conditionis, & vtrùm collectam fecisset:*

cisset: qui cùm Christianum, & in collecta fuisse profiteretur, author ab ipso collectionis sanctissimæ postulatur. Ea autem omnia sacrificium Missæ, sacramque illam actionem significabant, vel qua Sacerdotes erant, & faciebant, vel qua audientes, & præsentia honorem Sacramento dabant. Sic ibi Victoria clarissima Martyr de se fatetur: *In collecta fui, & Dominicum cum fratribus celebraui, quia Christiana sum.* Deinde Datiuus iterùm *cùm interrogatus vtrùm in collecta fuisset, profiteretur constanter, & diceret, cùm collecta fuisset, se superuenisse, & Dominicum cum fratribus congrua deuotione celebrasse, authoremq; eius collectionis sanctissimæ vnum fuisse,* &c. alter institit: *Tu contra iussionem Imperatorum & Cæsarum fecisti, vt hos omnes colligeres; respondit presbyter Saturninus, Domini spiritu suggerente securi Dominicum celebrauimus. Proconsul ait, Quare? respondit, Quia non potest intermitti Dominicum.* Saturninus, *cùm interrogaretur, vtrùm author esset, & omnes ipse adiuuasset, & diceret: Etiam ego præsens in collecta fui. Emeritus lector ad certamen exiliens, congrediente presbytero; Ego sum author, inquit, in cuius domo collecta facta fuit,* &c. *At verò Emerito applicato, In tua, inquit proconsul, domo collectæ factæ sunt contra præcepta Imperatorum? cui Emeritus Spiritu sancto mundatus, In domo mea, inquit, egimus Dominicum. at ille, Quare permittebas, ait, illis ingredi? Quoniam fratres mei sunt, & non poteram illos prohibere. Sed prohibere, inquit, debuisti? at ille, Non potui, ait, quoniam sine Dominico esse non possumus.* Et proconsul ad Felicem: *Si in collecta fuisti? respondit, quòd Christianus sine Dominico esse non possit, & Dominicum sine Christiano celebrari. An nescis Satana, in Dominico Christianum, & in Christiano Dominicum constitutum, vt nec alterum sine altero valeat esse? cùm nomen audieris, frequentiam Domini disce, & cùm collectam audieris, nomen agnosce. Denique cognoscêris à martyre, & rideberis, tali responsione cognosceris: Collectam, inquit, religiosissimè celebrauimus, ad scripturas diuinas legendas in Dominicum conuenimus semper.* Nota, Dominicum etiam locum esse, in quo collectæ, & Dominicum fiebant.

Tertiò, Sacrificium incruentum. Iacobus in diuina Missa: *Domine miserere nostri, quandoquidem veneramur ac tremimus, cùm tuum sanctum altare nobis accedendum est, & offerendum sacrificium hoc verendum, & incruentum pro nostris peccatis, & pro iis quæ populus per ignorantiam admisit.* Item: *Offerimus tibi Domine hoc sacrificium venerandum & incruentum,* &c. Basilius in Anaphora: *Sacrificium hoc reuerendum & incruentum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui, eorumq; peccatorum, quæ ille per inscitiam admisit, ac tranquilla requie eorum qui ante hac occubuerunt.*

Canon

Canon venerabilis ſeu miſſa Æthiopica. S. Germanus in theoria, *Menſa eſt vice loci ſepulturæ, in quo poſitus eſt Chriſtus, in qua proponitur verus & cæleſtis panis, quod eſt myſticum & incruentum ſacrificium: qui mactatus, carnem ſuam & ſanguinem in cibum & potum vitæ æternæ propoſuit fidelibus*, viuificum ſacrificium, *myſticum ac viuum ſacrificium.*

Quartò, λατρείαν. B. Marcus in Liturgia: *Offerimus rationabilem & incruentam λατρείαν.*

Quintò, Propitiatorium faciunt, & peccatis noſtris expiandis accommodum, Iacobus in Liturgia: *Offerimus tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris, & ignorantiis populi.* Concilium Emeritenſe tempore Receſuinthi regis can. 3. *Inſtituit hoc ſacrum Concilium, cùm eum* (ſcilicet regem) *cauſa ingredi fecerit contra hoſtes ſuos: vnuſquiſque noſtrûm in Eccleſia ſua hunc teneat ordinem, ita vt omnibus diebus per bonam diſpoſitionem ſacrificium omnipotenti Deo concedatur. tamdiu hic ordo tenendus eſt, quamdiu cum diuino iuuamine ad ſuam redeat ſedem: quiſquis huius inſtitutionis modum implere diſtulerit, ſciat ſe ab ſuo Metropolitano eſſe excommunicatum.* Et can. 19. ſtatuit Concilium, vt cui ob paupertatem ipſarum, plures creditæ eſſent Eccleſiæ, in illis ſingulis ſingula ſacrificia diebus Dominicis offerre deberent. Et B. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus homil. 15. in cœna Domini: *Certè Redemptor noſter, conſulens noſtræ fragilitati, tradidit hoc nobis Sacramentum, vt quia ipſe iam non poteſt mori, & nos quotidie peccamus, habeamus verum ſacrificium, quo poſſimus expiari à peccatis noſtris.* Timuit ſibi vehementer Ven. Beda agens animam, quare animæ ſuæ conſultum per Miſſas voluit, vt diſcipulus eius anonymus teſtatur in epiſtola, qui magiſtro morienti aderat, & hoc in mandatis ab eo accepit: *Hora nona dixit mihi, Quædam pretioſa in mea capſella habeo, id eſt, piper, oraria & incenſum, ſed curre velociter, & adduc presbyteros monaſterij noſtri ad me, vt & ego munuſcula, qualia mihi Deus donauit, illis diſtribuam. quod cum tremore feci, & præſentibus illis, locutus eſt ad eos, vnumquemque monens & obſecrans, Miſſas & orationes pro ſe diligenter facere, quod illi libenter ſe facturos reſponderunt.* Sibi mortuæ beata Monica optabat propitiatorium fieri. Auguſtinus l. 9. Confeſſionum, c. 11. Cùm filio vtique morti proxima diceret: *Ponite*, inquit, *hoc corpus vbicumque, nihil vos eius cura conturbet, tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei.* quod latiùs Auguſtinus ipſe proſequitur cap. 13. *Imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum corpus ſumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium. Non iſta mandauit nobis, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat; vnde ſciret*

diſpenſari

dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis; qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? quis ei restituet pretium quo nos emit vt nos auferret ei? ad cuius pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei.

Principes Christianos hoc dono Ecclesia solet prosequi, vt pacato numine, res ipsis feliciùs fluerent. Exemplum est in Emeritensi Concilio, & Toletano sextodecimo can. 8. videbimus sancitum à patribus pro Egicane rege, vt per omnes ciuitates, locaque regni, pro rege, nepotibus, neptibus, familia tota *sacrificiorum libamina Domino offerrentur.* Et numerum quidem præscripsit Moguntina Synodus sub Hrabano Archiepiscopo; Hludouico regi *strenuissimo rectori & defensori sanctæ Dei Ecclesiæ, vnà cum vxore & prole sua, eiusq; fidelibus vita, salus, & honor, & benedictio cum victoria sine fine mansura,* &c. *Decreuimus vt in singulis parochiis per Episcopos & Clericos, per Abbates & Monachos oratio pro vobis, & pro vestra coniuge, simulq; prole nobilissima fieret, cuius orationis summa est, Missarum tria millia, & quingenta, psalteriorum* 1700. *hoc omni deuotione postulantes, vt Deus omnipotens diuturnam vobis sanitatem ac prosperitatem concedat, regnumq; vestrum stabiliat ab omni hoste defensum in terra, & post huius vitæ terminum in regno cælesti gloriam vobis simul cum Sanctis eius concedat sempiternam.*

Sextò, Eucharistiam nuncupant Chrysostomus in Matthæum, homil. 26. Bernardus serm. in cœna Domini, Origenes contra Celsum lib. 8. idque ex vero. quia, vt Bernardus, *Panis iste per excellentiam Eucharistia dicitur, id est, bona gratia: in hoc enim sacrificio, non qualibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur.* Et Chrysostomus: *Propterea reuerenda & salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur.*

Septimò, Oblatio. Ambrosius lib. 5. epistola 33. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi; dum offero, raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, vt subueniret,* &c.

CAPVT XLVI.

Quando licitum celebrare?

VVAlafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 23. *Tempus Missæ faciendæ secundùm rationem solemnitatum, diuersum est; interdum enim ante meridiem, interdum circa nonam, interdum ad vesperam, interdum noctu celebrabatur.* Libertas ea aliquando maior fuit, præ quã quod modò est; manè siquidem celebrant nostri sacerdotes, sub meridiem finiunt. Vespere licuit, quia apud Chassaneum catalogi gloriæ mundi p. 4. consideratione 60. in ordine Humiliatorum sabbatho sancto paschæ officium diei celebrant post meridiem in introitu noctis, ita vt Missa diei de nocte in vigilia paschæ cantetur. Et ad Pij quinti tempora licentia illa tenuit: nam ad annum 1566. sanctionem dedit, qua Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum Ecclesiarum, conuentuum, omnium Ordinum Prælatis, etiam Imperatori, Regibus, Reginis, Ducibus, etiam motu proprio, & ex certa scientia concessam facultatem vesperi Missas celebrandi reuocat; vultque Ecclesiæ instituto, & Patrum decretis omnes obsequi, censuris in eos latis, qui contrà aliquid auderent.

Manè primo, die S. Ioannis Baptistæ. Amalarius Fortunatus 3. officiorum Ecclesiasticorum cap. 38. *In exordio lucis diei, quasi in exordio natiuitatis sacrificium Deo offertur in honorem eius ad laudem Creatoris, qui illum honorare dignatus est ex vtero matris.* Sed priuilegium hoc erat diei; nam pergit: *In actis Damasi Papæ prohibetur ex præscripto Niceni canonis, ne ante horam tertiam diebus festis Missæ canerentur, aliis autem diebus à media hora quartæ vsque ad nonam facere liceret.* Ante tertiam vetitum ergo, etiam ante Nicenam Synodum. Strabo suprà: *Papa Telesphorus instituit, vt nullo tempore ante horæ tertiæ cursum vllus præsumeret Missam celebrare, qua hora Dominus noster secundùm Marci Euangelium* (Marci 15.) *crucifixus asseritur.* Et Amalarius cap. 42. de tempore consueto Missæ. Sed aliter tamen, & aliàs licuit. *Papa Telesphorus scripsit quo tempore primo diei liceret Missam celebrare. Legitur in gestis episcopalibus memoratum Papam dixisse, vt ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare, qua hora Dominus noster adscendit in crucem: si enim propterea aptum est, iuxta memoratum Papam, tempus horæ tertiæ celebrationi Missæ, quia in eo legitur secundùm Marcum Christum crucem adscendisse, & nos possumus conuenienter dicere, aptum esse tempus horæ sextæ, quo secun-*

dùm

dùm Matthæum crucem aſcendit; ſed & tempus horæ nonæ quando emiſit ſpiritum. hæc tria tempora ſacrata ſunt Chriſti fixione, linguis Iudæorum, & ligno. Hi qui ante horam tertiam, ſiue poſt horam nonam neceſſariò offerunt ſacrificium Deo, amore diuino infecti, vt non prætereat dies ſine illorum ſacrificio, vt reor, non hoc agunt quaſi proteruè contra inſtituta apoſtolica; ſed habent cauſam ſeriam, qua excuſare probabiliter ſe poſſint, vt Dominus diſcipulos defendit à Iudæis reprehenſos, quando vellebant ſpicas, quaſi hoc facerent, quod non licebat in ſabbathis, exemplo Dauid, quando neceſſitate famis tranſgreſſus eſt legem, vt manducaret panes conſecratos; fames vtique in cauſa fuit, vt probabili ratione tranſgrederetur legem Dauid. Huic rei aliquid ſimile ſcribit Innocentius Papa. Ergo quia neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate, debet vtique ceſſare pariter quod vrgebat; quia alius eſt ordo legitimus, alia vſurpatio, quam ad præſens fieri tempus impellit. Namque vidi Leonem apoſtolicum diluculo intrare ad Miſſam, neſcio vtrùm cauſa neceſſitatis id ageret, an ſola poteſtate. Quod legimus in geſtis pontificalibus, hoc ſcripſimus. Fulget enim pietas ratione decorata. Protulit enim Teleſphorus memoratus Paparationem de hora Miſſæ, qua de re ſponte incumbimus ſuæ auctoritati.

Nequaquam inter ſe diſſederunt Pontifices Teleſphorus, & Leo, ſed quod pro tempore bonum viſum, ſtatuerunt ipſi, & obſeruarunt: facilè autem ſuggeri ratio potuit mutandi, inter vtrumque enim anni centeni aliquot interfluxerunt. Ratio vna fuit, quia interdum in vrbe vna Eccleſia tantùm, in eaque altare vnicum erat, in qua ſemel tantùm per diem celebrabatur, eoque tum conuocabatur populus, & ieiunus communicabat. Feſto ſolemniore, cùm omnes ſimul Eccleſia non caperet, Miſſæ iterabantur. Leo Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino epiſtola 81. cap. 2. *Vt autem in omnibus obſeruantia noſtra concordet, illud quoque volumus cuſtodiri, vt cùm ſolemnior feſtiuitas conuentum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere baſilica ſimul vna non poſſit, ſacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admiſſis ad hanc deuotionem qui primi aduenerint, videantur hi qui poſtmodum confluxerint, non recepti; cùm plenum pietatis atque rationis ſit, vt quoties baſilicam in qua agitur, præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur. Neceſſe eſt autem, vt quædam pars populi ſua deuotione priuetur, ſi vnius tantùm Miſſæ, more ſeruato, ſacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte conuenerint. Studioſè ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus, vt quod noſtræ conſuetudini ex forma paternæ traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis & fide & actibus congruamus.* Indicat B. Leo ex cauſa plures Miſſas eadem in vrbe, imò Eccleſia & altari, iam olim celebratas.

Successu temporis plura altaria in vna Ecclesia erecta, in quibus plures simul celebrabant. Sic tamen vt ne populus à solemni sacro auocaretur, quare monebantur sacerdotes prudentiæ. Theodulphus Aurelianensis epist. ad compresbyteros: *Admonendus est populus vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia & prædicationem audituri conueniant, & sacerdotes per oratoria nequaquam Missas, nisi tam cautè ante horam secundam celebrent, vt populus à publicis solemnitatibus non abstrahatur. Sed siue sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut in eadem vrbe sunt, siue populus, vt prædiximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniat, exceptis Deo sacratis feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterij contineri.* Suos id Ioannes Eleëmosynarius Patriarcha ipso facto docuit, cùm apud Leontium, quando populum egredi de Ecclesia cernebat, cùm sacrum celebraret: *Ego,* inquit, *filij, propter vos ad Ecclesiam descendo, nam mihi ipsi in episcopio Missas facere poteram.*

Et mos ille erat apud Aurelianenses audito sacro, nihil de Deo, festo licet die, cogitare. Theodulphus suprà: *Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Missarum solemniis, quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur: quia pessimus vsus est apud quosdam, qui in diebus Dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus, mox vbi Missam celebrare, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, vt per totum diem à primo manè ebrietati & comessationi potiùs, quàm Deo, deseruiant.*

CAPVT XLVII.

Quoties?

GVido Carmelita Græcos cum Waldensibus in eodem errore versari narrat, & credere Vener. Eucharistiam præstantioris virtutis esse feria quinta in cœna Domini, quàm alio die confectam, quapropter tunc tantùm celebrare solere, vt eam per totum annum infirmis ministrent. Quem morem Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. reprehendit, vt & Ecclesiæ vsus, qui frequentem sacrificij iterationem suadet. Ambrosij certè ea mens est, cùm enim quotidianam communionem inculcet, id agit. *Græcè* ἐπιούσιον, inquit, *dicitur; Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quem Græci dicunt aduenientem, quia Græci dicunt* τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν, *aduenientem diem. ergo & quod Latinus dixit, & quod Græcus, vtrumque vtile videtur; Græcus vtrumque vno sermone significauit, Latinus quotidianum dixit. si quotidianus est panis,*

nis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. quo modo Iob sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne fortè aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quòd quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum; & panem istum vitæ non quotidianum assumis? qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cæleste & Vener. Sacramentum. panem nostrum quotidianum da nobis hodie: quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.

Quotidianum autem in Ecclesia sacrificium semper fuisse, vel Apostolorum Acta testantur: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Andreas etiam Apostolus ad Ægæam tyrannum, *Quotidie immolo Deo agnum immaculatum.* Hippolytus martyr orat. de consummatione mundi, Christum inducit in nouissimo iudicij die sacerdotes in hæc verba compellantem: *Venite sacerdotes, qui pretiosum corpus meum & sanguinem quotidie immolastis.* Et ante hunc diem præmium operi est inuenire & laudem, apud D. Gregorium 4. dialog. cap. 56. Siquidem *vir vitæ venerabilis Cassius Narniensis Episcopus, qui quotidie consueuerat offerre Deo sacrificium, seq; in lachrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini per cuiusdam sui visionem presbyteri suscepit, dicens; Age, quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam: qui post annos septem ipso natalitio Apostolorum die cùm Missarum solemnia peregisset, & mysteria sacræ communionis accepisset, è corpore exiliuit.* His incitati plurimi diligentes hîc fuere, & quotidie Deo laudis hostiam immolarunt; vt B. Goaris presbyter tempore Childeberti regis, apud Wandelbertum diaconum & monachum Prunienſem; Hildulphus Archiepiscopus Treuirensis, apud Laurentium Surium vndecima Iulij.

Nec ætas tardabat: nam Berno Augiensis de B. Vdalrico, in vita, narrat eum grandæuum iam & decrepitum senem, nunquam sacrificio abstinuisse. Hoc commune erat, & vulgò fiebat, vt destitui fideles nollent: & vigilabant Christiani principes initio ob fructum quem inde certò sperabant. Timotheus Alexandrinus narratione de maximis miraculis S. Menæ, cùm dixisset Constantinum Imperatorem iussisse omnes credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & beatis Martyribus templa construxisse, ait, *Similiter iussit etiam*

iam mundum & incruentum Christo Deo nostro quotidie offerri sacrificium ad conuersionem & pœnitentiam omnium fidelium. Author m.s. de vita & martyrio S. Alexandri Papæ à B. Petro quinti, narrat Seuerinam Aureliani tyranni coniugem, cùm vidisset maritum, Deo crudelitatem vindicante, pessimè interijsse: *induisse se cilicio, & tam diu iacuisse ad limina Sanctorum, quos ipsa sepelierat, donec ab Oriente venisset B. Sixtus Episcopus, à quo impetrauit, vt in eodem loco ordinaretur Episcopus, qui omni die, quæ sunt sancta, martyribus celebraret.*

Rationes dant Patres. Stephanus Eduensis cap. 13. de Sacramento altaris: *Facta est nostra redemptio Christo semel in cruce passo, nam passione Christi redempti sumus, & liberati de manu inferi; culpis nostris exigentibus quotidie labimur, ab hoc lapsu iterata immolatione, quæ fit in altari, resurgimus & renouamur: immolatio iteratur, non Christus occiditur, sed ipso præsente passio eius repræsentatur.* Eandem propè Ambrosius antè dederat. Congerit plures codex m.s. venerandæ antiquitatis, apud Margarinum de la Bigne in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo rituali, cùm quæstioni huic respondet: *Cur quotidie iteratur ista oblatio, cùm Christus saluarit mundum per vnam passionem suam, & mors illi vltrà non dominetur?* Multis de causis: *Prima, eò quòd peccamus quotidie. Secunda, quòd Christi corpus pœnitentibus post peccata offerri iubeatur, vt salutem per Christi corpus inueniant. Tertia, vt beneficium passionis Domini in iugi memoria vigeat.*

Paschasius Ratbertus lib. de corpore & sanguine Domini c. 9. has adsignat: *Sicut fuit arbor vitæ in paradiso, ita sancta Dei Ecclesia, quæ paradisus deliciarum in Canticis appellatur, habet in se mysterium vitæ, quod in eodem ligno figurabatur, ex quo qui edunt, seruantes mandata vitæ, nequaquam possunt mori in æternum. Quòd si veluti Adam inobedientes à diabolo rursus peccato mortis perempti fuerint, sicut ille de paradiso, remouentur de sacris altaribus, & à ligno vitæ, scilicet, à corpore & sanguine Christi, qui est verum paradisi lignum, cuius folium non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Remouentur autem ne sumant de ligno vitæ, & malè viuant, vt moriantur; imò, & resipiscant à malis suis, & per pœnitentiam reconciliati, Christi per hunc cibum rursus reinserantur visceribus, & feliciter deinceps viuant in æternum. Deinde, vt quicumque dignè hanc vitam sumunt, renati vnum efficiantur, vt sicut iam per baptismum Christum induunt, ita Christus in eis per hoc Sacramentum corporaliter maneat,* &c.

Sed feruor non se tenuit, erupit, tres Missas certis diebus faciebant. Amalarius lib. 3. offic. cap. 41. *In natiuitate Domini tres Missæ dicuntur.* Et modò id fit ob triplicem Christi natiuitatem, vt Soto præclarè

clarè docet. Exoleuit verò quòd cap. 38. refert: *Tres Missæ celebrantur in natiuitate B. Ioannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit; ad hoc enim venit, vt viam Domino ppræpararet exemplo suæ conuersationis, qui triumphus celebratur in vigilia eius. Per baptismi ministerium claruit insignis, huius ministerij triumphus recolitur in prima Missa; Nazaræus verò permansit ex vtero matris, hoc donum recolitur in secunda Missa in die.* Festo adnectenda vigilia est, quia duæ tantùm ipso die fiebant, vt hîc vides in Amalario, & clariùs in Bernone Augiensi Abbate ad Frideboldum de vita Vdalrici Augustani Antistitis, qui morti vicinus *de lecto surrexit monitu duorum iuuenum, qui dormienti adstiterant, & bis, sicut ea die statutum est, sacra Missarum solemnia celebrauit.* Nec moriturus tantùm, sed in vita etiam per diem sæpiùs fecit. Author vitæ, quem vir Clarissimus Marcus Velserus edidit, & scholio illustrauit, cap. 15. sic ait, Hic *alio tempore regionem Burgundionum adijt, & ad Agaunensium locum, vbi S. Mauritius cum suis sequacibus propter nomen Domini martyrium sumpsit, magnæ humilitatis studio visitauit; quia antea à rege Burgundionum promissionem acceperat, vt vnum de sanctis Martyribus ex eius datione & adiutorio inde ad Augustam referre mereretur: & cùm illuc die sabbathi perueniret, monasterium nouiter exustum à Saracenis inuenit, & nullum de habitatoribus ibi conspexit, nisi vnum ædis ædilem, combustum monasterium custodientem. cumq; ille totam noctem in Dei laudibus ibi permaneret, manè cùm radius solis primùm latitudini terræ lucem diffunderet, Missam de sancta Trinitate celebrauit; qua expleta, cùm alteram statim venerationi diei Dominicæ congruentem celebrare cœpisset, duodecim clerici cum multitudine populi aduenientes ministerij sui celebrationem audientes perstiterunt.* Admirandum magis in hoc genere pergit dicere Berno cap. 6. nempe, *A mensa solitum surgere, & subducere se, etiam cùm principes viri adessent, ac Ecclesiam adire, ibiq; tertiò Missam facere.*

A cibo iterare solitum Missam, de repetitione non ita rarum est. Robertus Archidiaconus Austromanniæ de sancto Aiberto Monacho: *Factus presbyter duas in die celebrauit Missas, pro viuis alteram, alteram pro defunctis.* Rariùs tamen præ Leone tertio, qui vel nouies celebrabat in die. Walafridus Strabo rerum Ecclesiasticarum cap. 21. *Fidelium relatione virorum ad nostram vsque peruenit notitiam, Leonem Papam, sicut ipse fatebatur, vna die septies, vel nouies Missarum solemnia sæpiùs celebrasse; Bonifacium verò Archiepiscopum & Martyrem semel tantùm per diem Missas fecisse, qui & non longè ante nostra fuerunt tempora, & ambo tam scientia, quàm gradu præcipui.* Deinde concludit:

Itaque

Itaque vnusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet; vt nec sæpiùs offerentes æstiment Deum aliter petitiones non posse discernere; nec semel hostias per diem immolantes, putent suæ fidei subtilitatem potiùs, quàm superiorum deuotionem diuinis acceptam conspectibus. Modum posuit Concilium Salegustadiense cap. 5. vetuitque ne quis trium Missarum numerum excederet; accessit Alexander Papa qui ad id tempus ad vnam reuocauit, cap. Sufficit, de consecr. dist. 1.

Vetitum etiam quibusdam diebus celebrare. Concilio Toletano 16. can. 8. pro Egicane toto anno in vniuerso regno præscribuntur Missæ, *Excepto passionis Dominicæ die, quando altaria denudata persistunt, nec cuiquam eodem die Missarum licet solemnia celebrare.* Additum parasceuæ olim sabbathum sanctum fuit. Innocentius primus ad Decentium: *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo, id est, parasceue & sabbatho sancto, quo Apostoli in mærore constituti ieiunarunt, Sacramenta penitus non celebrari.* Imò sexta Synodus can. 52. voluit sacerdotes in quadragesima tantùm conficere in die sabbathi, Dominica, & annuntiatione B. MARIÆ Dei parentis; alijs autem diebus vti præconsecratis hostijs, vt in Latina Ecclesia ante annos septingentos suo tempore fieri solitum Hrabanus Maurus lib. de institutione Clericorum c. 67. docet, laudatque Balsamon.

Carthusienses primò non quotidie celebrabant, vt in tertia compilatione antiquorum statutorum cap. 1. innuitur. Et Petrus Blesensis, qui ante annos quadringentos scripsit, epistola 86. M. Alexandrum Monachum, qui ordinis mutationem meditabatur, quòd quotidie rem diuinam facere per leges ordinis non posset, reprehendit acriter: *Hoc in ordine Carthusiensium causaris & arguis, quòd singulis diebus Missas non faciunt, atque huius religionis, aut potiùs superstitionis obtentu tuum machinaris egressum; tuæ litteræ faciunt te insanum. Sed iuxta verbum Sapientiæ,* (Eccles. 19.) *Melior est homo minoratus sapientia, & sensu deficiens in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Domini. Scis quia Monachorum pater, & sacri ordinis institutor, nec etiam sacerdotij gradum attigit, expersq; Missarum multo tempore, etiam in die paschæ, vtrùm paschalis esset solemnitas ignorauit. Paulus primus eremita, & Antonius, Petrus & Paulus Apostoli, quorum laus est in Euangelio, non leguntur singulis diebus salutis hostiam immolasse. Frequentia contemptum parit, & ex ipsa raritate crescit reuerentia Sacramenti. Peccamus quidem assiduè, & vbi continuantur peccata, continuum oportet esse peccati remedium; verumtamen mundi pretium impretiabile, communemq; salutis humanæ hostiam nisi in spiritu humilitatis, & corde contrito non licet immolare. Mors in olla est* (4. Reg. 4.) *nisi*

nisi sancti Elisæi farinula condiatur. Olim anima quæ certis temporibus afflicta non fuerat (Leuit. 23.) *exterminabatur de populo suo; nec celebrabatur agni paschalis sacrificium,* (Exodi 12.) *nisi in amaritudine agrestium lactucarum,* &c. Bene carpit inconstantiam, nec enim de facili transiliendum de Ordine vno in alium. quare ferendum etiamsi vir sanctus in Alexandrum vehementiùs inuehatur: rationes tamen nihil euincunt, nisi quod superiùs de communione diximus, ex causa posse quempiam celebratione quotidiana abstinere; vt recentior veniat, ac maiorem apportet reuerentiam; alioquin

Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Correxerunt hoc Patres Carthusiani noua collectione statutorum 2. p. cap. 7. & meritissimò sanè; rectè enim Augustinus epistola 118. & refertur cap. Si non, de consecrat. dist. 2. *Si non talia peccata sint, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.*

CAPVT XLVIII.

Vbi?

LOcum inquirimus in quo Deo salutaris hostia litabatur.

In Dominico. Ita acta procos. sanctorum Martyrum sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus suprà: & Cyprianus epistola 63. Cæcilio: *Non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus, nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Tertullianus lib. de fuga & persecutione, &c.

Cryptis. Cornelius Papa ad Lupicinum Viennensem Episcopum: *Scias, frater carissime, aream dominicam vento persecutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum Christianos vbique tormentis varijs affici; nam ad hoc in vrbe Romana Imperator constitutus est, vt publicè, neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis liceat.*

Svper corporibvs Sanctorvm. Walafridus rerum Ecclesiasticarum cap. 20. *Legitur Felix vicesimus septimus Papa constituisse, vt super memorias Martyrum, Missæ celebrarentur. Sed & B. Gregorius Papa in ordine sexagesimus sextus, præcepit super corpus BB. Petri & Pauli Apostolorum fieri Missas.* Ita & Ioannes Diaconus in vita Gregorij lib. 2. sic de eodem loquitur: *Super corpora beatorum Petri & Pauli Apostolorum Missarum solemnia celebrari decreuit, acquisitis numerosissimis oliuetis, quo-*

rum summam in tabulis marmoreis pro foribus eiusdem basilicæ annotauit.

Quod de Gregorio Walafridus Strabo & Paulus Diaconus referunt, quasi ille super beatis corporibus SS. Apostolorum iusserit celebrari, id in vsu iam antè fuerat. Hieronymus contra Vigilantium: *Romanus Pontifex offert Domino sacrificia super mortuorum hominum Petri & Pauli ossa veneranda, & tumulos eorum arbitratur altaria Christi.* Sigebertus in Chronico ad annum Christi 441. de Leone Romano Papa: *Hic quoties rogabatur ab aliquibus, vt eis aliquorum Apostolorum, vel Martyrum reliquias daret, consueuit ad corpora, vel memorias Apostolorum, vel Martyrum, quorum reliquiæ petebantur, Missas celebrare in ipsorum honore: & sic brandeum altaris, quo consecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat, & pro reliquiis Apostolorum vel Martyrum dabat. Vnde si ab aliquibus dubitabatur, cultello pannos illos pungens, sanguinem eliciebat. Sic palàm cunctis faciens, quòd in consecratione mysteriorum Christi, sanguis Apostolorum vel Martyrum, qui pro illo effusus est, intret per diuinam virtutem in pannos illos, & ideo meritò illos dari pro reliquiis Sanctorum, in quorum honore consecrati sunt.*

Super monumentis in campo non licet. de consecr. dist. 1. c. Non oportet. imo ex Concilio Agrippinensi: *Ecclesiam in qua paganus sepultus est, non licet consecrare, neque Missas in ea celebrare.*

IN CARCERE. Cyprianus epist. 15. ad Clerum, monet ne glomeratim ad carceres conuolent: *Consulite ergo*, inquit, *& videte, vt cum temperamento hoc agi tutius possit, ita vt presbyteri quoque, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent; quia & mutatio personarum, & vicissitudo conuenientium minuit inuidiam.* In vita sanctorum Processi & Martiniani Martyrum, B. Petrus Apostolus signo crucis impresso aquam ex monte Tarpeio expresserat, vbi cum D. Paulo in Mamertini custodia detinebatur, & obtulit sacrificium, ac participes fecit corporis & sanguinis Domini.

Idque SVPRA PECTVS. Metaphrastes de S. Iuliano martyre fame propemodum enecto; à quo discipuli donari auebant corpore Domini die festo Theophaniæ: sed non videbatur fieri posse, vt mensa inferretur, ob frequentiam carceres obsidentium. *Ille verò, mensa erit vobis, meum pectus, inquit, non futura Deo minùs honesta, ea, quæ fit ex inanimi materia; templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. itaq́; factum est; Deus ita voluit, custodes abierunt, vt hoc Martyri esset ad honorem, discipulis solatium. iussitq́; omnes Martyr in orbem consistere, vt inter se inuicem alter prope alterum stantes, eum tutò comprehenderent, & suo pectori imponi signa diuini sacrificij. Hæc vt fecit in cælum sustulit*

oculos,

oculos, ritè omnia ad sacrum peregit; primùm se Sacramentorum fecit participem, & transmisit ad eos qui abierant, vt ostendit in vltima ad eos epistola.

In manibus Diaconorum. Theodoretus Cyri Episcopus de vitis Patrum cap. 20. in Marre ad Netim Homeri vicum anachoreta: *Cùm longo tempore desiderasset videre* (Marris nimirum) *offerri spiritale & mysticum sacrificium, rogauit vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego verò lubenter parui, & iussi sacra vasa adferri (pagus enim haud longè aberat) & pro altari vsus Diaconorum manibus, mysticum, diuinum & salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, & existimabat seipsum cælum videre, dicebatq́; se nunquam tantam cepisse lætitiam.*

Titulis. S.Pius Papa Iusto Episcopo: *Antequam Roma soror nostra Euprepia, si bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus adsignauit, vbi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus.*

Campis. Bertholdus de Synodo Placentina: *Facta est autem hæc Synodus circa mediam quadragesimam Placentiæ, ad quam Synodum multitudo tam innumerabilis confluxit, vt nequaquam in qualibet Ecclesia illius loci posset comprehendi: vnde & Dominus Papa* (Vrbanus secundus) *extra vrbem in campo illam celebrare compulsus est: hoc tamen non absque probabilis exempli authoritate; nam primus legislator Moses populum Dei in campestribus legalibus præceptis, Deo iubente instituit; & ipse Dominus non in domibus, sed in monte, & in campestribus discipulos suos Euangelicis statutis informauit. Missas quoque nonnunquam extra Ecclesiam satis probabiliter, necessitate quidem cogente, celebramus; quamuis Ecclesias earum celebrationi specialiter deputatas non ignoramus.*

In tentoriis. Anonymus author vitæ S. Bonifacij Martyris & Episcopi lib. 1. cap. 23. *Cùm vir Dei in Turingia versaretur, prædicans & baptizans apud flumen Oraham tentoriis fixis quadam nocte permansit. tota autem nocte illa lux cælitus sparsa locum, in quo ille manebat, ambiuit; atque in ipsa luce S. Michael Archangelus ei apparuit, eumq́; in Domino confortauit. Manè vir Dei laudans & benedicens Dominum, Missarum solemnia illic celebrat, ac deinde eodem in loco prandium sibi parari iubet. Dicente autem ministro, deesse cibum, quo vesceretur, ille respondit; Itáne qui tot hominum millia in deserto annis quadraginta pauit manna, mihi indigno seruulo suo non potest vnius diei alimoniam suppeditare? His dictis iubet apponi mensam: interea quædam auis aduolat, & piscem ore ferens, qui illo die ad cibum sufficeret, ante mensam deponit. Tum verò sanctus Præsul gratias agit Deo, piscemq́; mandat ocyus præparari, cumq́; ex illo comedisset, reliquias in flumen proiici iubet.*

Tugurio. De Apollinare Episcopo Martyre id constat ex Martyrologio,

tyrologio, vbi de eo hæc verba: *Habebant autem Christiani tugurium non longè à mœnibus, in quo ille Missas faciebat: baptizabat autem in mari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idque Glossa concessum putat de consecr. dist. 1. *Concedimus etiam vt sicubi, quod peccatis nostris exigentibus per plurimum factum est, à Normannis & Sclauis, ab Vngaris & malis Christianis, seu aliquo qualicunque modo ecclesiæ fuerunt incensæ & cōbustæ, in capellis cū tabula consecrata Missas interim celebrari permittimus, donec ecclesiæ ipsæ restaurari queunt. In itinere verò positis si ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula altaris cōsecrata, ceteraq́ ministeria ad id officij pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus.* Capellas enim non ecclesias, sed antiquitus tuguria caprarū pellibus tecta coniicit fuisse.

DOMO. Paulinus in vita Ambrosij: *Cùm trans Tiberim apud quandam clarissimam inuitaretur, vt sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix, quæ paralytica in lecto iacebat, cùm cognouisset ibidem esse Domini sacerdotem, in sellula se ad eandem domum ad quam ille inuitatus aduenerat, portari fecit; atque orantis & imponentis manus vestimenta attigit, quæ cùm exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cœpit,* &c. Celebratum quidem in domo pace Ecclesiæ, sed clarissimæ fæminæ, difficile alioquin impetratu erat; quod disces ex Greg. l. 5. epist. 43. indict. 14. vbi mandat Ioanni Episcopo Syracusano, vt amicitiæ pacisque causa quæ inter Ecclesiæ & sæculi præsides esse debet, in Venantij præfecti domo Missarum peragi mysteria permittat: imò ipsemet diuus Marcellus Papa in domo Lucinæ, via Latina sacra faciebat, vt docent acta 16. Ianuarij.

IN CELLA. Simeon Metaphrastes in Paphnutio, cui prodito, nondum tamen tradito *Angelus Domini apparens, Salue, inquit, Paphnuti, Christi athleta. Cui Paphnutius respondit; Saluus sis, & tu Domine. Sequere me, inquit Angelus, vt coronem domum illam quam à puero ædificasti: ingredere in cellam tuam, & arma te lorica iustitiæ, & pallio sacro indutus cælestem oblationem offeras: quoniam veni hodie, vt te vocarem ad thalamum Domini tui, vt sine solicitudine aliqua fruaris Deo tuo. Iam enim delatus es apud Arrianum præsidem, qui præcepit ducentis militibus, vt antequam dies crastinus illucescat, te vinctum ad tribunal ducant,* &c. *Cùm Angelus hæc illi dixisset, B. Paphnutius in cellulam suam ingressus, pallio & linteo se induit, ac post oblationem exiit ita hilaris, vt aliquis faceret ad conuiuium pergens.*

ANTE LECTVM. Vranius presbyter de S. Paulino Nolano cap. 2. *Cùm ante triduum quàm de hoc mundo ad cæleste habitaculum vocaretur, cùm iam de salute eius omnes desperassent, & duo ad eum Episcopi visitandi studio conuenissent, id est S. Symmachus, & Benedictus Hyacinthinus; ita in eorum aduentu recreatus atque refectus est, vt oblita omni carnali infirmitate angelicum*

eis

eis exhiberet affectum. & quasi profecturus ad Dominum, iubet sibi ante lectulum sacra mysteria exhiberi, scilicet vt vnà cum sanctis Episcopis oblato sacrificio animam suam Domino commendaret.

De TEMPLO nihil est quod miremur, quia proprio ibi loco fit, nec decenter alibi, nisi ex causa. Theodulphus Aurelianensis epistola ad compresbyteros: *Missarum solemnia nequaquam alibi, nisi in ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus, & in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus: iuxta illud quod scriptum est (*Deuter.12.*) Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus, vt ponat nomen suum ibi.*

Sed IN MARI, quis audiuit factum? B. Wulfrannus Archiepiscopus Senonensis apud Wandonem Abbatem Fontanellensem ad Ionam monachum, & D. Antonin. 2.p.c.2. tit.14. §.2. fecit: *Dum in Phrisiam nauigarent, & essent in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, adfuit hora, qua Missam cantaret S. VVulfrannus mari manente immobili positis anchoris. Denique dum ventum esset ad locum, quo minister offerre patenam debebat Præsuli sancto, Præsul manu extensa eam exspectabat: sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit; prostratusq́; pedibus Sancti veniam precabatur. Qui mittens eum ad locum vnde ceciderat, hoc effecit, vt patena ab imo maris reuecta manui ministri cohæreret.*

Et quidem SVPRA PISCEM. Diuo Machutæ contigit, quod vix credas; authorem laudabo Antoninum Florentinum 2.p.tit.12.c.8.§.5. *Ad insulam vir sanctus appulerat, vbi sancti Brendani magistri sui iussu Milduinum gigantem in idololatria mortuum à pœnis ad vitam reuocauerat; patriam inde repetens ipso paschatis die quasi insulam quandam vidit. eò defertur: celebrat; & cùm cantaretur oratio Dominica, subitò tota illa, quæ videbatur insula, commota est. Bellua autem erat, quam cete dicimus, ea magnitudine, vt insulam crediderint, vel terræ spatium nō modicum.* Consternantur omnes animis, & deglutiendos se opinati, vniuersi cōgemunt. vir sanctus sacrum peragit, eosque hortatur præsentibus animis esse, Ionam prophetam triduum in ventre ceti delituisse: & hoc à Deo precibus impetrauit, vt se non moueritanimal dū omnes in nauim se recepissent.

Simile prorsus Sigebertus ad Tietmarum Abbatem de B. Maclouio præscribit. Cùm enim pascha esset, & vir sanctus desideraret opidò pro festi dignitate celebrare; & nauigio veheretur per mare, nec terra appareret in quam exscenderet; ecce *qui olim periclitanti Ionæ cetum ad saluationem eius præparauit, hic etiam balenam præstò adesse fecit, cui tanta corporis vastitas erat, vt rupes esse ab hominibus putaretur: porrò eam tanta substrauerat immobilitas, vt insula stabilis esse crederetur.*

Sacramentorum ergo ordine à sacerdote solemniter celebrato, & viatico Dominicæ Eucharistiæ omnibus deuotè distributo, quo vnico inter omnes vtriusque hominis aduersitates munirentur subsidio, soluto alacriter nauis retinaculo, reddunt se suscepto nauigandi proposito. Porrò in comitatu illo erant homines numero centum octoginta. Cùm ergo iam altum tenerent velificantes fide securi; tunc demum reducto visu, intellexêre de quanto periculo eos eruerit misericors potentia Domini, qui balenam pro insula eis parauerat in medio mari; & eam substrauerat immobilitate tam stabili, vt nihil eis periculi incuteret. Cui tum posset esse dubium, quòd ineuitabile omnes incurrissent mortis periculum; si bellua immanissima dedisset corporis sui motum? vnde omnes lætum cantantes celeusma voces gratiarum actionis vnanimiter iactabant ad sidera.

CAPVT XLIX.

Quis minister?

SAcerdos; cuius ea dignitas vt maior esse non possit. In eo laudando Patres omnes Chrysostomi sunt, sed ipse super omnes, lib. 3. de sacerdotio: *Tanto est superius regno sacerdotium, quantum est inter spiritum & carnem interuallum.* Ignatius ad Smyrnenses epist. 7. *Sacerdotium est omnium bonorum, quæ in hominibus sunt apex; qui aduersus illud fuerit, non hominem ignominia afficit, sed Deum & Christum* IESVM *primogenitum, qui natura solus est summus sacerdos Patris.* Consternauit hæc maiestas tanta S. Paulinum epistola 6. ad Sulpitium Seuerum, cùm de suo sacerdotio loquitur, ad quod vi multitudinis fuerat promotus inuitus. *Nouum insperatumque placitum diuinæ voluntatis expaui; data igitur ceruice in iugum Christi video maiora me meritis & sensibus opera tractare, iamque arcanis & penetralibus Dei summi receptum & insertum, communicare cælestia, & Deo propiùs admotum, in spiritu ipso Christi & corpore & splendore versari.*

Mediatorem agit Deum inter ac humanum genus. Chrysostomus suprà: *Medius inter Deum & hominum naturam stat sacerdos, beneficia illinc ad nos deducens.* Honorem ideo summum Christiani illi habitum iuerunt, & in famulo dominum, & in oratore regem venerati sunt. Concilium Matisconense cap. 14. *Statuimus, vt, si quis sæcularium quempiam clericorum in itinere obuium habuerit, vsque ad inferiorem gradum honoris veneranter, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cuius officia & obsequia fidelissima christianitatis iura promeruit. Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, clericusque similiter, sæcularis galerum de capite auferat,*

ferat, & clerico sinceræ salutationis munus adhibeat: si verò clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo sublimis; ilico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico sinceræ caritatis exhibeat. Et facto ipso beatus Martinus præ Imperatore sacerdotem veneratus est. Fortè enim, vt ad Desiderium Seuerus Sulpitius scribit, Imperator Maximus virum sanctum tandem aliquando eò induxit, vt mensæ voluerit interesse. *Conuiuæ aderant veluti ad diem festum euocati, summi atque illustres viri, præfectus, idemq; Consul Euodius, quo nihil vnquam iustius fuit, Comites duo summa potestate præditi, frater regis, & patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat, ipse autem sellula iuxta regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium, vt mos est, pateram regi minister obtulit; ille sancto admodum Episcopo dari potiùs iubet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet; nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos qui à rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesq; qui tunc aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti sunt, placeret. Celeberrimumq; per totum palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum iudicum conuiuijs Episcoporum nemo fecisset.*

Verùm quia, vt B. Nilus tractatu parænetico: *Sacerdos non est, qui pro sacerdotis dignitate non viuit*; multa veteres in eodem desiderant.

SCIENTIAM. Chrysostomus suprà: *Magna dicendi facultate sacerdoti opus est, quin etiam dialectices valdè peritum esse oportet.*

CASTITATEM. Quam si communio adeunda requirit, multò certè magis sacrum ministerium. quare species etiam turpitudinis abesse debet. Canon extat in Pictauensi Concilio sub Paschali II. *Vt nullus presbyter, diaconus, vel subdiaconus concubinam habeat, sed nec aliam fæminam, vnde magna suspicio habeatur, in vna domo secum teneat. Et quicumque huiusmodi sacerdotis concubinarij, siue per pecuniam ordinati Missam scientes audierint, excommunicationi subiacere debeant.* Hunc canonem non seruauit quidam, & horrendè luit. Sic enim Petrus Venerabilis lib. 1. miraculorum cap. 25. *Apud castrum Liziniacum, quod in Pictauensi pago situm est, nuper quidam presbyter erat, qui sacerdotalis ordinis supercælestem dignitatem miserrimæ vitæ conuersatione deturpans, non ad animarum, quibus præerat curam, sed ad carnis suæ voluptatem explendam sacro ministerio vtebatur; qui iuxta Prophetam* (Ezech. 34.) *lac gregis sui comedens, & eius se lanis operiens, absque vlla spe æternorum mercedibus mercenarij auidissimè pascebatur. Mundissimam, atque omnia mundantem*

dantem

dantem Christi carnem & sanguinem in altaris Sacramento frequenter officio, non deuotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus sese cohibebat. Cumq; vt sus immunda multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, & sui ipsius fœtoribus delectaretur; territus conscientiæ malo, sicut aliquando & mali ad horam compunguntur, familiaritatem quorundam bonorum virorum expetijt: & Abbati Bonævallis, ac fratribus eiusdem monasterij se in amicitiam specie tenus copulauit. Qui longo tempore eum de vitæ emendatione commonentes, & vt sæculo renuntiaret assiduè exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem spem aliquando potuerunt. Nam libenter, quæ dicebant, audire se fingens, & semper eos de conuersione suspendens, de societate sanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione vel exemplis eorum à malis retrahebatur. In his atque in alijs perditæ atque perdendæ vitæ suæ actibus perdurans, & obstinatione impia iram sibi in die iræ thesaurizans, in morbum incidit, quo post aliquot dies ingrauescente, ad extrema peruenit. Adierat eum visitationis gratia Prior iam dicti monasterij, atque cum eo per aliquantum diei spatium, ipso quoque rogante permanserat. Et ecce nocte superueniente, cùm cunctis discedentibus, solus lecto eius assideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit: Succurre, ait, succurre; ecce duo super omnem feritatem expauescendi leones in me impetum faciunt, hiante ore ac rictu feroci per frusta decerpturi me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum, vt ab his eripiar, neque morsibus eorum consumar. Dicebat hæc, & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retro cedebat. Prior verò vocis ac gestus illius terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat; ad preces tamen ipsa necessitate impellente conuersus, pro misero illo, vt poterat, Dominum exorabat. Quo orante mutata voce æger, Bene, inquit, bene, recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas iam vltrà nusquam apparent. Et quia vsque ad vltimum spiritum semper compos sui extitit, nec, vt quidam morientium solent, vel in modico sensu imminutus fuit, conuersus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti sanissimus cœpit. cumq; tam de his, quàm de aliis multa inter se verba conferrent, horæ fere vnius spatio elapso, rursum inclamare longè terribilius quàm primò exorsus est: En, inquit, en ignis de cælo, vt torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, iam iam me in fauillam vsque comburet. Festina, adiuua, ora, si fortè & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens, manibus & brachiis opertoria subleuabat, eaq; velut aliquid iuuare possent, inuisibilibus ignibus turbatus opponebat: sed nequidquam. Non enim corporalia tegmina à spiritualibus incendiis tegere poterant, quem cælesti vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuò ad orationem conuertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur: illo, vt suprà,

prà, orationi instante, post paululum patiens gratulationis vocibus, preces eius interrupit, dicens: Quiesce, iam ab igne tutus sum: nam dum super me, vt dixi, cum impetu descenderet, interpositus est linteus, vsque ad quem ignis peruenit, sed eum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas, quousque quis istorum finis futurus sit, agnoscas. Tum Prior, qui tam timore, quàm hospitandi necessitate recedere volebat, substitit, & ab oratione surgens, rursum ei adsedit. Cumq; eum in tantis terroribus anxium consolaretur, & vterque ad inuicem, vt priùs colloqueretur; subitò ægrotus ad inuisibilia raptus obmutuit. Prior raptum eum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur. Cùm ecce post multum noctis spatium homo ad se redijt, & miserabiliter ingemiscens, ait: Ha, ha! ad iudicium æternum raptus sum, & heu miser, æterna morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum diabolo & angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce, ecce ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamq; ad me frigendum vndique succenderunt. Et cùm Prior orationi, sicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuisset, ille ait, Cessa, cessa pro me orare: nec pro illo vltrà fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore verò dicente, Frater redi ad cor, & misericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require: ille adiecit, Putas, ait, me vt insanum loqui? non insanio, sed sana mente quæ dixi, confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens eum interrogauit: nónne hoc quod manu teneo, cuculla tua est? Quo respondente, Est; adiunxit, Sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum mihi est, palea est; sic & hoc quod coram cerno, ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illa, quam dicebat, sartagine exiens, in manum eius Priore vidente cecidit, &, mirabile dictu, cutem & carnem vsque ad intima ossis consumpsit. Tum ille, acri cum gemitu, En, inquit, indubia rei probatio: nam sicut ista quam vides, de sartagine prolapsa gutta carnis partem consumpsit, sic confestim totum me ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente, iterum dixit; Ecce sartaginem istam ministri infernales propiùs afferunt, vt me in illam iniiciant, iam namque manus adaptant. Et post modicum: Ecce linteum in quo iaceo, vndique concurrentes accipiunt, & me in ignitam sartaginem, æternam frixuram coniiciunt. Hoc velut vltimum vale mox vt Priori, atque his, qui ad hoc horrendum spectaculum conuenerant, dixit; subtracta voce, ac reflexa ceruice, puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. Tantus verò terror omnes inuasit, vt ilicò vniuersi aufugerent, neque aliqui in domo, vbi cadauer mortis remanserat, remanere auderent. Facto manè miserum cadauer sepulturæ mandatum est. Post aliquot autem dies, cùm ad vniuersos circà positos hæc tam terribilis fama peruenisset; rei veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt, atque fossam illam quam in manu adhuc viuentis

presbyteri gutta prænuntia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt. Horrenda sanè vltio, sed leuiùs animaduersum diuinitus in diaconum, qui sacrificanti post pollutionem nocturnam ministrabat, sed confusione & pœnitentia maculam eluit. ita enim D. Bernardus de vita Malachiæ Episcopi Hiberniæ. cùm B. Malachias *Sacramenta offerret, & appropiasset ei diaconus, facturus aliquid pro officio suo, intuitus eum sacerdos ingemuit, quòd sensisset penes eum latere quod non conueniret. peracto sacrificio, secretò percunctatus de conscientia sua, confessus est, & non negauit illusum sibi per somnium nocte ipsa. Cui iniungens pœnitentiam, Non debueras, inquit, hodie ministrasse, sed verecundè te subtrahere sacris, & deferre tantis tamq; diuinis mysterijs, vt hac humilitate purgatus dignus exinde ministrares.*

Item in presbyterum, cuius B. Petrus Damianus meminit lib. miraculorum sui temporis: *Princeps quidam presbyterum habebat sanctæ conuersationis virum, & in diuinis officiis, præcipuè in solemniis Missarum, indesinenter assiduum. Qui cùm quotidie sacris mysteriis insisteret, Angelus Domini ex consuetudine veniebat, & vidente principe Sacramentum Dominici corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed criminalis huius vitæ lubrica & incerta conditio. Nam qui angelicis fruebatur mundis obsequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repentè prolapsus est. Quid plura? peragendi sacri mysterij tempus aduenit, presbyter consuetudine foris exigente compellitur: sed grauiter intus conscientia remordente torquetur; tamen ornatur, accedit, trepidat, palpitat, offerre præsumit. Ecce angelus, vt assuetus fuerat, venit, & inspectante principe spongiam infectam aqua super caput illius expressit, totumq; corpus illius tergendo purgauit. Expletis autem mysterijs, eandem spongiam rursus expressit, omnesq; sordes atque squalores, quos à corpore illius antè contraxerat, membris eius omnibus iterum superfudit. Hoc verò princeps admiratus obstupuit, presbyterumq; omnibus semotis secretò conuenit. Inquisitus itaque presbyter, si noui aliquid criminis admisisset: primò quidem, quasi perhorrescens, facinus abnegat, deinde sibi malè conscius, ac principis auctoritate compulsus, tandem se corruisse præterita nocte in quandam cubiculariam confitetur.*

Nec punitio priùs sublata quàm turpes homines altari & sacrificio prorsus se abstinerent. Id docet Palladius in historia Lausiaca c. 10. cùm de B. Macario Alexandrino agit. *Ego*, inquit, *ad eum accessi aliquando, & extra cellam inueni iacentem quendam presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo, qui dicitur Cancer, vt etiam os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum vt curaretur, nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eum dicens: Miserere huius miseri, & saltem da ei responsum. Is*

verò

verò mihi respondit, dicens, Est indignus qui curetur. Quòd si velis eum curari, persuade ei, vt deinceps abstineat a ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico, Quamobrem? quæso. Is verò dicit, Fornicans sacrum peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo, si metu desistat ab eo, quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit; cumq; spopondisset se facturum, Sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus curatus est, capilliq; eius creuerunt, & sanus domum rediјt. Eadem ferè habet Antoninus 2.p. tit.15. cap.6. §.2.

Fuêre tamen matrimonio iuncti, cùm ad sacerdotium proueherentur, S. Petrus, Gregorij Nazianzeni parens Gregorius, B. Cassius Narniensis Episcopus, inscriptione ad sepulchrum de seipso, cùm coniugem mortuam inferret,

Cassius immeritò Præsul de munere Christi,
Quem fato anticipans consors dulcissima vitæ,
Tu, rogo, quisquis ades, prece nos memorare benigna.
Hic sua restituo terræ mihi credita membra,
Ante meum in pace requiescit Fausta sepulchrum;
Cuncta recepturum te nosce congrua factis.

DD. ANN. XXI. M. VIII. D. X.
RE. IN. PACE. PR. KAL. IVL.
P. C. BASILII. AN. XVII.

Sed mariti esse desinebant in sacerdotio. Hieronymus in Vigilantium: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Aegypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si vxores habuerint, mariti esse desinunt?* siue vt in fine apologiæ pro libris contra Iouinianum, erant qui eligebantur, *post sacerdotium pudici.* Isidorus l.2. de diuinis officijs cap. 10. *Casti sint, & continentes ab vxoribus, & ab omni immunditia carnali sint liberi.* Beda lib.3. de tabernaculo cap.9. *Contracta cum vxore matrimonij fœdera soluerint.*

Mulieri conuersæ erat vxori nomen. Concilium Arelatense 2.can.3. *Si quis de clericis à gradu diaconatus in solatio suo mulierem præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* Vouebant autem continentiam perpetuam, vt ex eodem Arelatensi 2. can. 2. patet, & Aratore subdiacono olim Vigilij Papæ, in Acta c.30.

Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos,
Pontifices iubet esse suos.

Nec Pontificibus modò & sacerdotibus continentiæ lex posita, sed diaconibus etiam, vt qui administri sint, & sacrificanti adsint.

Carthaginense 2. can. 2. *Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant.* Si protestabantur tamen, cùm susciperent diaconatum, poterant matrimonio vti. Concilium Ancyranum can. 10. *Diaconi qui in ipsa ordinatione non protestantur se velle vxorem habere, non possunt post ordinationem eam ducere.* Item subdiaconi: & qui id ijs inhibent, presbyteris & diaconis inhibent. sic Aurelianense 3. can. 2. *Nullus clericorum à subdiacono, & suprà, propriæ, si fortè iam habeat, misceatur vxori.* Et Elibertinum can. 33. præcipit ijs omnibus, *abstinere se à coniugibus, & non generare filios.* puta si voto se obstrinxerint. Vnde Gregorius lib. 1. registri c. 42. Petro subdiacono Siciliæ: *Ante triennium subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem antè promisit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc, quod absit, deteriùs cadat. Vnde videtur mihi, vt à præsenti die omnibus Episcopis dicatur, vt nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit: quatenus & præterita mala quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui verò post eandem prohibitionem quæ ante triennium facta est, continenter cum suis vxoribus vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt, & vt in bono suo permaneant, exhortandi: eos autem qui post prohibitionem factam se à suis vxoribus continere noluerint, promoueri ad sacrum Ordinem nolumus; quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.*

CONSTANTIAM. Quæ variè eluxit in Federico Traiectensi Episcopo Martyre, illius vt acta testantur. Cùm enim liberè Ludouicum Imperatorem, & Iuditham adulterij, & in Episcopos sacrilegij monuisset, Traiecti parato sacrificare, adest nuntius, qui dicat esse pro foribus à regina missos. ille hoc oculis eleuatis in cælum suscipiens gratias referebat, quòd tempus appeteret fundendi sanguinis; & ad adstantes conuertitur, Scio, inquit, quid velint, sed expectare iubeo, donec peractum sit sacrificium. quod facit, & singulos impertit corpore & sanguine Domini. tum illi lacrymantur, nec causam sciunt. Ille autem, vestitus vt erat, in oratorium S. Ioannis Euangelistæ secedit, solo Capellano sequente Sanctorum suffragia implorat; emissoq; Capellano, & emanere iusso, dum reuocaretur, sicarios aduocat, tremulos hortatur iussa exequi: *Facite,* ait, *quod iussi estis intrepidi, causam aduentus antè præsciui.* Tum illi sicas expediunt, & Sanctum conficiunt. Sanguinem ille stitit compressione vulnerum, & post fugam sicario-

rum

rum Capellanum reuocat, iubet ex edito prospicere si Rhenum sicarij traiecerint. quos vt audiuit traiecisse, Ne turbare, inquit, fili mi, cõuoca clerũ, vt terram terræ mandet. Adest extemplò inter reliquos B. Odulphus Sancti coadiutor, quo pręsente vir sanctus in sepulchrũ se recipit, & inter pia verba, de cõdonata cęde, animã placidè creatori reddidit.

MATVRITATEM MORVM, AC VITÆ INTEGRITATEM. Synesius ep. ad Euoptium apud Niceph. l. 14. c. 55. *Sacerdotem oportet virum esse diuinũ, & ad ludum omnem, perinde atque Deum, difficilem & durum: qui vt propositum institutumq́; suum teneat, innumeros plurimorum conuersos in se habet oculos.*

VIGILANTIAM. B Petrus Damiani de S. Romualdo in vita: *Vigilias temperatè, & cum magna discretione faciendas, maximè suadebat, ne cui fortasse contingeret, vt sopori, paratis nocturnis officiis, consentiret. Sanè huiusmodi somnum vir sanctus in tantum habebat exosum, vt si quis ei confiteretur, post duodecim psalmorum vigilias, vel maximè circa diluculum obdormiuisse, nequaquam posset eo die cum eius licentia sacra Missarum solemnia celebrare.*

SANCTITATEM. Athalaricus rex constitutione pro Clero Romano apud Cassiodorum l. 8. c. 24. *Professio vestra in cælis est.* Mirum qua fama sanctitatis Ægyptiorum sacerdotes Hieron. l. 1. contra Iouinianum dicat claruisse, cùm ait: *Cheremon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat Aegypti antiquos sacerdotes, omnibus mundi negotiis, curisq́; postpositis semper in templo fuisse, & rerum naturas causasq́;, & rationes siderum contemplatos esse, nunquam se mulieribus miscuisse, nunquam cognatos & propinquos, ac ne liberos quidem vidisse. Ex eo autem tempore quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino semper abstinebant, propter tenuitatem sensus, & vertiginem capitis, maximeq́; propter appetitum libidinis, qui ex eo cibo & potu nascitur. Rarò vescebantur pane ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, tusum pariter in cibo sumebant hyssopum, vt escam grauiorem illius calore decoquerent. Oleum in oleribus dumtaxat nouerant, idq́; parum propter nauseam & asperitatem gustus leniendam. Ouum etiam vitabant & lac: quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato. Cubile de foliis palmarum, quas Baias vocant, contextum erat. scabellum accliue, & ex vna parte obliquum pro puluillo in terra capiti supponebant: bidui triduiq́; inediam sustinebant. Humores corporis qui nascuntur ex otio, & ex mansione vnius loci, nimia victus castigatione siccabant.*

Signo exteriori sanctitas se prodidit. Sæpe enim illius Deus argumentum dedit, vt in Samsone Dolensi Episcopo, cui, teste Antonino 2. p. tit. 12. §. 6. c. 8. in nocturna visione tres Episcopi apparuerunt aureo diademate insignes, Petrus, Iacobus & Ioannes, qui Ecclesiam ingressi B. Samsonem Episcopum consecrare videbantur. Elapso deinde

minimo tempore, Dubrucius Metropolitanus, cum ſocijs Epiſcopis Eccleſiæ Dolanæ Epiſcopum præficere ſtatuerunt; quod cùm facerent, columbam ſuper eum deſcendere, ibique hærere viderunt, donec finis ordinationi imponeretur. imò ignis de naribus & auribus exiliebat, & toto presbyterij tempore, quoties celebraret, angeli miniſtrare viſi.

STVDIVM IVSTITIÆ. Deus non vno miraculo id in B. Dunſtano Cantuariæ Archiepiſcopo apud Osbertum Monachum in vita c. 32. approbauit. Monetarij tres in carceribus erant, de quibus vir Dei ipſo pentecoſtes die antequam Miſſam celebraret, ſumptum ſupplicium voluit, nulla feſti habita ratione. *Quod*, inquit, *etſi crudelitati adſcribi poſsit, Deo tamen patet intentio mea. lacrymæ, gemitus atque ſuſpiria viduarum ac pupillorum, clamor quoque vulgi totius mihi incumbit, & correctionem huius mali depoſcit.* Tum ſuffuſus lacrymis præſtolabatur ſupplicij finem, quem vt impoſitum intellexit, lota facie, vultu hilari ait, *quia Dominum obediendo ſtatutis iuſtitiæ legibus audiui hodie, confido quòd & ipſe per miſericordiam ſuam ſacrificium de manu mea ſuſcipiet hodie.* Deſcenditque inter ſacrificandum niuea columba, & expanſis ſuper caput alis, & ijs immotis quidem ſub ſilentio manſit. Conſumpto verò ſacrificio, columba eadem in Auſtralem altaris partem declinauit, & ſuper tumulum B. Odonis reclinata, alis hinc inde eum complectebatur, & quaſi roſtro deoſculabatur. Cùm verò Beatus in ſacriſtiam ſe recepiſſet, miniſtris, pro ſigno quod acciderat, his & illis innuentibus, & occupatis, *Ecce dum caſulam, qua inter ſacra veſtiebatur, deponeret, nec vllus adeſſet, qui eam ſuſciperet, diſponente Deo ſuſpenſa pependit in aëre, ne cadens in terram, ſeruum Dei à ſua turbaret intentione.*

Huc habitus, adeoque compoſitio tota hominis facit, ſacerdotemque redire ad ſe iubet & ad orbitam, ſi amat; confirmat item in cœpto, & officij monet. Hucbaldus Elnonenſis ad Stephanum Epiſcopum Cameracenſem in Rictrude c. 14. D. Amandum hæc enucleatè Mauruntum docentem inducit. Cùm enim Marcianis acceſſiſſet *ad Miſſarum peragendam celebritatem, & cùm illic Mauruntus adſtaret, vidit S. Epiſcopus apem ter eius verticem circumuolantem; nec ignorans quid ea res portenderet, eum aduocat, hortatur, vt quamprimum opere perficiat, quod iam pridem animo velle cœpiſſet. Nec defuit Mauruntus ſancti viri monitis, eumq́ idem beatus Antiſtes more eccleſiaſtico totondit, deciſa coma capitis eius, vt coronæ ſignum, vel effigiem ferret in capite; per id quod exteriùs fiebat, innuens quid eius ſignificatione intus ſeruari oporteret: nempe vt vertice capitis nudato deſignaretur, præpotenti Deo nuda & aperta eſſe etiam arcana pectorum,*

nihilq́

nihilq́ vel abditiſſimis verſari cogitationibus, quod fugiat oculos cuncta cernentis. porrò crebra capillorum reſectio, indicaret aſsiduè reſecandas malarum cogitationum ſuperfluitates. Denique corona & ſummi ſacerdotis tiaram, & regiæ dignitatis diadema exprimeret, vt inde admoneretur ad regale pertinere ſe ſacerdotium, & poſt victoriam ex multifariis mortalis vitæ tentationibus reportatam meritò ſe recepturum vitæ immortalis coronam, &c.

Grauis extat Agobardi Lugdunenſis Archiepiſcopi querela, de priuilegio, & iure ſacerdotij, de iniquitate ſui æui, quo ſacerdotes plurimi viles & inhonori viuebant. *Hæc pauca*, inquit, *veteris & noui teſtamenti allegimus teſtimonia, in quibus quaſi in ſpeculo contueri valeamus fœditatem noſtri temporis, omni lacrymarum fonte plorandam, quando increbuit cònſuetudo impia, vt penè nullus inueniatur anhelans, & quantulumcunque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat ſacerdotem, non cui obediat, ſed à quo inceſſanter exigat licitam ſimul & illicitam obedientiam, non ſolùm in diuinis officiis, verùm etiam in humanis. ita vt plerique inueniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut ſaccarata vina miſceant, aut canes ducãt, aut caballos, quibus fœminæ ſedent, regant, aut agellos prouideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus, bonos ſacerdotes in domibus ſuis habere nõ poſſent (Nã quis eſſet bonus clericus, qui cum talibus hominibus dehoneſtari nomen & vitam ſuam ferret?) non curant omnino quales hi clerici ſint, quanta ignorantia, ſeu quantis criminibus inuoluti, tantùm vt habeant presbyteros proprios, quorum occaſione deſerant Eccleſias, ſermones & officia publica. Quòd autem non habeant propter religionis honorem, apparet ex hoc quòd non habent eos in honore: vnde & contumelioſè eos nominantes, quando volunt eos ordinari presbyteros, rogant nos, aut iubent dicentes; Habeo vnum clericionem, quem mihi nutriui de ſeruis meis propriis, aut beneficialibus, ſiue pagenſibus, aut obtinui ab illo, aut illo homine, ſiue de illo, vel illo pago. Volo vt ordines eum mihi presbyterum. cumq́ factum fuerit, putant ex hoc, quòd maioris ordinis ſacerdotes non ſint eis neceſſarij, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta.*

CAPVT L.

Chriſtus viſus munere ſacerdotis perfungi.

QVid ad honorem magis, quàm Chriſtum ipſum, ſocia matre virgine MARIA, miniſtris Sanctis, ſacerdotium adfectaſſe. Viſum hoc ſibi narrat B. Mechtildis lib. I. ſpiritualis gratiæ c. 50. & illius verbis narrabo, vt à Syllego referuntur. *Eo tempore, quo Canonici vicem Epiſcopi gerentes congregationem monaſterij ſui pro quadam pecuniæ ſumma grauiter*

grauiter affligendo à diuinis suspendissent: in die assumptionis gloriosissimæ Virginis, cùm hæc Dei famula nimis affligeretur dolore, propter carentiam Dominici corporis, visum est ei, quòd Dominus abstergeret lacrymas ab oculis eius, & manum eius tenens, diceret; Hodie videbis mirabilia. Cùm ergo sacerdos ex more inciperet ad processionem, responsum, Vidi speciosam sicut columbam; apparebat ei quasi tota congregatio ordinaretur ad processionem, quam Dominus cum matre sua præcedebat, cum vexillo albi coloris & rubri; in albo erant rosæ aureæ, & in rubro argenteæ. Hæc processio facta est per ambitum claustri vsque in chorum, & deinde vsque ad altare. Tunc Dominus se præparabat Missam celebraturus, indutus casula rubea & pontificali infula; S. Ioannes Baptista lecturus erat epistolam, & hoc ideo, quia primus erat, qui de gaudio Virginis in vtero exultauit. Sanctus verò Ioannes Euangelista lecturus erat Euangelium, eò quòd ipse custos fuerat beatissimæ & gloriosissimæ Virginis MARIÆ. *S. Ioannes Baptista & S. Lucas Domino in altari ministrabant, & S. Ioannes Euangelista ministrabat beatissimæ Virgini, quæ stabat in dextera parte altaris vestita indumentis solaris luminis, habens in capite coronam omnium lapidum pretiosorum generibus incomparabiliter adornatam. Omnibus autem Sanctis, qui aderant Missam solemniter inchoantibus, Gaudeamus omnes in Domino; beatissima Virgo ad altare processit offerens filio suo fibulam auream tanquam crystallum purissimam, & summopere inæstimabiliter gemmis ornatam, quæ singulæ puritatem speculorum habebant, ita quòd beatissima Virgo contemplabatur omnes virtutes suas in eis. Hæc fibula texit totum corpus Dominicum, velut clypeus, & beatissima Virgo in illa velut in speculo se videbat. Tunc Missam primò imposuit, Gloria in excelsis Deo, dicens; De gaudio cordis mei omnibus vobis propino gloriam. Ad Offertorium autem eæ Sanctæ quæ beatissimæ Virgini specialia impenderunt obsequia, accedentes ad altare, obtulerunt annulos aureos, quos Dominus suscipiens digitis suis imposuit. Et cùm Præfationem ipse summus sacerdos & Pontifex decantasset vsque ad illud, Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes; dixit ad Sanctos, Cantate omnes & psallite. qui omnes cantabant, Sanctus, sanctus, sanctus. Inter omnes, & super omnes beatissima Virgo dulcissimum dabat sonum, quo præ omnium Sanctorum vocibus eius vox specialiter agnoscebatur. Cùm autem instaret hora sacratissima, qua eleuanda erat hostia, visus est eleuare hostiam quasi aurea pyxide inclusam, & sindone velatam; per quod significabatur, quòd hoc Sacramentum omni humano, siue angelico intellectui est absconditum. Dicto, Pax Domini, posita est ibi mensa ad quam Dominus discumbebat. Congregatio autem tota, ad mensam illam accedens, vnaquæque persona sub brachio beatissimæ Virginis quasi geniculando accepit Dominicum corpus de manu Domini, & beatissima Virgo*

craterem

craterem aureum cum fistula aurea ad latus Domini tenebat, qua sugebant omnes liquorem illum dulcissimum qui de pectore Domini emanabat. Finita Missa Dominus benedictionem dabat manu sua, in qua per singulos digitos annulos aureos habebat, significantes desponsationes singularum virginum sibi desponsatarum, qui lapides rubeos habebant: per quod figurabatur, quòd sanguis eius specialiter ad virginum pertinet ornatum.

CAPVT LI.

In quas formas Christi corpus in V. Eucharistia euaserit?

PAschasius lib. de corpore & sanguine Christi cap. 14. Nemo *qui Sanctorum vitas & exempla nouerit, ignorare potest, quòd sæpe hæc mystica corporis & sanguinis Sacramenta, aut propter dubios, aut certè propter ardentiùs amantes Christum, visibili specie in agni vel pueri forma, aut in carnis & sanguinis colore monstrata sunt, vt qui latebat in mysterio, patesceret in miraculo.* Vbi duplex causa, nutans fides, & ardentior amor. formas prosequamur in quas abijt, & exemplis edamus, non omnibus illis quidem, quæ supra numerum sunt, & vulgo vt plurimum nota; sed illustrioribus tantùm, & minùs obuijs, aut quæ doctrinæ aliquid habeant & antiquitatis.

PVERI. Hoc B. Cyrillo Carmelitano prodigium contigit, quod Ioannes Baptista Mantuanus lib. 5. Fastorum describit:

Cyrillus diuinus homo, cùm sacra litaret
Mane sub auroram, sacra vestitus abolla;
Res miranda, puer fulgenti splendidus ore
Adstitit ante virum, liquidis suspensus in auris,
Argentumq́, docens annorum fata sequentûm,
Protulit, & manibus pronis demisit in aram,
Adiiciens; Deus ista tibi secreta reuelat
Sancte Pater, tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica verbis
Nomina, ad Abbatem Siculum transmisit, & ille
Confestim in Latium, scholiis ad singula iunctis,
Quæ superant, & habentur adhuc, passimq́, leguntur.

Item Eduardo Anglorum regi apud Polydorum Vergilium lib. 8. historiæ, & Ealredum Abbatem Rhieuallis in eius vita: *In monasterio sancti Petri ante altare sanctissimæ Trinitatis, Missarum solemniis sanctus rex cum Comite Leofrido adsistebat. & ecce, speciosus ille forma præ filiis*

hominum Christus IESVS *in ara consistens, oculis vtriusque visibiliter corporalis apparuit, sacraq́; dextera super regem extensa, signum sanctæ crucis eum benedicendo depinxit. at rex demisso capite, diuinæ maiestatis adorabat præsentiam. Comes autem quid in animo regis ageretur ignorans, volensq́; regem tantæ visionis esse participem, cepit velle ad ipsum vsque procedere. Verùm rex quid in mente Comitis volueretur, intelligens; Sta, inquit, Leofrede, quod vides, video & ego. Post Missam autem dixit rex ad Comitem: Per eius, quem vidimus, maiestatem, mi Leofrede, te obtestor, ne quoadusque vixerimus sermo iste proferatur in publicum.*

Basilio Magno. Amphilochius Iconij Episcopus: *Quodam tempore diuina illo celebrante mysteria, Iudæus quidam se ceu Christianus populo immiscuit, officij ministerium explere volens; videtq́; in manibus Basilij in partes diuidi infantem; & cùm omnes communicarent, accessit & ipse, dataq́; est ei hostia, verè caro facta. Inde accepit & calicem sanguine repletum, vti reuera est; illius quoque particeps effectus, vtriusque seruauit reliquias, & abiens domum, ostendit vxori suæ in dictorum confirmationem, narrauitq́; quid suis ipse oculis conspexisset. Itaque credens, vt reuera est, tremendum esse mysterium Christianorum, altera luce venit ad Basilium, postulans sine delatione se Christi signo consignari. Sanctus autem Episcopus nihil procrastinans, sed consuetam Eucharistiam offerens ei, qui vult omnes homines saluos fieri, baptizauit eum cum omni domo sua credentem in Domino.* Confirmat hoc ipsum Guitmundus Auersanus lib. 4. de Sacramento; cùm simile quippiam ex Daniele Abbate protulisset. *Illud etiam miraculum,* inquit, *quòd in vitis Patrum legitur, licet Berengarius oderit, quia tamen opitulante Domino aliis proderit, vel tenuiter memoro: vbi videlicet Abbas Daniel narrat, senem quendam de corpore Domini errorem simpliciter passum, cùm Dominum pro dubitatione hac remouenda, multis precibus exorasset, angelum Dei super aram sacrificij hora vidisse puerum immolantem, sibiq́; ad communionem accedenti, eiusdem pueri particulam porrigentem. Sed cùm ille nimiùm exterritus sumere trepidaret; multis lachrymis speciem panis, fide iam solidatus obtinuit. Sed quem mouere in admirationem & laudem diuinæ bonitatis non debeant magni Patris nostri gesta Basilij; inter cuius manus Iudæus in medio frequentis latitans populi sacrificij tempore partiri puerulum vidit, exclamauit, & propterea baptizatus?*

Apud Metaphrastem in Arsenio, senex quidam volebat Christum in Vener. Eucharistia ceu in signo esse, nec rationibus vllis ab insania reuocari poterat. quare omnes sese cum beato Arsenio dant in preces; & post hebdomadam sub sacra mystagogia, panis in infantem visus mutari. *Cùm autem sacerdos ad hoc vt panem in frusta diuideret,*

ret, iam manum extendiſſet, viſus eſt eis angelus, qui supernè deuolauerat, & gladium in manu habebat. Qui cùm propoſitum infantem ſacrificaſſet, deinde eius ſanguinem fundebat in calicem, & quamdiu ſacerdos panem in parua fruſta frangebat, tamdiu quoque poterat videre angelum ſecantem partes ex carne pueri. Cùm autem acceſſiſſet is, qui errabat ſenex, vt eſſet particeps ſacrificij, carnis mundæ & cruentæ apertè fuit particeps. Anonymus quem de vitis Patrum interprete Pelagio S. R. E. diacono habemus, lib. 18. diſtinctiùs quædam habet, vt *cùm acceſſiſſet ſenex, vt acciperet ſanctam communionem, data eſt ipſi ſoli caro ſanguine cruentata. Quod cùm vidiſſet, pertimuit, & clamauit, dicens: Credo, Domine, quia panis qui in altari ponitur, corpus tuum eſt, & calix tuus eſt ſanguis. Et ſtatim facta eſt pars illa in manu eius panis, ſecundùm myſterium, & ſumpſit illud in ore, gratias agens Deo:* vt non *carnis mundæ & cruentæ*, ſed panis fuerit duplici miraculo particeps.

In duobus his infidelitas, in Plegilſio apud Paſchaſium cap. 14. curioſior fides viſionem extorſit. *Quidam presbyter fuit religioſus valdè, Plegils nomine, frequenter Miſſarum ſolemnia celebrans ad corpus S. Nini Epiſcopi & Confeſſoris. Qui cùm digno moderamine ſanctam Chriſto propitio duceret vitam, cœpit omnipotentem Deum pijs pulſare precibus, vt ſibi monſtraret naturam corporis Chriſti, atque ſanguinis. Itaque non ex infidelitate, vt aſſolet, ſed ex pietate mentis iſta petiuit. Fuerat enim à puero diuinis legibus imbutus, & propter amorem ſuperni regis olim*

——— patriæ fines, & dulcia liquerat arua,

vt Chriſti myſteria ſedulò exul diſceret. Idcirco eius amore magis ſuccenſus quotidie pretioſa munera offerens poſcebat ſibi præmonſtrari, quæ foret ſpecies latitans ſub forma panis & vini. Non quia de corpore Chriſti dubius eſſet, ſed quia vel ſic Chriſtum cernere vellet, quem nemo mortalium iam ſuper aſtra leuatum, in terris paſſum conſpicere poteſt. Venerat ergo dies, & idem celebrans piè Miſſarum ſolemnia more ſolito procubuit genibus. Te deprecor, inquit, omnipotens, pande mihi exiguo in hoc myſterio naturam corporis Chriſti, vt mihi liceat eum proſpicere præſentem corporeo viſu, & formam pueri, quem olim ſinus matris tulit vagientem, nunc manibus contrectare. Qui dum talia precaretur, angelus de cælo adueniens affatur. Surge, inquit, properè, & ſi Chriſtum videre placet, quem priùs ſub ſpecie panis verbis myſticis ſacrare ſolebas, nunc oculis conſpice, manibus attrecta. Tum ſacerdos cæleſti munere fretus, quod dictu mirum eſt, vlnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium Chriſti pectori iunxit, deinde profuſus in amplexum, dat oſcula Deo, & ſuis labiis preſſit pia labia Chriſti. Quibus ita peractis præclara Dei membra reſtituit in verticem altaris, & repleuit cæleſti pabulo Chriſti menſam. Tunc rur-

sus homo prostratus, deprecatus est Deum, vt dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem. Qui expleta oratione surgens à terra inuenit corpus Christi in formam remeasse priorem, vti deprecatus fuerat. Et mira omnipotentis Dei dispensatio, qui ob vnius desiderium ita se præbere dignatus est visibilem non in figura agni, vt aliis quibusdam sub hoc mysterio, sed in forma pueri, quatenus & veritas pateret in ostenso, & sacerdotis desiderium impleretur ex miraculo, nostraq; fides firmaretur ex relatu. Veruntamen non priùs idem communicasse pueri corpus & sanguinem legitur, quàm rediret in prioris formæ speciem, ne absurdum videretur, quod præsumpserat, & fides vberiùs requiratur interiùs in eodem quod exteriùs visu conspexerat.

Solemne fuit Gerekino Conuerso Aluastræ monasterij apud authorem vitæ S. Brigittæ pro hostia puerulum intueri; & Wedekindo Saxonum Duci, apud Albertum Crantzium lib.1. c.9. historiæ Ecclesiasticæ, salutare.

Cum lumine videbat Maria Oigniacensis apud Iacobum de Vitriaco, lib.2. vitæ cap.8. *Interdum vidit*, ait, *Virginis filium sub forma pueri cum immenso lumine circa arculam in qua Eucharistia reponebatur; cumq; ex ea quæreremus, cuiusmodi esset illud lumen, respondit, Quantum lumen solis candelæ lumen superat, tantum, imò plus etiam, lux ista vincit.* Sat datum puero, etiam alia specie visus, vt

VIRI. B. Elisabeth Schonaugiensis l.2. visionum c.9. *In cœna Domini ad Missam, vidi, sicut soleo, omnia quæ circa altare gerebantur, & dum sacerdos canonem diceret, & calicem in conspectu Dei exaltaret, vidi supra calicem Dominum* IESVM *quasi in cruce pendentem, & de latere eius, & pedibus sanguis in calicem defluere videbatur.*

AGNI. Libro 6. reuelationum S. Brigittæ cap. 86. *Quidam sacerdos in die pentecostes celebrauit primam Missam in quodam monasterio. Tunc autem in ipsa eleuatione corporis Christi, vidit sponsa ignem descendere de cælo per totum altare: & in manu sacerdotis vidit panem, & in pane agnum viuum, & in agno faciem quasi hominis inflāmantem; & tunc audiuit vocem dicentem sibi: Sicut nunc vides ignem descendere in altare, sic per simile Spiritus meus sanctus descendit in Apostolos meos tali die sicut hodie, inflammans corda eorum. Panis verò per verbum fit agnus viuus, id est, corpus meū: & facies est in agno, & agnus in facie; quia Pater est in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus sanctus in vtroque. & iterum sponsa vidit in manu sacerdotis in ipsa eleuatione Eucharistiæ, iuuenem miræ pulchritudinis, qui dixit, Benedico vos credentes, nō credentibus ero iudex.*

SANGVINIS. Chronicon Saxonicum. *Pastore VVeddingensi Missam celebrante sub Henrico III. Imperatore, vinum calicis conuersum est in sanguinem, cuius haustū ille abominans detulit Magdeburgū, ibiq; in æde summa reclusum est.*

DIGITI

DIGITI AVRICVLARIS SANGVINE CRVENTATI. Paulus Diaconus in Gregorio Magno, & Guitmundus lib.3.de Sacramento,eam ipsam historiam propugnat his verbis, vt fidem ei adstruat. *Qua ratione vitam B. Gregorij quilibet Christianus apocrypham dicat, quam attestante Roma editam,tot sanctissimi doctissimiq; Romani Pontifices nullo dissonante hactenus probauerunt; eorumq; authoritatem secutæ tot Ecclesiæ cuncto populo Christiano consonante nunc vsque susceperunt? In eadem sanè vita scriptum est, quòd beatus idem Papa Gregorius præsente populo Romano, cuidam matrifamilias, cùm communicatura risisset, Dominici corporis portionem subtraxerit; quam in ara repositam communi mox prece ad Deum fusa ad instruendam de veritate Dominicæ carnis matronam, seu etiam populi fidem, coram omni populo in specie veræ carnis quasi digiti auricularis ostenderit: cumq; mulier iam fidelior propter horrorem carnis communicare trepidaret, cunctis iterum Domini misericordiam pro illa suppliciter implorantibus, eandem ei particulam Papa in consueta panis specie reporrexerit.*

Helmoldus in historia Sclauorum, miram admodum refert historiam. *Puella quædam in partibus Thuringiæ prope ciuitatem Erpisfordiam ægrotabat; quam dum sacerdos ex more visitaret, dans ei viaticum, ablutionem digitorum fecit in bicario mundo, ipsam aquam ad bibendum ei tradens, sicq; discessit. Illa bene suæ mentis compos dixit his qui circa ipsam erant: Diligentissimè ipsam aquam operite, quia de digitis sacerdotis vidi portiunculam Eucharistiæ in eam decidere. Quo facto cùm ipsa aqua ei postea ad bibendum fuisset allata, & tota mutata fuisset in sanguinem, ipsa quoque portiuncula, licet minimi formam acceperat digituli, versa in cruentam carnem. His visis terrentur omnes, fit clamor mulierculariun accurrentium, clamantium, mirantium, stupentium, de re tam inaudita sic & sic loquentium. Mittitur, sacerdos vocatur, qui magis stupebat, qui suam in his negligentiam metuebat. Qui etiam timens officij suspensionem celare rem voluit, hortans tanti Sacramenti exustionem. Sed celari non potuit, quod Deus miraculosè manifestari voluit. Communicatur res pluribus, fit conuentus sacerdotum: qui in perturbatione non habentes consilium, adierunt Archidiaconum. Qui super his timens aliquid dispensare, quæ gesta erant, per epistolam significauit Domino Moguntino. Interea ipsum bicarium cum viuifico corpore & sanguine, opertum corporali, super altari ponitur, & videntibus cunctis qui aderant, columba venit super labium bicarij, & diu sedit non sine admiratione cunctorum, quòd corporis sui pondere ipsum vasculum non euerterit. In partibus enim illis bicaria, quasi ductilia in inferioribus sunt angusta, in superioribus verò ampliora. Vnde, qui viderunt non corporalem, sed spiritualem columbam arbitrati sunt.* Sub festum beati Vincentij Martyris hæc contigerant, venitque

Archiepiſcopus ipſo annuntiatæ Virginis, ſolennem ſupplicationem inſtituit cum Prælatis, qui Chriſti ſanguinem portabant, clero, populo innumero, diſcalceatis omnibus. primam ſtationem ad B. Cyriaci fecêre, alteram in monte S. Petri, tertiam ad Diuæ MARIÆ. vbi verba ad circumfuſam multitudinem Moguntinus habuit, hortatuſque eſt in preces ſe darent, vt in panis ſpeciem iterum ſe Chriſtus recipere vellet. *Cumq; diu oratum fuiſſet, & caro & ſanguis in formam priorem non rediſſet, Pontifex de nouis lapidibus nouum altare conſtrui præcepit, vt in eo idem ſanguis cum carne Dominica reuerenter conderetur. Verùm cùm inter ipſas orationes & exhortationes ſæpiùs miſiſſet, & transformatio facta non fuiſſet: venit ſubitò qui diceret, Dominum preces & gemitus filiorum Iſraël audiſſe, & priorem illam ſubſtantiam pleniſſimè rediſſe. His auditis, Dominus Archiepiſcopus multis ſuffuſus lachrymis, omnes ad gratiarum actiones hortari cœpit, ipſe verò cum ſermone exhortationis in laudes Domini noſtri* IESV *Chriſti prorupit.* Aquam verò *transſubſtantiatam in vaſculo pretioſo ad poſteritatis memoriam in ipſa Eccleſia honorificè repoſuit; bicarium verò ſecum Moguntiam detulit, vbi vſque hodie honore maximo veneratur. Omnes autem qui in omni diœceſi ſua conſtituti erant, ita deuoti ad laudem Chriſti incuruati ſunt, vt etiam infantuli qui in cunabulis iacebant, incuruati gratias agerent.*

CARNIS. Exempla duo ſuggerit B. Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, de muliere zelotypa vnum, de Epiſcopo Amalphitano alterum. Item Elizabet Schonaugienſis lib. 1. viarum Dei: *Quidam ex fratribus ferebat in pyxide diuinum Sacramentum Dominici corporis, vt opus videbatur, cuidam ſorori infirmæ: cumq; ſtaremus in circuitu eius & ego, & quædam ſorores loquentes mecum de eo; ecce ſubitò cor meum liquefactum eſt, & penè factum eſt in extaſi. Et ecce claritas magna refulſit in pyxide, & introſpexi, cùm tamen adhuc eſſet clauſa: & apparuit ſpecies veræ carnis in ea. Dicens quidem iſta, contremiſco: ſicut & tunc videns contremui. Teſtis eſt autem mihi Deus, quia nihil in omnibus his fingo, aut propriam gloriam quærendo locuta ſum.*

Thomas Bozius Oratorij presbyter lib. 14. de Eccleſiæ notis cap. 7. Aufidi in Piceno fuit, ait, *anno* 1273. *quædam mulier, quæ cùm ſumpſiſſet ore Euchariſtiam, non deglutiit, ſed ſeruatam ſecum detulit, vt illa vteretur ad amorem mariti conciliandum ſibi per veneficia. Quamobrem ſic malis artibus edocta ſuper prunas in tegula repoſitam proiecit; quo facto, mirabile dictu, cœpit Euchariſtia apertiſſimè in carnem conuerſa ſanguinem latè emittere, ita vt prunas extinxerit. neque cohiberi potuit cruoris eruptio, donec canduerunt carbones, quamuis mulier nihil non egerit iniiciendo puluerem, cinerem, ce-*

ramq;

ramq́; apponendo. Tum nouo euentu attonita, linteo tegulam cum carne diuina & ſanguine inuoluens, ſtabuli propinqui ſtercori infodit. Latuit res annos ſeptem, quamuis aliquot mirabilia euenerint, quæ vndenam naſcerentur, alios quidem latebat, mulierem non ita, facti ac ſceleris ſui conſciam. Iis exactis, illa tandem aperuit rem geſtam ſacerdoti, qui cùm ſe eò contuliſſet, reperit intactam carnem ſanguinemq́; recentem, linteumq́; illæſum. Miraculum patefactum, cunctiſq́; diuulgatum, ex omnibus locis innumeros ad ſui ſpectaculum commouit, & commouet adhuc poſt annos ter centum, & ſedecim. Viſitur enim caro, viſitur ſanguis vitreis ampullis incluſus, ad tantæ rei memoriam ſempiternam: neque poſt tanta temporum ſpatia quicquam ex iis eſt corruptum, aut tabefactum.

LAPIDIS. Ita Sozomenus lib. 8. cap. 5. nam *vir quidam ſectator hæreſis Macedonianæ eiuſdem ſectæ vxorem habebat. hic cùm Ioannem (*Chryſoſtomum*) de ſincera Dei religione diſſerentem audiſſet, doctrinam amplexus, & vxorem quoque vt ſibi conſentiret, hortatus eſt: at quoniam illa notarum mulierum ſolita conſuetudine capta teneretur, vt maritus, quamuis monuiſſet ſæpe, tamen nil proficeret: Niſi mihi, inquit ille, in religione conſors fueris, nec in vitæ quidem communione poſthac eris. Ibi mulier data fide ſe id facturam, cum ancilla quadam, quam fidam arbitrabatur, de hac re communicat, eamq́; ſibi ad fraudem faciendam marito ſociam adiungit. Itaq́; tempore communicationis (intelligunt Chriſto initiati quid dicam) illa quod acceperat, continens, velut oratura procumbit: famula interim furtim adſtans, porrigit id quod manibus adueniens ferebat, quod quidem ſimulatque dentibus admotum fuit, in lapidem induruit. Tum mulier timore conſternata, ne quid ſibi grauius eueniret, ob tantum miraculum in ſe diuinitus editum, cum feſtinatione ad Epiſcopum accurrit, ſeipſam indicat, ac lapidem oſtendit, qui manifeſta veſtigia morſus, ſed materiam ignotam, & inuſitatum colorem referebat. Cumq́; profuſis lachrymis veniam impetraſſet, cum marito deinceps concors vixit. Si cui autem hæc veriſimilia non videntur, teſtis eſt ipſe lapis, qui etiamnum hodie inter Conſtantinopolitanæ vrbis cimelia conſeruatur.*

FORNACIS. B. Catharinæ Senenſi incomparabili Virgini Thomas Capuanus memorat forma infantis, grandioris pueri, imò fornacis ardentis Vener. Euchariſtiam apparuiſſe.

CARBONVM. Algerus lib. 2. de Sacramento c. 1. *In vitis Patrum legitur, adſpiciente quodam ſanctiſſimo Patre, angelus Domini quibuſdam indignè communicantibus corpus Domini ſubtrahere, & pro illo carbones porrigere.*

IGNIS. Cyprianus ſerm. 5. de lapſis: *Cùm quædam arcam ſuam in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.*

CINERVM.

CINERVM. Superiori hoc adnectit Cyprianus ibi loci: *Et alius, qui & ipse maculatus sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum ceteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus inuenit. documento vnius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente, mutetur.*

SPICAS CVLMOSQVE PROFERT. Ioannes Moschus Euiratus in Prato ad Sophronium Patriarcham, narrat Abbatem Theodorum Seleuciæ Episcopum, S. Dionysio decessore suo Episcopo, negotiatorem opulentum ex Seueri hæresi fuisse, cui famulus erat Catholicus, qui die S. Cœnæ communionem linteo inuolutam armario inclusit. Fuit autem à paschate ei Constantinopolim proficiscendum, claue armarij hero relicta. Qui linteolum reperit, in eoque sanctas particulas, nec ausus sumere, hæsit, quòd cum Catholico Seuerianus non communicaret; sed famulum præstolatus altera cœna Domini, ne in secundum annum seruarentur, parabat consumere: verùm eas videt spicas & culmos germinasse. statim ille cum familia, totoque opido præsente Episcopo, inclamat, Kyrie eleison.

VELO DIVINITVS TECTA INTERDVM. Nam apud Georgium presbyterum B. Theodorus Siceota vidit inter sacrificandum splendidum velum super sancta munera descendens; quo mirè recreabatur ipse, vt ex vultu splendor eluceret.

DISPARVIT. Algerus lib. 2. de Sacramento cap. 1. *Legitur Tharsitius Martyr corpus Domini ferens, cùm à Paganis comprehensus requireretur, quid ferret, & sanctum canibus dare nollet, martyrium obtinuisse. Cumq́; illo mortuo curiosè quærerent, quid ferret; corpore Christi cælitus sublato linteamina tantùm, quibus ipsum continebatur, reperta sunt.* Carmine hunc ipsum Damasus Papa celebrauit, & cum Stephano protomartyre comparauit:

Par meritum, quicumque legis, cognosce duorum,
Queis Damasus Rector titulos post præmia reddit:
Iudaicus populus Stephanum meliora monentem
Perculerat saxis, tulerat qui ex hoste tropæum
Martyrium primus rapuit Leuita fidelis:
Tharsitium sanctum Christi Sacramenta gerentem
Cùm malesana manus peteret vulgare prophanis,
Ipse animam potiùs voluit dimittere cæsus,
Prodere quàm canibus rabidis cælestia membra.

FVGIT IMPIAS MANVS. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum

rum lib. 1. cap. 86. *Recolo, quod in adolescentia mea gestum audiui. Dies passionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagensi vico ciuitatis Aruernæ eius solemnia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit, acceptaq́; turre diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusq́; templum vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus diaconi potuit assequi: quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpiùs enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. Vni tantùm presbytero, & tribus mulieribus, ex quibus vna mater mea erat, hæc videre licitum fuit; cæteri non viderunt. Aderam, fateor, & ego tunc temporis, sed hæc videre non merui.*

Imò & SANCTAS ATQVE INNOXIAS; vt B. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, quemadmodum in eius vita iussu Reginhardi Sigebergensis Abbatis edita l. 2. c. 14. videre est. Sancto enim Præsule faciente Missam, & diuisa iam hostia, *imago dæmoniorum, musca videlicet spurcissima, visu quoque nauseam generans, impetu super Dominicum corpus ruit, ereptamq́; morsu particulam, cum maximo dolore sacerdotis auolans exportauit. Cerneres eum subitò colore mutato mortui similitudinem expressisse: horruit ausum animalis immundissimi; nec minùs pro se pauidus, ob augendas culpas id sibi reputabat euenisse. Sed ex maxima tristitia maxima mox lætitia creata est, & vnde credebatur satanas insultaturus, inde quam maximè confusus est ordinante clementia Saluatoris; vt quo esset ignobilius in creaturis, quod viro sancto tantum intulit luctum, eo gloriosius esset miraculum, per quod ad meritorum eius declarationem de eodem triumpharet. Rem apud se tenuit, pressitq́; sed lacrymis precibusq́; id vrgebat, vt Christi corpus restitueretur. Omnis impuritatis amica, quasi violenter impulsa, præcipiti volatu rediјt, murmure suo & sibilo quodammodo vim, quam patiebatur, aperiens; illudq́;, quod raptu nefandissimo fragmen abstulerat, in oculis sacerdotis patenæ restituit. Inde se, velut auolatura, leuans, seorsum super altare ruit exanimis, dignam tanti flagitiј pœnam luens. Ad clericum deinde conuersus, qui sibi proximus adsistebat, innuit vt incendio musca consumeretur: ipse verò sanctam communionem, magna cum securitate suscipiens, sancti Spiritus gaudio comitante ministerium illud debito fine terminauit.*

CAPVT LII.

Effecta Venerabilis Eucharistiæ.

INcredibili hominum bono Christus suum corpus & sanguinem in augustissimo Sacramento pro arrha amoris & tessera reliquit: quamplurima enim animi ac corporis bona nobis inde proueniunt.

CONCVPISCENTIA RESTRINGITVR. Blesensis serm. 18. *Licet sanatum sit vlcus criminis in baptismo & pœnitentia, tamen manet pruritus vlceris, quem mitigat Eucharistia.*

PELLIT, ARCETQVE DÆMONAS. Ignatius epistola 14. ad Ephesios: *Date operam, vt crebriùs congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei. Cùm enim sæpiùs in idem loci conuenitis, labefactantur vires satanæ, & ignita illius ad peccatum iacula, irrita resiliunt; vestra enim concordia & consensus fidei exitium illius, & satellitum eius supplicium est.* Wilhelmus Abbas S. Theodorici in vita D. Bernardi lib. 1. c. 10. virum pauperem commeminit fuisse, qui adeò vxoris incantationibus miserè periret, vt consumptis carnibus nec mori posset, nec viuere; sæpe omni sensu destitueretur. hic ad D. Bernardum Claræuallis Abbatem deductus, superposita illius capiti hierotheca sanatus est. Et l. 2. c. 3. mulier à dæmone infessa B. Bernardo oblata est, quam ille inter sacrificandum, quoties consignat hostiam, toties ad eam conuersus, consignat. Tandem expleta oratione Dominica efficaciùs aggreditur, *patenæ calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superimponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas; iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passurus, Nunc, inquit, princeps huius mundi eiicietur foras. hic illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis adscendit in cælum. In huius ergo maiestatis terribili potestate, tibi, spiritus maligne, præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas.* Retinebatur dæmon pro viribus, ad extremum cùm sacræ hostiæ fractionem Sanctus compleuisset, abijt scelestus, miseramque deseruit. Historiam eandem refert Arnoldus Bonæuallis Abbas l. 2. vitæ S. Bernardi.

Apud Antoninum 3. p. cap. 10. tit. 23. §. 1. Hæreticus quidam pelliciebat Fratrem Dominicanum ad hæresim, spondebatque ostensurum se B. MARIAM, Apostolos, omnesque adeo Sanctos à se facere, & tempus condicit. Adest Frater nocte cum Vener. Eucharistia cum caputio

caputio ante pectus; perueniunt vterque ad pedem certi montis, & vident palatium plusquam regium miro fulgore, odore, sumptu: regem fulgore coruscum augusto in throno cum speciosissima regina: cingebant latus albati innumeri; hæreticus in faciem pronus cadens adorauit: *Frater verò accedens propiùs extraxit pyxidem, & obtulit reginæ in solio residenti, dicens: Si cæli & terræ regina es, ecce filius tuus, adora vt Deum. statim phantasia illa omnis euanuit, & tantæ tenebræ factæ sunt, quòd vix egredi potuerint. Hæreticus igitur conuersus est ad Christum.*

VINDICAT INIVRIAM SIBI ILLATAM. Optatus Mileuitanus lib.2. *Quod vobis leue videtur, facinus immane commissum est: vt omnia sacrosancta suprà memorati Episcopi vestri violarent, iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicij: nam ijdem canes accensi rabie ipsos dominos suos quasi latrones, sancti corporis reos dente vindice tanquam ignotos & inimicos laniarunt.* Thomas Waldensis lib. sacramentali contra Ioannem Wiclef, quod vidit spectauitque sub annum 1384. refert, quod meritò horrorem incutiat. *Historiam refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ, in cathedrali ecclesia S. Pauli Londini, vbi venerandus Cantuariensis Antistes felicis recordationis, Thomas Arundelius, filius & frater Comitum, pro loco iudicij adsistentibus sibi Noruicensis Ecclesiæ tunc Præsule Alexandro, & aliis, residens episcopali sede, verba quædam & interrogationes proponebat, de fide Eucharistiæ, ad quendam sartorem de partibus VVigorniæ, deprehensum in hæresi. Cumq; flecti omnino non posset, nec aliud quàm benedictum panem, sacratissimam hostiam volebat appellare, vel credere: tandem iussus facere reuerentiam hostiæ, respondit blasphemus, Verè, inquit, dignior est aranea reuerentia. At illico de alto culmine tecti descendens ingens & horrida visu aranea ad os blasphemi directo filo peruenit. Et dum sartor loqueretur, vt intraret per polluta labia aranea, solicitè laborabat. Adstitit illustris Princeps Thomas Oxoniensis Dux, tunc regni Cancellarius, & vidit prodigium. At prædictus Archiepiscopus statim surgens cum aliis, exponit omni illic collecto populo quid vltrix manus Domini faceret in blasphemum.*

ILLÆSAM SE TVETVR IPSA, NEC IGNI CONSVMITVR. Moschus Euiratus Prati c.29. *Quasi triginta milliaribus ab Aegina ciuitate Ciliciæ, stylitæ duo erant separati ab inuicem sex millibus passuum. Ex his alter sanctæ Catholicæ Ecclesiæ communicabat; alter autem, qui etiam plus temporis in columna egerat, Seuerianæ impietatis erat, variisq; modis hæreticus Catholicum criminabatur. Ille verò diuinitus inspiratus, petiit ab eo vt partem sibi mitteret communionis suæ. Qui gaudio elatus, quòd quasi illum seduxisset, protinus misit, nihil hæsitans. Suscipiens itaque Catholicus missam sibi ab hæretico*

Seueri sectatore particulam in feruentem ollam iniecit, moxq́; resoluta est. Sumptam quoque Catholicæ Ecclesiæ sanctam communionem in eam iniecit, statimq́; feruens olla refrigerata est, & sancta communio permansit integra, neque madefacta est. Quã & diligẽter seruauit, & ostendit nobis, cùm ad illum venissemus. Vide Renerum à S. Laurẽtio de viris illustribus monasterij Tuitiensis.

HOMINEM SVSTOLLIT IN AERA. Garinus in Margareta filia regis Hungariæ. *Cùm sacram communionem erat sumptura, pridie nil præter panem & aquam sumebat, & noctem insomnem orando ducebat. Sumebat autem ipsum Sacramentum magna deuotione & lacrymarum imbre, adeoq́; interdum in spiritu rapiebatur, vt ceu mortua videretur: nec rarò visa est inter cælum & terram supra cubiti altitudinem eleuata, nullis corporis sensibus vtens.*

MAGIAM TOLLIT, ET AB EA MALVM. Gaufridus Abbas Altæ-tumbę in Petro Tarentasio c. 23. *S. Symphoriani dicitur castrum, Lugdunensis Ecclesiæ, paucis ab vrbe millibus distans: vbi vir fidelis & Religiosorum officiosus sedulusq́; susceptor, magnæ conuersationis pariter & opinionis Abbatẽ ad hospitium suũ aliquando quasi vim faciendo, pertraxit. Huic iuuencula erat filia, miserabili incommoditate laborans. Egerat enim quædam mulier malefica, per nequitiam inuidæ socrus inducta, vt lãguore tabesceret desperato, nec viri sui præsentiam, nec adspectũ vllatenus toleraret. Affectione muliebri genitrix persuasa, vt satanas satanam eiiceret, famosum quendam maleficum accersiuit. Affuit, explorauit, agnouit, & mulierculam asserens inferratam, terit arborum cortices, pocula verbis & herbis infecta propinat. Mordet etiam dentibus proprijs brachium miseræ mulieris. Res mira, res noua, res, ni fallor, hactenus inaudita. Ab illo quidem languore conualuit, sed interdum velut ex corde procedere sentiens acus, cruciabatur atrociter; donec per morsuram brachij, quam nulla cicatrix obduxerat, acus educeret vis occulta. Crudele remediũ, sed huiusmodi congruebat authori. Plures in hunc modum, quàm triginta, per temporũ interualla prodierant: quædam, vt vulgò dicitur, excapsatæ, quædam admittendis filis idonea foramina præferentes. Præterea prædictus Abbas ad domum, vbi hæc actitabantur, aduenit. Celebris est persona, cuius hoc opus, & alia non indigna admiratione narrantur: sed parcendũ adhuc superstiti, & nomen credidi reticendum. Huic pater anxius miserabilem exhibet filiam, nec sine lacrymis lugubrem explicat tragœdiam. Eadem hora fit fides dictis, & sentiens acũ mulier gemebunda deplorat. Iam peruenerat ad foramen, solitus iam præcesserat cruor, iam cœperat apparere, iam particula eius exierat. Et accedens ex fratribus laicis eidem Abbati deseruiens, cruentam extraxit, annis pluribus ad testimonium conseruandam. Orat Abbas, & locum vulneris tangens, in virtute fidei pollicetur, nec ferrũ vltrà, nec chalybem exinde processurum. Factũ est. sed mutata materia est, malitia nondũ prorsus extincta. Cœperunt ligneæ sudes paruulæ, quales vulgò brocas appellant,*

pellant, ex quercino robore, & fraxineæ pro ferreis acubus egredi, crassiores spinis, & modicè longiores. Nec vnius tamen omnes, sicut nec acus fuerant, longitudinis vel crassitudinis erant. Sedecim in hunc modũ intra annũ & paucos menses ex muliere ligna prodierunt. Affuit demũ Reuerend. Petrus Antistes, cui diuinitus seruabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur mulier Missarum solemnia celebranti sicut præceperat vespere præcedenti. Eadem hora septimumdecimum lignum ex muliebri carne egreditur, quod sub oculis omniũ sacellarius extraxit. Confitentem itaque mulierem Præsul absoluit, & sacram ei tradens Eucharistiã, ab omni deinceps cuiuscunque materiei progressu iubet esse securam. Sic ab omnibus iã præstigiis liberata, adhæsit viro, filiosq; procreauit, & , vt dicitur, hodieq; superstes, virtutem prædicat, quam in seipsa feliciter meruit experiri. Petrus de Fraxineto dicitur pater, notus, etiam honoratus inter conuicaneos suos: vt si quẽ dubiũ nouitas tãta reddiderit, probare forsitan liceat, quod credere detrectarit.

Item MORBOS INCVRABILES. B. Theodoro Studita, apud Georgium presbyterum, quadam Dominica in S. Sophiæ communionem populo impertiente, aderat puer mutus Ancyra à patre ductus: is inter cæteros os apertum porrigebat excipiendis sacris mysterijs. cui vir sanctus: Dic, Amen, inquit. Et clara voce puer, Amen, pronuntiauit. pater miraculum lætus inclamat. Adstabat Domitianus diaconus, qui sancti miracula apud se ridebat, imò putabat gloriolæ captandæ causa ad speciem exhiberi. Hic, cùm puer, Amen, respondisset, humi collapsus toto tremebat corpore: accurrũt clerici, leuãt, quærũt quid contigerit. ait: *Cùm puer ille pronuntiaret, Amen; & pater exclamaret, quòd soluta esset lingua eius, ego non credebam id esse verum, sed fictum gloriæ causa existimabam, & vidi quasi flammã ignis ex ore pueri egredientẽ. His dictis ad virum sanctũ accessit, & procidens ad genua eius, rogauit, vt pro se Deum obsecraret, ne vis diabolica à puero egressa, & diuina indignatio in se recideret.*

S. Euthymius Patriarcha Constantinopolitanus, teste Eustathio presbytero, in opido quodam Zala nomine prope Amaseam, quadrimulum puerum, exuccum planè, & sine carne propemodùm, ac colore *tanquam spica corrupta, quæ cùm nondum creuerit, exilem quandam atque inanem granorũ atq; aristarũ speciem habet; sic & ille puer videbatur. potuisses omnes illius costas & neruos & ossa numerare.* Hunc inquã B. Euthymius, vnctum sacro oleo, & communione sancta donatũ, & pane communi benedicto, quem iusserat mero intingi, breui restituit sanitati. Solenne huic sancto erat sacra Eucharistia vti, eaque curabat ægros, & inter complures alios Cyrilli cuiusdam filium desperatè laborantem.

QVIN IMO MORTEM IPSAM ARCET; adeò viuificum est Sacramentum. Iacobus Vitriacus historiæ Occidentalis cap. 38. hoc confirmat.

Nam, *audiui*, inquit, *de quodam, qui postquam araneam cum sanguine suscepit, post dies aliquot, cùm sibi sanguinem minueret, aranea viua & integra cum sanguine de brachio eius prosiliit.* Simile de B. Norberto Magdeburgensium Episcopo, & Antuerpiensium Apostolo habemus.

HOSTES FVNDIT, FVGATQVE. In vita S. Claræ virginis, Alexandri Papæ iussu scripta. Saraceni eò penetrarant, vt intra muros monasterij essent virgines pauidæ ad matrem Claram conuolant, inter singultus & lacrymas narrant commune malum: *Quæ impauida corde, se infirmam ad ostium duci iubet, & ante hostes poni, præcedente eam capsa argentea intra ebur inclusa, in qua Sancta sanctorum deuotissimè seruabantur, sacratissimum scilicet corpus Christi. Cumq́; se totam coram Domino in oratione prostrauisset, Christo suo cum lacrymis ait, Placet, mi Domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus innutriui, manibus tradere paganorum? Custodi Domine, precor, has famulas tuas, quas ipsa in præsenti articulo custodire non possum. Mox de nouo gratiæ propitiatorio, vox quasi pueruli ad eius aures insonuit: Ego vos semper custodiam. Mi Domine, ait, & hanc si placet, protege ciuitatem, quia nos pro tuo amore sustentat. Et Dominus ad eam: Grauamina sustinebit, sed meo munere defendetur. Tunc virgo lacrymosam erigens faciem, flentes confortat, dicens: Fideiubeo vobis, filiolæ, quòd nihil patiemini mali, tantùm in Christo confidite. Nec mora: statim canum illorum repressa audacia pauescit, & per muros, quos ascenderant, celeriter exeuntes, orantis virtute deturbati sunt.*

ANTIDOTVM, ET ANTIPHARMACVM QVA CORPORIS, QVAQVE ANIMÆ MALIS. Ignatius ad Ephesios epistola 14. *Omnes nominatim congregamini vna & communi fide Dei Patris, &* IESV *Christi vnigeniti eius Filij, qui & primogenitus est omnis creaturæ, iuxta carnem autem ex genere Dauid, ducem sequentes Paracletum, obedientes Episcopo & presbytero mente indiuulsa; frangentes panem viuum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamq́; in Deo concilians per* IESVM *Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.*

CAPVT LIII.

Effecta augustissimi sacrificij Missæ.

NEc supparia nobis beneficia ab augustissimo sacrificio, in quo ipse Christus Deo Patri pro humano genere offertur. Nam

ANIMAS EXIMIT PIACVLARIBVS FLAMMIS. Chrysostom. hom. 69. ad pop. *Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere*

tingere lucrum, multam vtilitatem. Tertull. lib. de corona militis: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. *Maximum esse credimus animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi quod in altari positum est, sacrificij.* Ex Gregorio l. 4. dialog. c. 55. idem constat, de Iusto monacho, quem ob tres aureos occultatos, in sterquilinio sepultum, tandem per Missas à se fratribus monasterij indictas, ait liberatum. idque quia trigesimo die contigerit, addit Antoninus 2. p. tit. 12. cap. 3. hinc morem in Ecclesia inoleuisse per triginta dies continenter pro defunctis celebrandi.

B. Bernardus Claræuallensis in vita Malachiæ illustri exemplo confirmat. Malachias sororis suæ *carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, vt se deuouerit non visurum eam in carne viuentem. at illa carne soluta, solutum est & votum: & cœpit videre in spiritu quam in corpore noluit. Quadam nocte audiuit per somnium vocem sibi dicentis, sororem eius stare foris in atrio, & per totos triginta dies nihil gustasse. Qui euigilans citò intellexit, cuius escæ inedia marceret; & diligenter discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cælo viuum non obtulisset. Tum ille qui sororis non animam oderat, sed peccatum, beneficentiam, quam intermiserat, rursus adoritur: neque id frustrà. non multo post visa est illi peruenisse ad limen ecclesiæ, needum tamen posse intrare, apparere etiam in veste pulla. Cumq; ille perseueraret, curans ne qua die solita stipe frustraretur, secundò vidit eam in veste subcandida, admissam quidem intra ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertiò tandem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida,* &c. Et claudit epiphonemate, esse *hoc planè Sacramentum potens peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cælis reuertentes de terra. Sicut enim vitis,* ait Athanasius l. de varijs quæstionibus, q. 34. *florescit extra in agro, & odorem eius sentit in vase vinum reclusum, sicq; conflorescit etiam ipsum: ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia, ab exsangui immolatione & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit qui viuorum & mortuorum gerit potestatem Deus.* Ideò sui memoriam in sacro fieri Sanctis in voto fuit, vt B. Monicæ apud Augustinum 9. confessionum c. 10. & seq.

Et B. Margaretæ Scotorum reginæ, quæ Turgotum Dunelmensem Priorem sibi à confessionibus sub vitæ finem aduocauit, & de tota vita cum lacrymis confessa: *Vale,* inquit; *ego posthac in vita diu non subsistam; tu verò paruo post me tempore viues. Duo autem sunt, quæ à te postulo; vnum, vt quoad vixeris, animæ meæ in Missis & orationibus tuis meminisse velis: alterum, vt liberorum meorum curam habeas.*

Ratione à Bertrando Benedictus (vterque de ordine S. Dominici fuit) euincere nitebatur, vt pro peccatis quotidie vir sanctus non celebraret, sed crebriùs pro vita functis, qui in purgatorijs pœnis piantur. Sed respondebat ille, *Vita functi de sua salute certi sunt, nos in periculis fluctuamus.* Vrget hic interrogatione Bertrandum, *Si duo sint mendici, alter sanis membris, alter iis carens, vtri potissimùm opitulaberis? respondit; Illi sanè, qui se minùs iuuare potest. Tunc Benedictus, Nimirum ille, inquit, sunt vita functi, quibus nec os ad confitendum, nec manus ad operandum; sed nostram opem postulant: viui autem peccatores, & os, & manus habent, & possunt iis sibi consulere. Sed cùm à sententia sua non deduceretur Bertrandus, sequenti nocte quidam terribilis defunctus apparuit ei, & fasce lignorum mirè eum compressit, atque decies atque amplius ea nocte eum excitans perterruit & vexauit. Igitur prodeunte aurora F. Benedictum ad se vocat, narrat totius noctis historiam; inde religiosè & lacrymabundus ad aram accedens pro defunctis sacrificium obtulit, idemq; sæpiùs postea fecit.* Quod ratio non potuit, animæ importuniores impetrarunt. ita Theodoricus ab Apoldia lib. 3. de vita D. Dominici cap. 8. Hæ, similesque caussæ mouerunt B. Odilonem, vt per monasteria omnia sui Ordinis postridie festi omnium Sanctorum commemorationem animarum fidelium constitueret. Certè ex Petro Damiani in vita B. Odilonis constat, plurimos per Missas à Religiosis celebratas ex Purgatorio eductos; ipsumque Benedictum Papam pœnis, quibus detinebatur, solutum.

Verùm non tantùm animis liberandis post mortem sacrosanctum sacrificium vtile est, sed corporibus etiam ergastulis eximendis. Gregorius homilia 37. in Euangelia: *Non longè à nostris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hostibus captus, longè traductus est; cumq; diu teneretur in vinculis, cùm vxor sua eum ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre: cuius toties vincula soluebantur, quoties ab eius coniuge hostiæ fuissent oblatæ pro animæ eius absolutione. Nam longa post tempora reuersus, admirans valdè indicauit vxori suæ, quòd diebus certis hebdomadis singulis eius vincula soluebantur. Quos, videlicet dies atque horas vxor eius discutiens, tunc recognouit eum absolutum, cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum.* Vides nihil frustrà geri bene: alicui enim in commodum vertitur, & ferè illi ipsi, cui destinabatur etsi non illa, alia tamen ratione egenti.

Huic simile admodum refert Venerabilis Beda Ecclesiasticæ historiæ lib. 4. cap. 22. quod illius verbis sic habe: *In prælio quo occisus est rex Elbuini, memorabile quoddam factum esse constat, quod nequaquam silentio præ-*

prætereundum esse censeo, sed multorum saluti, si referatur, fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eius iuuenis, vocabulo Imma: qui cùm die illa & nocte sequente inter cadauera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu reuixit, ac residens sua vulnera, prout potuit ipse, alligauit. Deinde modicum requietus leuauit se, & cœpit abire sic, vbi amicos, qui sui curam agerent, posset inuenire. Quod dum faceret, inuentus est, & captus à viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum, Comitem videlicet Edilredi regis adductus. A quo interrogatus, quis esset? timuit se militem confiteri, rusticum potiùs se, & pauperem vxorio vinculo colligatum fuisse respondit, & propter victum militibus adferendum in expeditionem se cum sui similibus venisse testatus est. At ille suscipiens eum, curam de vulneribus egit, & vbi sanari cepit, noctu eum ne aufugeret vinciri præcepit; nec tamen vinciri potuit. Nam mox vt abière qui vincierant, eadem sunt eius vincula soluta. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tunna, presbyterum & Abbatem monasterij in ciuitate quæ hactenus ab eius nomine Tunnacestir cognominatur. Qui cùm eum in pugna peremptum audiret, venit quærere, si fortè corpus eius inuenire posset, inuentumq; alium illi per omnia simillimum putauit ipsum esse, quem ad monasterium suum deferens honorificè sepeliuit, & pro absolutione animæ eius sæpe Missas facere curauit. Quarum celebratione factum est, quod dixi, vt nullus eum posset vincire, quin continuò solueretur. Interea Comes, qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit, quare ligari non posset: an fortè litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se retineret, propter quas ligari non posset. At ille respondit, nihil se talium artium nosse; Sed habeo fratrem, inquit, presbyterum in mea prouincia; & scio, quia ille me interfectum putans pro me Missas crebras facit, & si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones eius solueretur à pœnis. Dumq; aliquanto tempore apud Comitem moraretur, animaduerterunt qui eum diligentiùs considerabant, ex vultu, & habitu, & sermonibus eius, quia non erat de paupere vulgo (vt dixerat) sed de nobilibus. Tum secretò aduocans eum, interrogauit intentiùs, vnde esset; promittens se nihil ei mali facturum pro eo, si simpliciter sibi, quis esset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se regis fuisse manifestans; respondit, Et ego per singula tua responsa cognoueram, quia rusticus non eras. Et nunc quidem dignus es morte, quia omnes fratres & cognati mei in illa sunt pugna interempti, nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi præuaricem. Vt ergo conualuit, vendidit eum Lundoniam Fresoni cuidam, sed nec ab illo, nec cùm illuc duceretur, vllatenus potuit alligari. Verùm cùm alia atque alia vinculorum genera ei hostes imponerent, dissoluta sunt. Cumq; videret, qui emerat, eũ vinculis non posse cohiberi, donauit ei facultatem sese redimendi, si posset. A tertia enim hora

quando Missæ fieri solebant, sæpissimè vincula soluebantur. At ille dato iureiurando vt rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Cantiam ad regem Lodhere, qui erat filius sororis Edildridæ reginæ, de qua suprà dictum est, qui & ipse quondam eiusdem reginæ minister fuerat; petiitq; & accepit ab eo pretium suæ redemptionis, ac suo domino pro se, vt promiserat, misit. Qui post hæc in patriam reuersus, atque ad suum fratrem perueniens, replicauit ex ordine cuncta, quæ sibi aduersa, quæúe in aduersis solatia prouenissent. Cognouitq; referente eo, illis maximè temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se Missarum fuerant celebrata solennia, sed & alia quæ periclitanti ei commoda contigissent & prospera, per intercessionem fraternam, & oblationem hostiæ salutaris, cælitus sibi fuisse donata, intellexit. Multiq; à præfato viro hæc audientes, accensi sunt in fide ac deuotione pietatis ad orandum, vel ad eleëmosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas sacræ oblationis, pro ereptione suorum, qui de sæculo migrauerunt. Intellexerunt enim, quòd sacrificium salutare ad redemptionem valeret & animæ & corporis sempiternam.

OBSIDIONE PRESSAS VRBES LIBERAT. Robertus rex Gallorum testabitur; narrat enim Glaber lib. 2. cap. 8. eum Antisiodoro ingenti exercitu cum Richardo Rothomagorum Comite, qui regi cum triginta Normannorum millibus suppetias venerat, frustrà tentato, castrum S. Germani oppugnare cœpisse, ac sexto quidem obsidionis die ipsum lorica galeaque indutum plenum furore castrum coronæ in modum cinxisse. Fortè Gislebertus religiosus loci, ad aram B. MARIÆ Virginis, hora diei tertia, vti consueuerat, ritè faciebat; inuolutumque tam densa nebula castrum est, vt nemini hostium à foris peruius esset iaculandi aditus, cùm ab intro repugnantibus cerneret se graui cæde prosterni; sicque cum suorum, maximè Normannorum, strage castrum reliquerunt incolume.

TENTATIONE. Æneas Syluius, qui Papa Pius II. postea fuit, historiæ Europæ cap. 21. *Fama est eaq; celebris, inter Stirienses nobilem quempiam fuisse, cui sæpe in animum ceciderit, seipsum laqueo suspendere; id ægrè ferentem ex docto quodam viro remedium petiuisse aduersus eam tentationem; consilium datum, proprium vti sacerdotem conduceret, qui sibi manenti in arce quadam solitaria singulis diebus rem diuinam faceret: paruisse nobilem, atque annum fermè continuasse nulla suspendij cogitatione interueniente. Postremò rogatum à sacerdote vt presbytero vicino qui templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esse posset, licentiam dedisse, proponentem in animo paulò pòst sequi, & sacris interesse. Stetisse diu postea, nunc vna nunc altera causa retentum, denique circa meridiem profectum agresti*

gresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem diuinam in monte peractam esse, & populum omnem abijsse diceret. Contristatum eo nuntio, ignobilem infelicemq; se esse dicentem qui eo die sacrum Christi corpus non vidisset, agrestem consolari cœpisse: Venditurum, si vellet nobilis emere, præmium quod inter existendum diuinis meruisset, sagumq; nobilis petiuisse pretij nomine. Venditione facta nobilem nihilominus montem adscendisse, atque orasse in templo: reuersum autem in proxima arbore suspensum agrestem inuenisse, sed postea diris cogitationibus haudquaquam vexatum fuisse.

DÆMONVM INFESTATIONE. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. *Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium, & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, vt aliquis illorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessauit.*

MORBO. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum c. 75. cùm de Sigismundo Burgundiæ rege à Clodomero interfecto, & in Agaunensi monasterio ab ipso erecto, Sanctis adscripto loquitur: *Quem in consortio Sanctorum adscitum, ipsa res quæ geritur, manifestat: nam si qui nunc Frigoritici, qui & Quartanarij dici solent, in eius honore Missas deuotè celebrent, eiusq; pro requie Deo offerant oblationem, statim compressis tremoribus, restinctis febribus sanitati pristinæ restaurantur.*

Pluribus per Missas succursum, & suppressa mortalitas, vt tamen decimarit vnum Deus, quem cælo intulit. Beda lib. 4. historiæ cap. 14. In monasterio cui Eappa præerat, multi contagione corripiebantur, quare fratres triduanum ieiunium egerunt, nemesi placandæ. *Erat autem tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate non pauco tempore recubans in lectulo iacebat: cùm ergo secunda memorati ieiunij, ac supplicationum dies ageretur, contigit fortè ipsum puerum hora fermè secunda diei in loco in quo æger iacebat, solum inueniri; cui diuina dispensatione subitò beatissimi Apostolorum Principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraq; deuotione sacramenta fidei, quæ susceperat, seruans. Salutantes ergo illum verbis piissimis Apostoli, dicebant; Noli timere fili mortem pro qua solicitus es: nos enim te hodierna die ad cælestia regna sumus perducturi: sed primùm expectare habes donec Missæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul & morte absolutus ad æterna in cælis gaudia subleueris. Clama ergo ad te*

presbyterum Eappam, & dicito illi, quia Dominus exaudiuit preces vestras, & deuotionem ac ieiunia propitius adspexit, neque aliquis de hoc monasterio, siue de adiacentibus illi possessiunculis hac clade vltrà moriturus est. Sed omnes, qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi à languore ad pristinam sunt sospitatem recuperandi, præter te solum, qui hodierna es die liberandus à morte, & ad visionem Domini Christi, cui fideliter seruisti, perducendus in cælũ. Quod diuina vobis misericordia, per intercessionem religiosi ac Deo dilecti regis Osvvaldi, qui quondam genti Nordanhumbrorum, & regni temporalis authoritate, & Christianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, deuotione sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad sempiterna animarũ gaudia assumptus in cælũ, & electorũ est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus in quibus defunctorum est adnotata depositio, & inuenient illum hac, vt diximus, die raptum esse de seculo. Celebrẽt ergo Missas per cuncta monasterij oratoria huius, siue pro gratiarum actione exauditæ suæ deprecationis, siue etiã in memoriam præfati regis Osvvaldi, qui quondam ipsorũ genti præerat. Ideoq́; pro eis, quasi pro suæ gentis aduenis supplex orabat ad Dominũ, & cunctis conuenientibus ad Ecclesiã fratribus communicent omnes sacrificiis cælestibus, & ita soluto ieiunio corpus quoque suis reficiant alimentis. Quæ verba cùm omnia vocato ad se presbytero puer narrasset, interrogauit eũ solicitus, quales essent habitu vel specie viri, qui sibi apparuissent: respondit, Præclari omnino habitu & vultu erant, lætissimi ac pulcherrimi, quales nunquam antè viderã, neque aliquos hominũ tanti decoris ac venustatis esse posse, credebam. Vnus quidem attonsus erat, vt clericus, alius barbã habebat prolixã. Dicebantq́; quòd vnus eorũ Petrus, alius vocaretur Paulus, & ipsi essent ministri Domini, & Saluatoris nostri IESV *Christi, ad tuitionem nostri monasterij missi ab ipso de cælis. Credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus, requisiuit in annali suo, & inuenit eadem ipsa die Osvvaldum regem fuisse peremptum. Vocatisq́; fratribus parare prãdium, Missas fieri, atque omnes cõmunicare more solito præcepit, & infirmanti puero de eodem sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita gestis, non multò pòst, eadem ipsa die puer defunctus est, suaq́; morte probauit vera fuisse verba, quæ ab Apostolis Christi audierat. Sed & hoc verbis eius testimonium perhibuit, quòd nemo præter ipsum tempore illo ex eodem monasterio est raptus de mundo.*

MORTE, EAQ. CRVDELI, ET VIOLENTA. De Martino Papa id testatur author anonymus in vita. Quando Constans Imp. cubicularium Exarchum in Italiam misit, vt Martinum Papam daret in compedes; quod ille cùm armata manu præstando non esset, *surreptitio modo per Missarum solennia in ecclesia sanctæ Dei genitricis, semperq́; Virginis* MARIÆ *ad præsepe, dum ei sanctissimus Papa Martinus communionẽ porrigeret, eum interimere*

terimere voluit: præcipiens Spathario suo, vt sibi clanculo hora illa spatham in manibus daret, quo tantum nefas ocyùs impleret. Sed Deus omnipotens, qui solitus est seruos suos orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipse excæcauit spatharium Olympij Exarchi, & non est permissus videre Pontificem Apostolicum, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ne tāti Præsulis effunderetur sanguis innoxius, & catholica Dei Ecclesia nefandæ hæresi subiugaretur, quod postmodum prædictus armiger multis iureiurando professus est.

Alia etiam impetrat homini bona, vt pluviam; quod videre est apud Georgium presbyterum in D. Theodoro Siceota, qui sacrificans pluuiam maximam triduanam à Deo impetrauit.

CAPVT LIV.

Abusus.

VSus nullius rei esse potest, cuius nullus abusus sit: nitimur enim semper in contraria, & quo magis dedecent quædam, magis etiam placent. v. g.

Nimia festinatio, quam August. ser. 251. de tempore carpit: *Adhuc quoque quod valdè dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè potentes huius mundi, qui cùm veniunt ad ecclesiam, non sunt deuoti ad laudes Deo celebrandas, sed cogunt presbyterum vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet, nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulā & auaritiā.* Et certè videtur ijs mos aliquis geri potuisse: longiores enim tunc Missæ erant. Psalmus siquidē, cuius versiculū vnū in Introitu habemus, tū integer dicebatur, aliaq; erāt, quæ modò omittuntur.

Cooperto capite altari adsistere. quod in Armenis culpat B. Nilon, qui *sacrum celebrantes non solùm tegmen non detrahunt, sed etiam capiti cucullam adiiciunt.* qui mos in plures Ecclesias olim inualuisse videtur, quia Concilium Romanum cap. 13. à Zacharia Papa Synodo oblato hanc sanctionem profert: *Nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei adsistere, quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, & si temere præsumpserit, communione priuetur.*

Malus finis. vt presbyterorum, quos Concil. Tolet. 17. can. 5. proscribit; rē sacratissimā, & hominū saluti cælitus datā ipsi in interitum retorquebāt. *Missam pro requie defunctorū promulgatā fallaci voto pro viuis studēt celebrare hominibus, nō ob aliud, nisi vt is pro quo ipsum offertur sacrificiū, ipsius sacrosancti libaminis interuētu mortis ac perditionis incurrat periculū, & quod cūctis datū est in salutis remediū, illo hoc peruerso instinctu quibusdā esse expetūt in interitū. Obinde nostræ elegit vnanimitatis conuentus, vt si quis*

ſacerdotum deinceps talia perpetraſſe fuerit detectus, à proprio deponatur gradu, & tam ipſe ſacerdos, quàm etiam ille qui ad talia peragenda incitaſſe perpenditur, exilij perpetui ergaſtulo relegentur, & excepto in ſupremo vitæ curriculo, cunctis vitæ ſuæ diebus ſacræ communionis eis denegetur perceptio, quam Deo ſe crediderunt fraudulento delibaſſe ſtudio.

FÆMINAS ADSISTERE, VEL ALIVM NON ADESSE, NISI NECESSITAS EXCVSET, in graui vitio eſt. nam Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis epiſtola ad compresbyteros: *Fœminæ ſacerdote Miſſam celebrante nequaquam ad altare accedant, ſed locis ſuis ſtent, & ibi ſacerdos earum oblationes, Deo oblaturus, accipiat; memores enim eſſe debent fœminæ infirmitatis ſuæ, & ſexus imbecillitatis, & idcirco ſancta qualibet in eccleſia in miniſterio eccleſiæ tangere pertimeſcant: quæ etiam laici viri pertimeſcere debent, ne Ozæ pœnam ſubeant* (2. Reg. 6.) *qui dum arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interiit.* Sine miniſtro tamen *ſacerdos Miſſam nequaquam celebret, quia ſicut illa celebrari non poteſt ſine ſalutatione ſacerdotis, reſponſione plebis, admonitione ſacerdotis, reſponſione nihilominus plebis; ita nimirum nequaquam ab vno debet celebrari. Eſſe debent qui illum circumſtent, quos ille ſalutet, à quibus ei reſpondeatur; & ad memoriam ei reducendum eſt illud Dominicum* (Matth. 18.) *Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ego ſum in medio eorum.*

PVBLICI ETIAM HABENDA RATIO, ibiq́ue decentiùs, ne quid ſcandali oriatur, faciendum. Amouendi ægri qui decentiam per valetudinem inter ſacrificandum ſeruare non poſſunt. Gregorius lib. 1. epiſt. 59. indict. 6. ad Vitalem defenſorem in Sardinia agentem de Ianuario Epiſcopo Calaritano: *De hoc igitur, quod ſcripſiſti, fratrem & coëpiſcopum noſtrum Ianuarium tempore quo ſacrificium celebrat, tantam pati frequenter anguſtiam, vt vix poſt longa interualla ad locum canonis redire valeat, quem reliquit; atque ex hoc multos dubitare ſi communionem debeant de eius conſecratione percipere: admonendi ſunt, vt nullatenus pertimeſcant ſed cum omni fide & ſecuritate communicent, quia ægritudo perſonæ ſacri myſterij benedictionem nec mutat nec polluit; ſecretiùs tamen omnino idem frater noſter hortandus eſt, vt quoties eandem moleſtiam ſenſerit, non procedat, nec ex hoc ſe & deſpiciendum præbeat, & infirmorum animis ſcandalum faciat.*

IMPERFECTO SACRIFICIO RECEDERE. Concilium Romanum ſub Zacharia cap. 14. vbi cauetur: *Vt Epiſcopus aut presbyter dum ingreſſus fuerit ad Miſſarum ſolennia celebranda, nullo modo audeat dicta oratione recedere, vt ab alio Epiſcopo aut presbytero ſuppleantur Miſſarum ſolennia: ſed*

qui

qui initium ponit, suppleat vsque ad finem, quia scriptum est (Matth. 20.) *Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit; si quis verò præsumpserit præter quod posuimus agere, à sacro corpore & sanguine Domini nostri* IESV *Christi sit suspensus.* ita & Macarius Hierosolymitanus, vt refertur in decretis, de consecratione dist. 1.

ROMANO RITV FACERE potius est, quàm alius Ecclesiæ priuato. Id Ioannes Papa Eoaldo Archiepiscopo Viennensi suasit: *De officiis Missarum, de quibus in literis vestris requisiuistis, sciat charitas vestra, quia variè apud diuersas Ecclesias fiant: aliter enim Alexandrina Ecclesia, aliter Hierosolymitana, aliter Ephesina, aliter Romana facit. Cuius morem & instituta debet seruare Ecclesia tua, quæ fundamentum sancti habitus ab illa sumpsit. Venerandi pallij vsum per sanctum presbyterum vestrum Felicem tibi destinauimus, nolentes te priuari antiquo B. Petri munere, simul mittentes de capillis S. Pauli, vt essent Ecclesiæ vestræ illius intercessione solatium, per cuius discipulum suscepit primum religionis honorem.*

CAPVT LV.

De symbolis vnionis animorum, Eucharistia, oblationibus, fermentato, eulogiis declarata.

VT inter amicos munera missitantur, quibus testatum fit mutuum eos in amando facere, ita Christiani agebant, hæc symbola iunctorum animorum quasi pignora & arrhas destinabant; quibuscum in religione non conueniebat, ijs non mittebant. & quidem delectum faciebant vt non singula singulis, sed pro conditione & statu personarum, donarent.

VT EVCHARISTIAM EPISCOPIS PEREGRINIS. Irenæus apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24.

Item IMPERATORI. Paschalis II. Henrico IV. dedit. Massonus in notis ad Iuonis epistolas ex manuscripto codice eruit: *Hæc sunt verba quæ dixit Domnus Apostolicus Domno Imperatori Henrico in communione corporis & sanguinis Christi die coronationis suæ: Domine Imperator Henrice, corpus Domini natum ex* MARIA *Virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta Catholica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmatione veræ pacis & concordiæ inter me & te. Amen. anno Verbi incarnati* M. C. XI. *Hoc confirmatum est in basilica S. Petri* XVI. *Kal. Martij, regnante in cælis Domino nostro* IESV *Christo cum Patre æterno, & Spiritu sancto, Amen.* Deinde vt ex Petro Diacono discimus lib. 4. cap. 42. etsi varient nonnihil verba:

ba: *Cùm in Missa ad hostiæ confractionem venisset Papa, partem ipse sumens, reliquam Imperatori tradidit, dicens: Sicut pars ista viuifici corporis diuisa est, ita diuisus sit à regno Christi & Domini, qui pactum istud rumpere ac violare tentauerit.*

Significatio fauet, indicat enim Vener. Eucharistia sanctam Ecclesiam, quam Prælati in primis referunt, & Imperatores armis tuentur. Author ad Fratres de eremo serm. 28. *Sacramentum illud ideò hominibus datur, vt corpus in terris capiti coadunetur: sicut enim multa grana vnum panem conficiunt, & ex multis racemis vnum vinum extrahitur, sic ex multis hominibus Christi corpus conficitur.*

Videtur tamen alijs etiam Eucharistia dono missa, saltem apud Græcos. Athanasius enim Constantinopolitanus ep. 1. ad Episcopos non vetaret facilem illius donationem, nec Episcopum ad patrem spiritualem remitteret: *Nemini sine probatione aut pro munere Eucharistia detur, nisi permissu aut consensu patris spiritualis.* Apud Sophronium Prati spiritualis cap. 29. lego priuatim missam, vti superiùs de duobus Stylitis est videre.

FERMENTVM PER TITVLOS SACERDOTIBVS, ET INTRA EANDEM PAROECIAM PAROCHIANIS. Innocentius Papa ad Decentium epist. 1. cap. 5. *De fermento verò quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ, quarum presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam, nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per acolythos accipiunt, vt se à nostra communione, maximè illa die non iudicent separatos: quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmiteria diuersa constitutis presbyteris destinamus, vt & presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.* Confirmat postremùm Photius nomocanone tit. 3. cap. 16. *Non oportere sancta ratione benedictionis mitti in parochias. Synodus Laodic. can.* 14.

Necessarium autem erat fermentum accepisse, aliàs enim non licebat sacerdoti facere. l. de RR. Pontificibus in Siricio: *Hic constituit, vt nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod declaratur fermentum.*

OBLATIONES VVLGO CHRISTIANIS, sed ijs solis. Theophilus Alexandrinus epistola canonica ad Ammonem can. 7. *Quæ in sacrificij rationem offeruntur, post ea quæ in Sanctorum vsum consumuntur, clerici diuidant, & nec catechumenus ex iis bibat, vel comedat, sed solùm clerici, & qui cum eis sunt fideles fratres.* Vbi Balsamon rationem assignat. *Quia enim altari*

altari oblata sunt, & ad diuina dona, ex illis partes sumptæ sunt; quomodo iis qui sunt imperfectiores dabuntur consumenda? quæ autem ad sacrificium offeruntur, ea sunt panis & vinum; nihil enim aliud ad altare offerri permittitur. lege 4. can. Apost. & Synod. in Trullo, quæ dicitur sexta, can. 28.

EVLOGIÆ SOCIIS CHRISTIANIS. Pius Papa statuit *vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, vel de panibus quos deferunt fideles ad ecclesiam, presbyter partes concisas habeat, vt post Missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico exinde accipiant.* sed adhuc tamen cum cautela. Gregorius Turonensis historiæ Francorum l.5.c.14. de Moroueo Chilperici regis filio sacris initiato. *Operto capite, indutus veste seculari B. Martini templum expetiit; nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam basilicam aperta reperiens ostia, ingressus est. post Missas autem petiit vt ei eulogias dare deberemus: erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisiacæ sedis Episcopus, qui S. Germano successerat. quod cùm refutaremus, ipse cœpit clamare & dicere, quòd non rectè eum à communione siue fratrum conniuentia suspenderemus; illo autem hæc dicente, cum consensu fratris, qui præsens erat, contestata causa canonica, eulogias à nobis accepit. Veritus autem sum ne dum vnum à communione suspendebam, in multis existerem homicida; minabatur enim aliquos de populo nostro interficere, si communionem nostram non meruisset. multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades.* Meritò sanè, fractiori enim animo fuisse Gregorius videtur, cùm incestuoso, apostatæ, minanti cædes Ecclesiæ, communionem sacrasque eulogias impertijt.

REGI PAPA apud Frodoardum histor. Remensis lib. 4. cap. 2. *Formosus regi Carolo congruam dirigens admonitionem, eiusq; congratulans eminentiæ atque deuotioni, quam rex idem se significauerat erga sedem Apostolicam gerere, qualiter ei sit in regno agendum, succinctè lucideq; demonstrat, quem petierat ei benedictum panem pro pignore mittens.*

EPISCOPO. S. Paulinus Seuero panem siligineum epistola 1. *Panem Campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus, tantum meritis in Domino tuis freti, vt plena ad te perferendum sui gratia crederemur: tu licet vberioribus micis à Domini mensa iam saturatus sis, dignare & à peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in eulogiam vertere: ac ne panis siligineus tibi modum nostræ humilitatis excedere videretur, misimus testimonialem diuitiarum nostrarum scutellam buxeam, & apophoreton voti spiritalis accipies, habiturus exemplo, si necdum simili argento vteris.*

A MONASTERIIS, CVM AB EPISCOPO VISITARENTVR, SOLEBANT EVLOGIÆ OFFERRI. 2.p. causa 18. §. Non semel: *Quòd autem nullis canonicis iuribus monasteria dicuntur esse subiecta, non ita intelligendum est, quin ipsi*

Episcopo aliquid nomine eulogiæ, vel in die dedicationis, vel in natali Sanctorum, quorum nomine monasterium ipsum dedicatum est, debeat offerri.

Sic ad CONCILIA PRESBYTERI EVLOGIAS deferebant. 1. p. d. 18. *De eulogijs ad sacra Concilia deferendis, nihil inuenimus à maioribus terminatum, sed sicut vnicuique presbytero placuerit; nam si constitutum fuerit, aliquid illo tempore benedictionis afferre, forsitan minùs libenter ad Synodum occurrerent, & magis venire detrectabunt; quæ non sunt, vt arbitror, rationabiliter requirendæ, nec vltro delatæ respuendæ.*

MORTVVS B. Siuiardus Abbas Anisolensis SORORI suæ eulogias misit. Nam fratri cuidam *visum est lumen summæ claritatis, idq; sibi viciniùs appropinquare. Et dum hanc admirabilem ipse visionem consideraret, adstiterunt ei beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, & in medio illorum anima illa sancta domini Siuiardi nimio fulgore candebat: qui vtrique Apostoli vtramque eius manum tenere videbantur; & fertur ad illum dixisse, Frater, ego Christo ago gratias, qui me dignatus est nunc in requie sua suscipere, vado ecce cum dominis meis præsentibus; vos verò eulogias, quas ego paraui, ferte germanæ meæ & eius sororibus.* Surius 1. Martij.

SOCIO SOCIVS. Presbytero villæ Mardandes *misit Abbas Iulianus Stylites salutationem, mittens ei etiam pannum inuolutum, habentem intus tres carbones ignis. Senex verò suscipiens salutationem, & carbones ardentes, remisit eidem Abbati ipsum pannum inuolutum aqua plenum. Distabant autem ab inuicem ferè viginti millibus passuum.* Ex Sophronio Prati cap. 27.

Miracula per eulogias nonnunquam effecta. Fortunatus Pictauiensis in vita S. Germani Parisiensis Episcopi cap. 12. *Coniux illustris viri Vulpharij de Stasia nomine, vitalis spei destituta solatiis, ac linguæ carens officiis, per biduum muta, spiritu quoque deficiente decumbens, apparatis exequiis, iam palpitabat exanimis. Cui eulogiis à sancto* (scilicet Germano) *per presbyterum suum directis, ac violenter adapertis præmortuæ dentibus, in os transiectis, mox vt fauces semiuiuæ liquor benedictionis introiit, incipit mulier vitæ flatibus anhelare, atque oculi nece præclasi lumen diei requirere, ita vt post funereum pallorem facies in ruborem transiret, donec cunctis stupentibus viuificata consurgeret, & circumstantes auctoris muneris gratiam prædicaret.* & cap. 42. *Cùm aliquando ad possessionem matris Ecclesiæ,* id est Parisiensis, *quæ dicitur Methe, sacerdos Christi* (Germanus) *accederet, quidam ei accurrens fit obuius. Quem inquirens de quanam villa præteriret? ille se solum incolumem esse respondit, vniuersos verò coaccolas graui tædio laborare. Cuius eulogiis ad infirmos partitis, statim ab eis languor omnis fugatus est, & primo gustu eulogiarum morbus cum pane consumptus. Sic enim fuit ab illa turba cum esca sanitas manducata.*

CA-

CAPVT LVI.

Apage.

CHriſtianis olim conſuetum fuit Synaxin indicere Chriſti exemplo: vt enim ille ad cœnam Apoſtolos vocauit, eoſque donauit ſacro ſuo corpore, ſic illi ſacratæ communioni cœnam ſubmittebant, quam agapen dicebant, ab amore, quo inter ſe mutuum faciebant. Hanc colligimus ex 1. Corinth. 11. *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare, vnuſquiſque enim cœnam ſuam præſumit ad manducandum; & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt; nunquid domos non habetis ad manducandum, aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Sed errarunt ipſi, atque in eo illos non laudat, verùm carpit quaſi deuios ab orbita, *Vnuſquiſque cœnam ſuam præſumit,* inquit; ac ſi diceret, Bene equidem conuenitis in vnum Chriſti imitatione, malè tamen eum ſequimini, vbi ille non iuſſit, dum ſacræ communioni agapen præmittitis. ita hunc locum Auguſtinus, Primaſius, D. Thomas, Ancelmus, Gloſſæ interlinealis, & ordinaria, atque apud hanc Sedulius interpretantur. Primùm Synaxis celebranda fuerat, & fiebat; dein epulo locus. Chryſoſtomus in 1. Corinth. 11. homil. 27. *Statis diebus menſas faciebant communes, & peracta Synaxi poſt Sacramentorum communionem inibant conuiuium, diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant etiam vocatis, & communiter veſcentibus.* Et in hoc peccabant Corinthij non vno modo. nam vt B. Eligius teſtatur homil. 15. *Solebant in hac die deferre ad eccleſiam panem & vinum, & dabant ſacerdoti ad conſecrandum, expletiſq; myſteriis vnuſquiſque quod dederat, recipiebat: ſed & quidam illorum in foribus templi præparabant ſibi conuiuia in conſpectu pauperum, nihilq; horum eis expectantibus erogabant.*

Malo huic vt obuiam iretur, eleëmoſynæ colligebantur in agapen, quæ tamen liberæ erant. Tertullianus Apologetici cap. 39. *Modicam quiſque ſtipem menſtrua die, vel cùm velit, etſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit, nam nemo compellitur. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt; nam inde diſpenſatur egenis alendis.* Interdum Eccleſiæ ſumptu fiebat, niſi ea tenuior eſſet: ideo Gregorius Magnus lib. 1. epiſtola 52. vel 54. mandat Petro Diacono in dedicatione ſuppleri inopiam oratorij beatæ MARIÆ, cùm more maiorum agape inſtituenda eſſet pauperibus: *Quia cellæ ipſius tenuitas exigit debere nos in ipſa diei feſtiuitate concurrere, propterea volumus vt ad celebrandam dedicationem*

dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum.

Tertius error comessantium fuit, in quos Augustinus epist. 64. *Comessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solùm per dies solennes (quod ipsum, quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit?) sed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas, si tantùm flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscunque tolerantiæ viribus sustentandam putaremus. Quanquam vbi est illud, quòd cùm multa vitia enumerasset idem Apostolus,* (1. Cor. 5.) *inter quæ posuit ebriosos, ita conclusit, vt diceret cũ talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu, & labe domestica, & eorum conuiuiorum, quæ priuatis parietibus continentur, accipiamusq; cum eis corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur; saltem de sanctis sepulcris, saltem de locis Sacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare priuatim, quod cùm frequentatur in sanctis locis, honor Martyrum nominatur?* &c. *Sed quoniam istæ in cœmiteriis ebrietates, & luxuriosa conuiuia non solùm honores Martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur facilius illic dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de Scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro religione aliquid pecuniæ offerri voluerit, in præsenti pauperibus eroget; ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non leuem cordis dolorem; & id celebrabitur in Ecclesia, quod piè & honestè celebratur.*

Quartò, superstitio se immiscuit, & parentalia quasi renouata. Augustinus 6. confess. cap. 2. de matre Monica: *Cùm ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur: vbi hoc Episcopum vetuisse cognouit, tam piè atque obedienter complexa est, vt ipse miraretur, quòd tam facilè accusatrix potiùs consuetudinis suæ, quàm disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Non enim obsidebat spiritum eius vinolentia, eamq; stimulabat in odium amor vini, sicut plerosque mares & fæminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquatam madidi nauseant. sed illa cùm attulisset canistrum, cum solennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quàm vnum pocillum pro suo palato satis sobriè temperatum, vnde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multæ essent, quæ illo modo viderentur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum vinum quod vbique poneret circumferebat, quoniam non solùm aquatissimo,*

ſimo, ſed etiam tepidiſſimo cum ſuis præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur; quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem. Itaque vbi comperit à præclaro prædicatore atque antiſtite pietatis præceptum eſſe iſta non fieri, nec ab eis qui ſobriè facerent, ne vlla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis; & quia illa quaſi parentalia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima, abſtinuit ſe libentiſſimè, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum adferre didicerat, vt & quod poſſet daret egentibus, & ſic communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius paſſionis imitatione immolati & coronati ſunt Martyres.

Nunquam tamen ea ſcelera irrepſerunt in agapen, quæ Chriſtianis obiecta ab ethnicis iuxtà & hæreticis, queritur Tertullianus Apologetico cap. 7. *Dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidij, & pabulo inde, & poſt conuiuium inceſto, quòd euerſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundia procurent.* Et Cæcilius in Octauium apud Minucium Felicem, quaſi Chriſtiani Thyeſteas & Oedipodis cœnas celebrarent, fuſiùs eis conuitio dat: *De initiandis tirunculis fabula tam deteſtanda quàm nota eſt. Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbuitur; is infans à tirunculo farris ſuperficie, quaſi ad innoxios ictus prouocato, cæcis occultiſq; vulneribus occiditur. Huius, proh nefas! ſitienter ſanguinem lambunt, huius certatim membra diſpertiunt, hac fœderantur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur. Hæc ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora. Et de conuiuio notum eſt; paſſim omnes loquuntur, id etiam Cirtenſis noſtri teſtatur oratio. Ad epulas ſolenni die coëunt cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic poſt multas epulas, vbi conuiuium caluit, & inceſtæ libidinis ebrietate feruor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ vltra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur; ſic euerſo, & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt per incertum ſortis, etſi non omnes opera, conſcientia tamen omnes pariter inceſti, quoniam voto vniuerſorum appetitur, quidquid accidere poteſt in actu ſingulorum.* Hæc ibi Octauius, quæ Athenagoras oratione pro Chriſtianis, Origenes contra Celſum, lib. 7. Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolicum, Tertullianus Apologetico candidè calidèque ex vero refellunt.

Anſam his criminationibus dederint fortaſſe Simon Magus, Menander, Carpocrates, Baſilides, illorumque ſordida colluuies poſtera, vt ex Clemente Romano in vita D. Petri, & Nicephoro lib. 2. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 14. diſcere eſt. De Gnoſticis certè hæc Epiphanius hæreſi 26. *Si præter ſententiam acciderit, vt prægnans facta fuerit*

mulier, quid grauius & horribilius designent tales, audi: Detractum fœtum, quocunque tandem tempore id aggreßi fuerint, accipiunt, & in mortario quodam pistillo tundunt, & admixto melle & pipere, & aliis quibusdam aromatibus ac vnguentis ad auertendam nauseam, sic congregati omnes porcorum ac canum horum sodales participes fiunt contusi pueri; atque sic humanæ carnis esu peracto, deinde preces fundunt ad Deum, & hoc perfectum pascha dicunt. De Montanistis etiam Hieronymus epistola 54. *Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur, de lactente puero, & de futuro martyre confarrata, malo, inquam, non credere; sit falsum omne quod sanguinis est.* Epiphanius iterum hæresi 48. *In hac verò hæresi aut in cognata eius Quintillianorum, siue Priscillianorum & Pepuzianorum appellata horrendum ac nefarium quoddam opus fieri dicunt. Puerum enim quendam valdè infantem in festiuitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes sanguinem ipsius sibi ipsi comparant ad apparatum sacrificij.* Eadem de Montanistarum paschate hæresi 24. Philastrius de hæresibus c. 24. vbi vides Montanistas Gnosticis, Pepuzianis, Cataphrygibus permixtos.

Confuderunt his Ethnici Christianos, à quibus illi defecerant, quasi vtrorumque eadem foret disciplina. Sed nihil vnquam docere potuerunt, auditu tantùm habuerunt; sicque quæ pseudo-christianis debebantur, veræ religioni dederunt.

Suspicionem auxit, vt coniicit Franciscus Zephyrus in Tertulliani Apologeticum c. 7. quòd in nostro dogmate haberi scirent: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cumque tormenta Christi, tenebrasque illas in memoriam eius Christiani repræsentarent, facilè persuasum est maleuolis, mysterium panis non intelligentibus, quòd illi se ferinis eiusmodi ritibus contaminarent. Sed sine certo argumento hæc obiecta: quare Tertullianus eos postulat inconsiderantiæ, imò detractionis, vt qui adfingerent tantùm, nec certi quidquam afferrent. *Dicimur*, inquit, *semper, nec vos, quod tam diu dicimur, eruere curatis: ergo aut eruite, si creditis; aut nolite credere, qui non eruistis. De vestra vobis dißimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Longè aliud munus carnifici in Christianos imperatis, non vt dicant, quæ faciunt, sed vt negent, quæ sunt.* Et pergit premere: *Quotidie obsidemur, quotidie prodimur: in ipsis plurimùm cœtibus, & congregationibus nostris opprimimur; quis vnquam taliter vagienti infanti superuenit? quis cruenta, vt inuenerat, Cyclopum & Sirenum ora iudici reserauit?* quasi dicat, Necdum transfuga quispiam id prodidit, necdum tormentis extorsistis, necdum lapsi confessi sunt, & tamen liberè obiicitis quæ vidit, quæ de nobis audiuit nemo.

Vindicat

Vindicat Christianos Plinius, qui Traiano lib. 10. epistola 97. de lapsis ita perscripsit, & constantium hominum innocentiam probauit, dum iussus quosdam interceperat, qui coitionibus sacris interfuerant. *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo quasi Deo sibi inuicem dicere, seq; sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursumq; coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium; quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundùm mandatum tuum hetærias esse vetueram.* Grauiter Tertullianus Apologetico cap. 39. quid ibi rerum gereretur describit, cœnamque exhibet Christianis philosophis dignam: *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos est: quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti adfectant ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur; editur, quantum esurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis est vtile; ita saturantur, vt qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, vt sciant Dominum audire. Post aquam manualem, & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium, Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. æquè oratio conuiuium dirimit; inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm disciplinam.* Profectò modestiam tantùm & sanctitatem illiusmodi coitiones spirabant; à quibus procul omnis ille, in quem idem Septimius libro de ieiunijs, *Cui Deus venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & Spiritus sanctus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia.* Item, *Cui agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet.* Quia ibi temperantiæ studebatur admodum, vt Philo docet de vita contemplatiua, vbi Iessæos vsos docet cœnula tenuissima, vt ad laudes Deo dicendas, & peruigilandum essent aptissimi.

Nec

Nec tum temporis tantùm, in omni vita Chriſtianis & Religioſis continuum fuit. Explorare hoc voluit Edranus vir bello clarus, & Imperatori carus apud Metaphraſtem, in Daniele Stylita cap. 38. cùm curioſior quid B. Daniel comederet, ſub columna ipſius latitauit hebdomadem integram. Cùm autem nil aduertiſſet, rogauit ſanctum an comederet, & biberet; cui Daniel, *Tanto vtor alimento, quantum ſufficit ad vinculum corporis continendum; non enim viuimus gratia deliciarum, ſed potiùs nutrimur, vt poſſimus viuere.* Quantum hoc ab epitaphio Bacchidæ apud Athenæum lib. 10.

Πίεν, φάγεν, καὶ πάντα τᾷ ψυχᾷ δόκεν.
Bibit, edit, animoq; omnia conceſſit.

aut Darij:

Ἠδυνάμην οἶνον πίνειν πολὺν, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς.
Potui vinum liberaliter bibere, & ferre indemnis.

aut etiam Sardanapali, qui ipſe hoc ſtatuæ ſuæ inſcribi fecit:

Κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ὑφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτες
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Et latinè Cicero lib. Tuſculanarum ſic vertit:

Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hauſit; at illa manent multa, & præclara relicta.

Quid verò aliud in boum, non regum ſepulcris ſcriberes? quæreret Ariſtoteles. Modeſtiùs omnes Chriſtiani, & præ cæteris Religioſi pranderunt, & parciùs cœnarunt; ex inſtituto enim viuunt, & regulis à Deo propoſitis.

Apud Palladium Lauſiacæ hiſtoriæ ſect. 35. in Tabennenſi monaſterio Thebaidos Pachomio agenti angelus adſtitit, deditque in tabula ænea leges, quas minoribus monachis præſcriberet; inter has, iſtas: *Concede vnicuique vt comedat & bibat pro viribus comedentium; & eis quoque manda opera quæ proportione conueniant ac reſpondeant, & neque ieiunare prohibe, nec comedere. Ab omnibus cibus in vna domo capiatur. Comedentes velent capita cucullis, ne frater fratrem videat mandentem. Comedenti non licet loqui, nec extra quadram & menſam vſquam aliò oculos conuertere.* Modeſtiam tantùm hîc tango & temperantiam, nam ieiunia, vt velim, quî poſſim? hebdomadæ, dierum quadraginta, annorum etiam ſex aliqui inediam tolerarunt, à certis cibis abſtinentiam celebrarunt.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
HOC OPERE CONTENTARVM.

Nn Alexan-

Com-

Homiliæ

Indignè

S.VVu

FINIS.

